



IEROSOLYMITANA PEREGRINATIO

ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS

NICOLAI CHRISTOPHORI

RADZIVILI

DVCIS OLICÆ ET NIESVISII

PALATINI VILNENSIS

MILITIS IEROSOLYMITANI, ETC.

Primùm à THOMA TRETERO

Custode Varmiensi

ex Polonico sermone in Latinum translata.

Nunc variè aucta, et correctiùs

in lucem edita.





DEVOTIO NVMINE GAVDET.

GAVDET PATIENTIA DVRIS.

ANTVERPIÆ
EX OFFICINA PLANTINIANA
Apud Viduam et Filios
Ioannis Moreti.
M. DC. XIV.

THOMAS TRETERVS
CVSTOS VARMIENSIS
CHRISTIANO LECTORI
S. D.

EA est, Christiane Lector, eminentioris virtutis dignitas & pulchritudo, vt cultores suos non solùm in hac mortali vita verè beatos & felices reddat; sed apud homines etiã, qui aliquo rationis acumine præditi, de rebus magis incorruptè iudicant, nominis perpetuitate, ac optimæ famæ immortalitate donet, eámque ad omnem posteritatem maxima cum gloria transmittat. Vnde comparatum est, vt non modò illustrium virorum dicta & facta posteris in admiratione sint; sed vt ipsa quoque loca, in quibus olim inter homines constituti versabantur, è præclaris eorum actionibus venerationē quamdam & maiestatem induta & consecuta videantur. Insignis ille morum & disciplinæ ciuilis magister L. Annæus Seneca, ad villã Scipionis Africani prope Linternum ex industria se conferens, adoratis Manibus eius & ara, quam sepulchrum tanti viri fuisse suspicabatur, mores illius, ex ædificiorum, cisternæ, ac balneoli structura contemplatus, magnam se voluptatem inde percepisse, memoriæ prodidit; indéq. multa, quæ ad deprauatos æui sui mores in melius reformandos pertinerent, documenta deprompsit. Quòd si vir ille Christianæ Philosophiæ institutis necdum imbutus, ex visitatione monumentorum clarissimi *Epist. 86.*

illius Imperatoris, vitæ præcepta capiebat: quid feciſſe cenſendum eſt maiores noſtros ſacroſanctæ fidei myſterijs eruditos, in obeundis ſacris Palæſtinæ locis; in quibus verus Deus & homo CHRISTVS IESVS ſalutem noſtram operatus, ſpiritualē & æternam ciuitatem Ieruſalem ſupra fundamenta Apoſtolorum & Prophetarum è viuis lapidibus ædificauit: turrim viuificæ Crucis ad cuſtodiam vineæ ſuæ contra malignorum ſpirituum incurſiones erexit: ciſternas aquę viuæ doctrina cęleſti exundantes, plurimas effodit: balneum ſacratiſſimi lateris ſui, copioſa ſanguinis & aquæ effuſione, ad abluendas peccatorum totius mundi maculas, copioſiſſimè aperuit: glorioſum denique reſurrectionis ſuæ Sepulchrum, futurę immortalitatis noſtrę pignus reliquit? M. Tullius eloquentiæ Latinæ parens, Athenis cùm eſſet, non tam operibus magnificis, exquiſitisq. antiquorum artibus delectabatur; quàm recordatione ſummorum virorum, vbi quiſque habitare, vbi ſedere, vbi diſputare ſit ſolitus: ſtudioſęq; eorum etiam ſepulchra contemplabatur. Quid, cùm noſtris in Palæſtina ductor loca ſacra oſtendens, Hîc, inquit, ęterni Patris Verbum, Chriſtus Dominus, de Virgine carnem aſſumens, natus eſt; hîc in præſepio reclinatus; hîc à Magis adoratus; hîc baptizatus; hîc miracula patrauit; hîc docuit: hîc captus, hîc illuſus, hîc flagellatus, hîc crucifixus, hîc ſepultus: hinc tertia die deuicta morte ſurrexit, hinc in cælum aſcendit: quanta internæ delectationis ſuauitate replentur? quos gemitus, quę ſuſpiria, quas lacrymas acceptę ſalutis memores, Saluatori ſuo non reddunt? Fecit hoc Paula nobiliſſima Romana matrona, D. Hieronymo atteſtante: quæ loca ſacra tanto ardore ac ſtudio circumiuit, vt niſi ad reliqua feſtinaret, à primis abduci non poſſet, proſtratáque ante Crucem, quaſi pendentem Dominum cerneret, adorabat. Fecerunt idem, & adhuc

De legib. lib. 2.

Hieron. in Epitaph. Paulæ ad Euſtochiũ Epiſt. 2. Tom. 1.

huc faciunt, plurimi veræ deuotioni vacantes peregrini: qui inter cetera noſtræ ſalutis monumenta, rupem in Domini morte ſciſſam, eiúſque pretioſo ſanguine purpuratam, accedentes, & in eius ſciſſuram caput inſerentes, in contemplatione redemptionis humanæ defixi, & in admirationem veſtigij tam inſignis Dominicæ mortis rapti, diuinum aliquid ſæpiùs patiuntur; & ſe in terris poſitos obliti, mente cæleſtia conſcendentes, pro lapideis cordibus, quæ peccatorum profunda cogitatio mouere non poterat, in hoc loco carnea ſtatim conſequuntur, & amore ſui Redemptoris ita emolliuntur ac liqueſcunt, vt admirabili Chriſti morientis ſpectaculo præſentes adeſſe videantur. Proditum eſt memoriæ, quemdam ex his, cùm in montem Oliueti ad adoranda Chriſti in cælum aſcendentis veſtigia acceſſiſſet, tanto ſpiritus feruore correptum fuiſſe, vt humi proſtratus, inter oſcula, ſingultus, & lacrymas vberiùs profuſas, exſpiraret. Felix planè & beatus, cui tantum beneficium diuinitus obtigit, vt aſcendentis Chriſti memoriam, feliciſſimo vitæ perennis introitu, ſubſequi meruerit. Hîc deploranda venit hæreticorum noſtri temporis cæcitas & amentia: qui cùm ad obliteranda Chriſti Saluatoris beneficia, & Sanctorum qui Deo placuerunt eleuãda merita, omnes ingenij neruos intendere ſoleant; peregrinationibus quæ ad ſancta loca ſuſcipiuntur, perpetuum indicere bellum, hoc maximè conſilio, non dubitarunt, vt ſola fide, quam plenis buccis concrepant, inflati, bonis operibus, ſpiritualibus animæ exercitationibus, & mortificationi membrorum nuntium remittentes, tãto ſecuriùs in domo proprij ſenſus reſidere, & ſuper ollas carnium, pluſquam in Ægyptiaca ſatanæ ſeruitute ſedendo, panem impietatis & mendacij comedere illis liceat: ita de ſalute æterna ſecuri, vt abſq; ocreis & penula, ſe in cælum euolaturos confi-

P. Dublinius in Hodœp. Ieroſ. lib. 1.

Prou. 4. & 20.

dant. Sed arctiorem ad ſempiternã gloriam, quàm iſti miſeri arbitrantur, eſſe viam, Catholica mater Eccleſia, & ſanctiſſimorũ virorum exempla nos edocent: qui inter ceteras carnis in obſequiũ ſpiritus redigendę rationes, peregrinationi quoque nõ poſtremum locum eſſe voluerunt; ex qua cùm multiplicia bona ad animæ lucrum prouenire ſoleant, tria tamẽ maximè vtilia eliciuntur. Peregrinationes namq. eiuſmodi, quæ recto fine inſtituuntur, in honorem Dei & Sanctorum eius non mediocrem cedunt; quandoquidem hinc vel manifeſtè apparet, eos à nobis magnifieri, cùm ad eorum memorias accedendo, pericula & itinerum labores ſubire pro nihilo ducimus. Deinde verò volũtaria illa incommodorum & moleſtiarum corporalium, quæ peregrinantibus obuiæ ſunt, perpeſſio, pœnitentiæ, & pro admiſſis culpis non poſtremæ ſatisfactionis, vim habent maximam: quando membra quæ quondam ſeruiebant iniquitati & iniuſtitiæ, ad pietatis opera & mortificationem ſenſuum, ardore ſpiritus adiguntur. Poſtremò deuotionem in animis piorum (quod ſuperiùs annuimus) in ipſa ſanctorum locorum veneratione, mirificè excitant: quorum attactu horrorem & reuerentiam incutiunt, charitatem augent, vitę melioris ad Sanctorum exempla conformandæ propoſitum ſtabiliunt & confirmant. Hęc & alia multa, cùm Sanctorum locorum viſitatio peregrinis conferat; illa tamen quæ Ieroſolymam ſuſcipitur, Chriſti Redemptoris intuitu, qui ſalutis noſtręveſtigia, ſanctiſſimi ſui corporis impreſſione, hîc plurima reliquit, longè maiores quàm aliunde, fructus acquirere conſueuit. Nam in hac à Deo, ad ſalutẽ noſtram procurandam, præelecta terra, in qua ſteterunt pedes eius, Chriſtus Dominus magis efficaciter honoratur: pœnitentia, propter infideliũ barbarorum perſecutiones, cum maiori merito & Indulgentiarũ lucro peragitur:

gitur:deuotio ſpiritus,cæleſtiũ deſiderium, & terrenarum rerũ contemptus faciliùs acquiritur: quarum virtutum viui effectus,quidquid tandẽ dicant hæretici,in ijs elucent,qui inde ad patriam reuerſi, nõ minùs in refrænandis animi paſſionibus,Chriſto confixos cruci,quàm cum eodẽ à mortuis ſe eſſe reſuſcitatos,in nouitate vitæ ambulando, manifeſtè comprobant. Horum exemplo diuerſarum gentium & conditionum homines, etiam his corruptis temporibus noſtris adducti, maxima cum alacritate immenſos peregrinationis ad ſacra Palæſtinæ loca labores ſuſcipere non grauantur: apud quos non tanti fit nouatorum obtrectatio, quãti in ſpiritualibus bonis proficiendi deſiderium: vnde tamquam ad Chriſtianarum virtutum & perfectionis interioris nundinas, cum temporaliũ bonorum,& valetudinis quandoque iactura, longos terrarum & maris tractus emetiendo, proficiſci pro nihilo ducunt. Rem ita ſe habere, etſi multis exterorum nobiliſſimorum virorum exemplis comprobare difficile non eſt, ſufficiat tamen tibi, Chriſtiane Lector, hoc vnum domeſticum recens noſtrum, Ill^mi Domini Nicolai Chriſtophori Radziuili, Olicæ & Nieſuiſij Ducis, Principis & antiquiſſimæ familiæ ſplendore & bonorum temporalium affluentia longè clariſſimi: qui præter alias ad ſe propriè pertinentes, etiam ijs rationibus, quibus plurimos moueri ſuprà meminimus, incitatus, voto piè ſuſcepto, ſacram hanc Peregrinationem ita abſoluit, vt tales ex ea diuinæ benedictionis & gratię fructus reportauerit, quales in omnibus eius actionibus,quę ſemper ad gloriam Dei,Catholicę fidei propagationẽ,&plurimorum ſalutẽ Chriſto lucrifaciendam referuntur, meridiano Sole clariùs elucẽt. Videas in iſto laudatiſſimo Heroë,cùm multas magno in Rep.viro dignas dotes,quas pro ſalute patriæ repræſentanda adhibet, tum præcipuè arden-

Galat.2. Rom 6.

tem in Christum Dominũ amorem, ceterásq; Christianas virtutes, fixum sibi domicilium constituisse: vnde bonorũ operum vberrimi fontes tam copiosè scaturiunt, vt quilibet non obscurè iudicare possit, eum talẽ Christianæ perfectionis scopũ attigisse, qui pias peregrinationes obeuntibus propositus esse solet. Nã ad propria feliciter reuersus, & nihilominùs in terra peregrinum se esse cõsiderans, in ipso dignitatis fastigio, singularem humilitatem; in bonorum temporariorum copia, temperantiam; in rebus aduersis, tolerantiam; in iuuandis proximis, liberalitatem; in diuino cultu propagando, zelum & munificentiam; in familia gubernanda, paternam solicitudinem & vigilantiam perpetuò retinet. Et ne in enumerandis eius laudibus prolixior esse, & auribus aliquid dedisse videar; ex vngue leonem, ex operibus magnificis, quæ in oculos hominum incurrunt, Christiana charitate pectus imbutum, benigne Lector, considera: templa, collegia, monasteria, xenodochia, ab ipso excitata, rebúsque omnibus & ad necessitatem, & ad conuenientem splendorem instructa dinumera: videbis proculdubiò Ducem hunc optimum, in via mundanæ istius peregrinationis, momentanea & caduca spargere & seminare, vt metere & suo tempore colligere cælestia & æterna possit. Sed ad eius peregrinationis institutum reuertamur. Fuerunt multi nostra, immò & Patrum nostrorum memoria, præstantes pietate & doctrina viri, qui locorum Terræ sanctæ descriptionem methodo & exacta quadam ratione tradiderunt: vix tamen aliquem videre licuit, qui faciliore cõpendio, & maiore rerum varietate, quæ in Palæstina notatu dignæ occurrunt, oculis quodammodò subiecerit, atq. hic ipse noster Ill^mus Dominus Radziuilus: qui etiamsi ex professo narrationem hanc, vt in lucem prodiret (quod multi nominis sui celebrandi causa facere solent)

lent) non instituerit; quatuor tamen epistolis ex ipso itinere, ad familiarissimũ suum, quem vti fratrẽ amabat, familiari itidem stilo, lingua Polonica cõscriptis, totam peregrinationis suæ historiam, rerumq. notabilium memoriam ita feliciter complexus est, vt nihil desiderari possit, quod ad plenam locorum illorum notitiam pertinere videatur. Has igitur cùm mecum communicasset pius & doctus Soc. Iesu Sacerdos, R. Pater Fabianus Quadrantinus (mihi & studiorum ratione, ante triginta & aliquot annos, in prima Collegij Brunsbergensis apertione, & familiaritatis consuetudine in aula magni illius Hosij Cardinalis Romæ coniunctissimus) incredibilem ex earum lectione percepi voluptatem. Nam non solùm locorum sacrorum, veluti graphicam quamdam in tabula explicatam delineationem, magna cũ delectatione animo ingerebant; verùm etiam gentium diuersarũ varios mores & habitus, fortunæ in casibus humanis vicissitudines, vrbium ac prouinciarum aliquot insignium accuratam descriptionem, Ægypti præsertim & miraculorũ Memphiticorum viuum quoddam simulachrum, ita ob oculos ponebãt, vt coràm illa eadem omnia intueri, & absque impensis corporisque fatigatione, pulcherrimarum rerum aspectu perfrui, visus mihi fuerim. Gratulabar ergo temporibus hisce nostris, quòd quæ nostrates ab externis scriptoribus, anteactis sæculis, de Palæstinæ & sanctorum locorum situ petere coacti fuerunt, hæc à Principe nostræ gentis viro, magnis ipsius impensis & laboribus parta, & eleganti scripto comprehensa, præ manibus habere possent. Quamuis autem hæc, ex Auctoris intentione, vt aiebat ille apud Ciceronem, Tarentinis, & Consentinis, & Siculis, hoc est, suæ nationis hominibus tãtùm, scripta videri poterãt: vbi tamen animaduerti, lectionis huius fructũ ad Catholicorum omnium profectũ & consolationem

De finib. lib. 1.

nem posse redundare, in eam cogitationem veni, facturum me rem pijs omnibus gratam, si liber hic à Catholicæ fidei assertore conscriptus, Catholica etiam, hoc est, Latina & Romana lingua loqueretur: quod etiam ex idiomate Polonico versione hac mea pro virili præstare conatus sum. Quàm feliciter autẽ id perfectum sit, equidem nescio: illud tamen affirmare possum, me ab Ill^mi Auctoris mente ne latum quidem vnguem, in re ipsa exprimenda, deflexisse; licet verba verbis interdum exactè reddi, vt sensus linguę Latinę dilucidior esset, minimè potuerint. Laborem verò hunc eò libentiùs etiam susceпi, quòd exemplaribus vulgaribus, clàm hinc inde sparsis, periculum imminere videbam, nisi meum hoc in lucem prodiret, vt ea partim incuria describentium, partim etiam maleuolorum, & Christianæ fidei ac pijs operibus aduersantium machinationibus, multis in locis immutarentur & corrumperentur. Quamobrem cùm vnum exemplar magis sincerum, & ex ipso originali Ill^mi Ducis desumptum, prę manibus haberem, illud in Latinam linguam iam traductum, maturiùs euulgandum curaui, vt ad eius fidem & certam quasi regulam, quæuis vulgaria, per nostrates examinari & reduci possent. Tu beneuole Lector operam hanc qualemcumque nostram boni consule, quæ tibi gratior vel hoc nomine debebit esse, quòd præ multis qui Polonica lingua peregrinationis huius descriptionem nondum degustarunt, tu ea legenda te iam delectare potes: ex qua si spiritualem profectum aliquem referre datum tibi fuerit; totum id Deo ter Maximo acceptum referes, qui mihi vt scriberem, tibi vt legeres mentem inspirauit. Vale. Apud Ecclesiam Varmiensem, ex Musęo nostro, VIII. Kal. April. in ipsa Annuntiationis Dominicæ incarnationis solennitate, Anno reparatæ Salutis M. D. CI.

PROS-

Te duce cerno meos per templa scholásque triumphos,
Surgere pauperibus, surgere tecta pijs.
Me duce, Dux, tua laus nec humi nec in axe sileſcet;
Quin iter hoc faxo poſtera ſæcla legant.

IN R. D.
THOMAM TRETERVM C. V.
QVI
HODOEPORICON HOC
A SE TRANSLATVM EDIDIT.

ANte peregrinum RADIVILVM *Fama canebat,*
Fama ſed obſcuris emodulata modis:
Sarmaticè paucis, calamo fluitante, prochiri
Ad Solymæa Ducis buſta canebat iter:
Qua Dux bis genitus Cruce cuncta piauerat inſons
Crimina ſontis Adæ, quáque ſepultus humo.
Nunc iter hoc lituis reſonat Latialibus orbi,
Reddat vt attonitos Teutonas atque Gothos.
Hoc in Hodœporico peregrina cupido ſciendi,
Cæli & ſacra fames, vnde leuentur habent.
THOMÆ TRETERO *quantum Dea Nuntia debes?*
Ære Ducem Latio quòd canis, auctor hic eſt.

Anag. Auct.

VENIS LABORE VIRTVS.

IERO-

IEROSOLYMITANA PEREGRINATIO ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS NICOLAI CHRISTOPHORI RADZIVILI, QVATVOR EPISTOLIS DESCRIPTA.

EPISTOLA PRIMA.

ARGVMENTVM.

QVATVOR *Epistolis Auctor totam peregrinationem suam describit. In prima rationem suscepti itineris amico reddit; & quæ impedimenta voti exequendi superauerit, quámve facultatem peregrinandi ad Terram sanctam habuerit, exponit. Deinde dispositis rebus domesticis, & condito vltimæ voluntatis testamento, scribit se Venetijs soluisse: habitumque peregrini in monasterio S. Mariæ* della Gratia *apud Fratres Hieronymianos induisse. Posteà in nauigatione, quas ciuitates, arces, insulas, portus, sepulchra antiquorum viderit, præcipuè autem Thesei Labyrinthum in Creta, Gortynæ ciuitatis ruinas, & Salinas Cypri accuratè describit. Notabit Lector, ex omnibus Epistolis, quàm cautè & religiosè peregrinationes obeundæ.*

DOSTVLAS à me tibi perscribi, non solùm itineris huius mei, quod in DEI nomine sum ingressus, modum ac rationem; sed etiam caussam, quæ me ad suscipiendam tam longinquam, & prout multis videtur etiam periculosam (quamquam ego diuersæ fui semper & sum sententiæ; cùm ipsa prouidentia & prædestinatio diuina, sicut nonnullis qui peregrè versantur, vias expeditas & faciles, ita alijs qui in

patrio ſolo domeſticam vitam ducunt, eaſdem perplexas & difficiles reddere ſoleat) peregrinationem impulerit: ídque debili cum primis & attrita, quod multis, maximè verò tibi obſcurum non eſt, valetudine præpeditus.

Quamobrem vt voluntati tuæ morem geram, quantum memoria repetere poſſum, mitto tibi principium itineris huius mei, illud admonitum te cupiens, vt hæc tantùm ſoli tibi (cui pro mutuæ conſuetudinis & familiaritatis noſtræ iure, vel minima quæque rerum mearum, nota eſſe percupio) ſcripta eſſe noueris. Hiſtorici partes hîc mihi non aſſumo, nec is peregrinationis meæ ſcopus, ſed longè diuerſus, prout inferiùs videbis: cumque & occupationes, & vitæ meæ profeſſio tibi non ſit ignota, facilè iudicare potes, non eo conſilio regiones has me peragrare, vt ſitus Prouinciarum, mores nationum, & alia, quod Hiſtorici facere ſolent, ſcripto comprehendam; quarum rerum ſi me curioſitas abriperet, poſſem non ita magno negotio, domi reſidens, à mortuis magiſtris (ita Alphonſus Aragoniæ Rex libros appellabat) eaſdem ediſcere. Accipies itaque & leges animi cauſſa, qualeſcumque epiſtolas meas; quas, vbi occaſio & ſcribendi voluntas acceſſerit, ad te quandoque daturus ſum. Nam fatigato & malè affecto corpori, quies potiùs quàm ſcriptio conuenit: quod ex illo ipſo tempore, quo vix in Cretam appuli, in me ſatis ſuperque experior.

Auctor Hiſtorici partes ſibi non aſſumit.

Libri, mortui Magiſtri.

Non dubito quin meas illas acceperis, quas ad te Grodnâ ſcripſi, à Rege Stephano digreſſus: qui me clementer & humaniter habitum dimiſit, cum quadam etiam compaſſione, quòd me tam longo itineri committere voluerim. Perſcripſi & illud, auctorem mihi Regem fuiſſe, vt ad euitandas nauigationis moleſtias, & naufragij vel piratarum pericula, Conſtantinopolim, & inde Aleppum me conferrem, acceptis Czauſſio & Ianiſſaris, à Turcarum porta, qui maioris auctoritatis eſſent, quàm ceteri omnes, qui miniſtris

Stephani Pol. Regis, de Auctoris peregrinatione conſilium.

ſtrisImperatoris adhærent. Inter alias, etiam hanc optimus Princeps conſilij ſui rationem adferebat,quòd latere, quo minùs quis ſim agnoſcerer,nulla ratione poſſem: vnde mihi non leue periculum immineret. Longè tutius eſſe,id ſcitu Cæſaris Turcarum fieri,& iter cum patentibus eius literis proſequi. Se daturum ad eumdem literas, diligentiſſimè ſcriptas; ſimul aliquem ex aula ſua Internuntium eò miſſurum, qui ex induſtria negotium hoc meum apud Turcam promoueret. Ego viciſſim rationes meas attuli Regiæ Maieſtati, quibus peregrinationem hanc, via ſolita inſtituendam, tutius exiſtimabam; maximè, quòd nihil explorati haberem, qua ratione Conſtantinopoli iter hoc terra perfici poſſet: contrà verò, me à multis edoctum eſſe, mari id compendiosè, ſecurè, & breuiori temporis ſpatio abſolui ſolere: eaque de cauſſa, potiorem hanc conſilij mei ad effectum deducendi rationem, me iudicare. Ceterùm quęnam potiſſima fuerit profectionis huius meæ in Palæſtinam cauſſa, iam breuibus accipe.

Non ignoras proculdubiò,cùm ſis Catholicus,omnipotentem Deum diuerſis medijs vti ſolere, quibus homines ab æternæ damnationis ſtatu abductos, in viam ſalutis reducat: idque eum non propter ſe agere; cùm nihil illi accedat,ſi rectè; nihil decedat, ſi turpiter & peſſimè viuamus. Sed cùm nobis ſanctè pollicitus ſit, ſe nolle mortem peccatoris,ſed vt magis conuertatur & viuat,id nobis pro ſua clementia & bonitate,ſubinde præſtare dignatur. Præcipuus itaq; modus,quo homines à peccati turpitudine auocat, ad infinitam gratiæ & beneficiorum demõſtrationem quam humano generi copiosè exhibet,referri debet.Nam cùm ſummè bonus, immò ipſum ſummũ bonum ſit, non potèſt ab eo niſi bonitas immenſa proficiſci: quam cùm in hominem plena manu effuderit,illiq; ad voluntatẽ omnia contulerit; vbi ille, quam gratitudinis loco rependere de-

Deus diuerſis mediis homines ſaluat.

Ezech. 33.

Peccatoris mortem Deus non vult.

beret, emendationem vitę differt,& beneficiorum immemor,tamquam equus effrænis,malitia excæcatus,in omne ſcelus ruit præceps, licet illum in peccati ſordibus iacentem, iuſtè reijcere & in æternum damnare poſſit, cùm id illi ſit liberum,nec cuiquam facti ſui rationem reddere teneatur :infinita tamen illa bonitas ipſius, rigorem iuſtitiæ cohibet, ne miſerum in finem abijciat & derelinquat: & paterna quadam ſolicitudine admonito, temporarias afflictiones & caſtigationes immittit; vt quem bonitas ipſius à peccato non potuit abducere, ſaltem doloris acerbitas,humano ſenſui cõtraria,eumdem in officio contineat. Hinc eſt,quòd varijs calamitatibus,præcipuè verò corporis etiam infirmitatibus interdum homines affligi permittit; vt vel hac ratione mortalis faciliùs recogitet, ad quem finem corporeus hic aſinus, quem tam delicatè nutrit & amat, deuenire tandem debeat: & quàm meritò temporalia hæc bona vmbræ comparentur,quę exiguo momento tranſit & euaneſcit.Sit igitur ſanctiſſimum nomen Domini Dei noſtri benedictum,qui leuibus hiſce admonitionibus & flagellis citò tranſituris nos coërcet, ne in illum ignem inextinguibilem, & vermem qui numquam moritur,incidamus. Atque ita planè mecum actũ eſt:in quem cùm diuina bonitas, innumera gratiæ ſuæ dona & beneficia contuliſſet, non ſolùm me illi gratum aliqua vitæ ſolutioris emendatione, non exhibui; ſed etiam donis illius abuſus,in iuuenili ętate mea,vanitatis illecebris abductus, peccata peccatis accumulaui: & quod ceteris, qui in delictis & exceſſibus volutantur, accidit, licet aduerſam valetudinem non à natura trahant, luxu tamen eam ſibi accerſunt vltrò, præfixumque vitæ terminum abbreuiant, (iuxta illud Sapientis dictum:Non accepimus breuem vitam,ſed fecimus; non inopes eius,ſed prodigi facti ſumus) item & mihi vſu euenit. Nam in grauem infirmitatem, ingentibus capitis doloribus, & diuerſis accidentibus auctam,

Infirmitates corporis cur Deus permittat.

Temporalia bona vmbræ aſsimilata.

Vitam breuem non accipimus, ſed ipſi facimus.

ctam, incidi anno 1575. mense Augusto, cùm secunda eiusdem die vigesimum sextũ ætatis meæ annum compleuissem. Et quoniam, vitio corruptæ naturæ cùm in aduersam valetudinem inciderit homo, frustrà de medicina corporali, si de animæ salute nõ cogitat, solicitus est: vbi me tam graui morbo, permissu diuino, prægrauatum sensi, in quo curando omnis Medicorum industria frustrà consumeretur; ad Deum ipsum pro vtriusque hominis curatione per sacram Confessionem & diuinissimi Sacramẽti susceptionem supplex confugi, ab eoq; humillimè petiui, vt dimissis adolescentiæ meæ delictis, id cordi meo inspiraret, quod cum maiestatis suæ gloria, & peccatricis animæ meæ salute, coniunctum esset. Cumque orationi huiusmodi sæpiùs feruenter insisterem, quodam tempore mense Septembri, cùm præsens sacrosancto Missæ sacrificio adessem, votum feci (quod Confessario meo posteà reuelaui) si diuina bonitas pristinam mihi sanitatem restitueret, me sacrosanctum Domini sepulchrum visitaturum, tempore ad hoc peragendum non definito. Interea, pro morbi ratione, opportuna remedia adhibere non intermisi, quæ magis ac magis producebantur.

Auctoris ad Deum conuersio.

Votum visendi S. sepulchrum.

Anno Domini 1576. vsus sum thermis Iauorouiensibus in Polonia. Anno sequenti 1577. semper itidem cum Medicis mihi res fuit. Interea incidit expeditio nostra Lithuanica in Liuoniam, cui cum alijs & ipse interfui, cùm Dux Moscouiæ prouinciam hanc depopularetur, & Rex Stephanus apud Gedanum in castris esset. Anno 1578. significaui Gregorio XIII. Pont. Max. me in Germaniam ad experienda nonnulla remedia, & thermas, proficisci: quæ vbi me vegetiorem reddiderint, vouisse me Deo, & omnino constituisse visitare sacrum Domini Ierosolymitanum sepulchrum. quid ad hæc Pontifex responderit, ex adiuncto Breui apparet.

Lithuanorum in Liuoniam expeditio.

Bellum Gedanense.

96550

DILECTO FILIO NOBILI VIRO NICOLAO CHRISTOPHORO RADZIVILO OLICÆ DVCI GREGORIVS PP. XIII.

DILECTE fili, nobilis vir, salutem & Apostolicam benedictionem. Piè sapientérque facit nobilitas tua, cùm in valetudine curanda ita vtitur humanis remedijs, vt omnem spem repositam habeat in Dei benignitate. Laudamus igitur propositum tuum, balneorum adhibendorum, & votum visendi Sepulchrum illud sacrosanctum Domini nostri IESV CHRISTI. *Speramus ab eius bonitate valetudinem tibi restitutum iri. Nostram verò atque Apostolicam benedictionem, quam postulas, & his literis impertimus, & tum sanitatis recuperationem, tum læta & felicia omnia, tibi ab ipsius Domini nostri benignitate precamur. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die vltima April.* M. D. LXXVIII. *Pontificatus nostri anno septimo.*

Ant. Buccapadulius.

Ceterùm valetudo, cùm licet non adeò, meliore tamen loco esse cœpisset, in patriam redire cõstitui, quòd in Germania nullum habebam, cum quo de itinere hoc ineundo conferre possem, quod multorum, & meo quoq; iudicio cumprimis arduum & periculosum videbatur. Autumno itaque insequente, reuersus in patriam, constitui æstate proxima in Italiam, inde in Palæstinam proficisci: cúmque eadem hieme Stephanus Rex primò in Magnum Lithuaniæ Ducatum adueniens, expeditionem bellicam aduersus Moscouiæ Ducem, æstate anni 1579. suscipere decreuisset, conuenire videbatur militari professioni meę, vt & ipse Regi meo, aduersus communem patriæ hostem, operam meam impenderem. Hunc itaque annum vnà cum

Steph. Regis in Moscouiã expeditio.

cum alijs Lithuanis,in Polocenſi bello conſumpſi : cúmque ibidem ictu bombardæ in capite læſus , ex vulnere, Deo iuuante, conualuiſſem ; ad votum illud meum adimplendum , recenti diuino beneficio , non mediocriter me permotum & incitatum ſenſi.

Anno Domini 1580.profectus ſum in Italiam,eo conſilio, vt remedijs & thermis, quod feci, adhibitis, deſtinatũ iter proſequerer; cumque ex Medicorum præſcripto, has & illas obeundo,nonniſi menſe Auguſto vltimas thermas abſoluiſſem,æſtas integra ſic eſt exacta : & cùm ſub ipſam hiemem Venetijs ſoluere conſtituiſſem , naues è partibus illis reuerſæ, nuntiarunt hoc ipſo anno 1580. peſtem in Græcia , Syria , Palæſtina & Ægypto graſſari ; quæ in tertium vſque annũ,licet ſenſim decreſcendo prorogari conſueuit. Primo etenim anno ſæuit atrociſſimè, ſecundo non item, tertio minùs: qua quidem in re ſingularem Dei benignitatem licet admirari,quę hac in parte,pro immenſa ſua miſericordia minùs Chriſtianos , quàm paganos affligi permittit. Hoc nũtio accepto,dehortabantur omnes, ne me in apertum periculum conijcerem : ſed & naues, quæ futura æſtate vela in oras illas facere debebant, remiſſiore ſtudio adornabantur. Intereà allatum eſt quoque, Regem Stephanum in ſequentem annum , denuò contra Moſcum exercitum ducere. Quamobrem,licet non adeò firma valetudine , anno 1581. hieme peracta in patriam ſum profectus , & æſtatem integram cum Rege in caſtris ad Pleſcouiam trãſegi. Domum inde hieme reuerſus,cùm propoſitum itineris in Palæſtinam ſuſcipiendi omnibus, me non celante , innotuiſſet,illiąue me ab eo vehementer auocarent; cœpi & ego nonnihil vacillare, & votum illud meum ita interpretari,quòd nõ niſi priſtinę valetudini reſtitutus , ad illud implendum adſtrictus eſſem ; nunc verò me experiri,quòd cum ętate languor itidem creſceret.Cogitationes eiuſmodi cùm in animo ſępiùs obuerſarẽtur, &

Peſtis in Ægypto & Palæſtina.

Pleſcouienſis obſidio.

ego,

ego,more ſolito,in exiguis orationibus rei ſucceſſum Deo commendarem,viſum eſt, per Confeſſionem,& ſacroſanctæ Euchariſtiæ perceptionem, diuinum auxilium implorare: vnde ſtatim in mentem venit; etſi non ſatis firma valetudo, talis tamen eſſet, per quam incedere, negotia tractare,in militiam proficiſci, longiora quoque itinera peragere,mihi liceret. Quamobrem, cùm hæc in gratiam terreni Regis,vel familiarium, aut neceſſitatis alicuius cauſſa facere nõ detrectem,cur eos itineris labores ſuſcipere non poſſem,quos me ſubiturum ipſi Deo ſanctè promiſi; qui ſolus Rex regum eſt omnium maximus; à quo bona nobis omnia proueniunt;à cuius manu,non aliunde,quę neceſſaria ſunt,ad nos deriuantur? Totum itaque me diuinę ipſius prouidentiæ permittens, firmiſſimè conſtitui, quacumque tandem valetudine præditus eſſem, ſacrum hoc iter ingredi,firma ſpe fultus, me illud,Deo auxiliante, abſoluturum: etiamſi mori contigerit iſthic, me non grauiter laturum, vbi ſacra redemptionis noſtræ loca oculis corporeis intueri, & voti compotem fieri, diuinitus mihi conceſſum fuerit.

Quamobrem anno Domini 1582. rebus domeſticis diſpoſitis, & vltimæ voluntatis meæ teſtamento condito, cùm me in patriam numquam ampliùs rediturum exiſtimarem,menſe Auguſto Grodnam ad Regem Stephanum profectus ſum,vt conſilium profectionis Ieroſolymitanæ patefacerem, illiq́; valedicerem. Dehortabatur quidẽ ille varijs modis me à propoſito ſuſcepto;quoniam tamen vota Domino reddenda eſſent, quorum commutatio à Sede tantùm Apoſtolica peti deberet, perſuadere modis omnibus mihi conabatur, vt Romam potiùs me conferrem, quàm adeò affecta valetudine, tam periculoſo itineri me committerem. Ceterùm cùm reſpondiſſem, me omnino conſtituiſſe, iter hoc aggredi; à quo ſi deſiſterem, & iræ diuinæ offenſam,& hominum voculas,& nonnullam exiſtimatio-

ſtimationis iacturam pertimeſcerem; quàm maximè potuit hortabatur, vt, quod ſuperiùs attigi, Conſtantinopolim proficiſcerer; diligenter ſe curaturum, vt minore difficultate & periculo, metam tantopere deſideratam attingerem. Obtenta à Rege diſcedendi venia, Neſuiſium redij: cumq; omnia in procinctu haberem, Sacramentis Eccleſiaſticis munitus, in Dei nomine, die 16. Septembris, anno Domini 1582. iter ſum ingreſſus: & cùm in hunc ipſum annum correctio Kalendarij Gregoriani incidiſſet, menſe Nouembri Italiæ fines attigi: ac, vbi in quibuſdam Lombardiæ locis, pro mea tenuitate, deuotioni aliquantiſper vacaſſem, die octaua Decembris, ipſo die Conceptionis beatiſſimæ Virginis, cùm diebus aliquot antè familiam meam Veronam præmiſiſſem, Venetias perueni, ſtatimque Ducem Nicolaum de Ponte cum literis Regijs adij; à quo Rex diligẽter poſtulabat, vt me Præfectis, quos in Græcia & locis maritimis habent Veneti, diligenter commendaret: quod eò minore negotio obtentum, quia ſatis iam anteà, & ego & familia mea Venetijs erat nota. Egi itidem cum Procuratore Terræ ſanctæ, qui ſemper in monaſterio ſancti Franciſci *della Vigna* reſidet, & erat tum in hoc ipſo officio Frater Ioannes de Candia. Contuli & cum F. Ieremia de Breſſa loci Guardiano, qui bis fratrũ ſui ordinis in Terra ſancta prælatus, duodecim annis Ieroſolymis manſit. Ab his quemadmodum me gerere deberem edoctus, dedi operam, vt prima naui, quæ ſtatim poſt Epiphaniam, & maris pro recepto Eccleſiæ ritu benedictionem, ſoluit, vela facere poſſem; eaque de cauſſa maximè diſcedere adproperabam, vt ſacrum Paſcha Ieroſolymis peragere mihi liceret. Ex quorumdam itaque conſilio, oblata mihi fuit nauis (Galeonem Tornelli vocabant, à Tornello mercatore, cuius erat, denominatam) nonadeò quidem magna, nempe ſexcentorum tantùm doliorum capax; nec noui operis, nam ante tredecim annos erat fa-

Annus Kalendarij Gregoriani.

Nicolaus de Ponte Dux Venetus.

Benedictio maris, menſe Ianuario apud Venetos.

bricata;ſed celeritate tamen,& boni euentus nomine valdè commendata,quæ nauclerum peritum haberet Auguſtinum de Giacomo: cum quo,quandoquidem poſt Epiphaniam diſcedere debebat, tractationem de profectione iniui. Atque hac etiam in re ſingularem in me Dei benignitatem & clementiam agnoui, quòd ſpe celerioris diſceſſus,ceteris nauibus omiſſis, huic potiùs adhæſi. Nam cùm ingens oneraria nauis,Ruggina dicta, ſub finem Ianuarij anni 1583. ſoluiſſet (quæ res mihi cumprimis moleſta fuit)vix dum portu egreſſa,tempeſtate apud Foſſam Claudiam iactata, vix periculum,eiectis omnibus anchoris & malo abſciſſo, euaſit: ita vt ægrè admodũ,ad Iſtriam aliquot Italicis milliaribus Venetijs diſtantem,adpelleret; vbi integra hieme ſubſtitit: quam qui conſcenderant, Venetias redire ſunt coacti. Hæc eadem nauis,antequam nos Cyprum adnauigaremus, vna tantùm die Tripolim verſus vela fecerat. Circa medium Februarij menſis, ſoluerunt aliæ duæ minores naues Alexandriam verſus. Quamobrem lõgioris morę pertęſus,licet per Ægyptum via remotiorIeroſolymam eſſet, vnam ex illis conſcendere deliberaueram: ſed cùm non adeò magnæ eſſent;& gubernatores, qui Patroni vulgò dicuntur, parum expertos haberent; ne tale quid facerem,aliqui diſſuaſerunt. Et hîc benignè mecum egit immenſa Dei miſericordia. Nam vna ex illis non longè à Raguſa perijt, altera prope Corſicam inſulam vi tempeſtatis concuſſa, ita diſſoluta eſt, vt inde vnus tantùm vix incolumis euaſerit. Scripſi deinde ad Pontificem, ſignificans illi, quòd literis eius prioribus acceptis, diuerſis cauſſis impeditus,iter ſacræ peregrinationis hactenus ingredi non potuerim: nunc quandoquidem in procinctu eſſem, facultatem adeundi ſacrum Sepulchrum denuò mihi concedere dignaretur. Moris enim eſt, vt quicumque ſacram hanc peregrinationem ſuſcipit,is facultatem in ſcriptis à Pontifice, aut ab ijs qui

Ieroſolymitana peregrinatio abſque Pontificis Romani facultate ſuſcipi ritè non poteſt.

ſunt

sunt ad eam rem delegati, habere debeat: alioquin Catholici vitant eius consortium, & se apud Religiosos illius loci suspectum reddit, quòd non sit germanus Ecclesiæ Catholicæ filius. Communiter etiam accidit, quòd ij qui videndi tantùm (quibus rarò id feliciter cedit, quandoquidem vel in mortem inopinatam, vel in casus miserabiles incidunt) & non deuotionis caussa eò veniunt, multum negotij Catholicis facessunt, propter insolentiam & incompositos mores: vnde non solùm damnum, sed etiam periculum Catholicis accersunt. Nam vbi quid indignum perpetrauerint, Catholici pœnam culpæ sustinere, & in pecuniæ defectu, ne in seruitutem Turcicam deueniant, pauperes Religiosi eos redimere coguntur. Quamuis autem pro ea familiaritate, quæ mihi à plurimis annis cum clarissimis quibusque in Italia viris intercesserat, etiam absque eiusmodi literis me itineri committere potuissem; nec à religiosis viris, mihi iam aliqua ex parte anteà notis, aliquid difficultatis pertimescendum erat: volui tamen, cautionis caussa, de ijs omnibus mihi prouidere, quæ laudabilis Ecclesię consuetudo postulat; maximè verò peregrini munus obeundo, peregrinorum quoque iuribus vti, & summi Pontificis benedictionem obtinere, cumprimis necessarium esse iudicabam. Pontifex literis meis acceptis, quas illi Georgius Ticinius Scholasticus Vilnensis, Regis Poloniæ in Vrbe Agens reddiderat, quæsiuit ex illo, num iam omnino iter hoc tam longum, non confirmata valetudine, & eo tempore quo piratę plerumque mare infestum redderent, Ingredi constituissem: nec obscurè ferebat, si Romam veniissem, quòd libenter voto in alia pietatis opera commutato, super eiusmodi profectione mecum dispensaturus erat. Quoniam tamen à tam sancto instituto dehortari minimè licitum videbatur, cùm iam de constanti mea voti explendi voluntate illi constaret, & literas patentes, quas hîc subiunxi, mihi

humaniſſimè conceſſit, & calculos oratorios, cum maximis adiunctis Indulgentijs ſeu gratijs ſpiritualibus miſit, conditione adiecta, vt ſingulis diebus in meis orationibus ipſius memoriam numquam intermitterem ; quandoquidem ipſe quoque in orationibus ſuis, profectionis huius meæ exitum felicem, aſſiduè Deo repræſentare non ceſſaret.

DILECTO FILIO NOBILI VIRO NICOLAO RADZIVIL DVCI OLICÆ ET NESVISII magni Ducatus Lithuaniæ ſupremo Marſchalco

GREGORIVS PP. XIII.

DILECTE *fili, nobilis vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Exponi nobis nuper feciſti, quòd tu deuotionis zelo & feruore ductus, cupis ſepulchrum Dominicum Ieroſolymitanum, ac forſan alia vltra maria Terræ ſanctæ pia loca viſitare, ſi tibi ad id noſtra & Apoſtolicæ Sedis licentia ſuffragetur & facultas. Quare nobis humiliter ſupplicari feciſti, vt tuo pio deſiderio huiuſmodi in præmiſſis annuere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur te ſpecialibus fauoribus & gratijs proſequi volentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi, vt ſepulchrum Dominicum, & alia vltra maria Terræ ſanctæ loca prædicta perſonaliter viſitare liberè & licitè valeas, dummodò prohibita ad partes infidelium non deferas, plenam & liberam licentiam & facultatem, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris die* XXII. *Ianuarij,* M. D. LXXXIII. *Pontificatus noſtri anno vndecimo.*

Cæſ. Glorierius.

GRE-

GREGORIVS PP. XIII.

VNIVERSIS & *singulis, Regibus, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Dominijs, eorúmque Magistratibus, necnon Capitaneis classium & nauium, ceterísque Dominis temporalibus, & nostris ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ mediatè vel immediatè subiectis, salutem & Apostolicam benedictionem. Cùm nobilis vir, Nicolaus Christophorus Dux Olicæ & Nesuis, Magni Ducatus Lithuaniæ supremus Marschalcus, sicut nobis nuper exponi fecit, deuotionis feruore accensus, sepulchrum Dominicum Ierosolymitanum, propediem concedente Domino visitare cupiat: nos pro singulari nostra erga dictum Ducem charitate, ei tutum & securum iter vbique esse exoptamus; vos omnes nobis non subditos plurimùm hortamur, & requirimus, subditis verò nostris arctè præcipimus ac mandamus, vt si Ducem prædictum ad loca vestra & nostra peruenire contigerit, ipsum vnà cum eius comitibus ac familiaribus, benignè & liberaliter recipere, complecti ac tractare, cùm pro eius dignitate, tum etiam nostro intuitu velitis: & illi si opus fuerit, & vos duxerit requirendos, de idoneo præsidio & saluo conductu, promptè prouidere curetis. Sícque efficiatis, vt vos de propenso erga dictum Ducem animo, meritò commendare, & in occasionibus parem vobis gratiam referre valeamus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die* XXII. *Januarij,* M. D. LXXXIII. *Pontificatus nostri anno vndecimo.*

Cæs. Glorierius.

Intereà dum iter apparamus, & in horas abitum exspectantes res etiam in nauem inferri curamus, diuina quadam ordinatione fiebat, ne soluere per aliquas moras possemus: & apparuit posteà, præclarè actum fuisse, quòd nauis hæc nostra, tardiùs quàm constituerat, mari sese commiserit. Quamobrem totam Quadragesimam, & Pa-

ſchalia feſta Venetijs egimus, deuotioni, quantum diuina gratia largiebatur, inſiſtentes. Tandem Sabbato ante Dominicam in Albis, anno Domini 1583. die 16. April. hora circiter vigeſima ſecunda, ſcapha conſcenſa, Venetijs ad Monaſteriũ S. Mariæ *della Gratia* Fratrum S. Hieronymi in Inſula peruenimus, (quo in loco manè iam habitu peregrini indutus, ſanctiſſimo Sacramento percepto, diuinæ Maieſtati orationibus meis exilibus profectionem hanc meam, vt eam benedicere dignaretur, ſupplex commendaueram) inde in portu Malamoci, naue poſt occaſum Solis conſcenſa, tertia noctis hora ſoluimus anchoras: & in aurora inſequentis diei, quæ fuit 17. Aprilis, portu egreſſi, hac ipſa die & nocte luceque ſubſequenti, leui vento flante, ſinum Tergeſtinum prætergreſſi ſumus: cumque ventus flare penitus deſijſſet, ſubſtitit nauis prope Parentium vetus Iſtrię oppidum, quod nõ adeò magnũ ſed loco peramæno ſitum, antiquitatis cuiuſdam ſpeciem refert. Nonnulli volunt illud poſt raptam Helenam à Paride conditum, & ab eius nomine Paridinum anteà appellatũ. Naues onerariæ huc adpellere non poſſunt: vnde & noſtra quarta milliaris parte ab eo littore abfuit. Ego ſcapha conſcenſa, cùm ad Eccleſiam Fratrum Conuentualium ſancti Franciſci, vbi Miſſam audiui, deſcendiſſem, oppido perluſtrato, ad nauem poſteà redij. Circa veſperam, leni vento ſpirante, dicto loco mouimus: & in aurora, ad portum deſolatum in Dalmatia, Torreta vulgò dictum, peruenimus: vbi propter contrarium ventum, qui inter Orientalem & Meridionalem medius, Sirocco ab Italis vocatur, triduum hærere fuimus coacti. Et quoniam inde ciuitas Zara quinque milliaribus abeſt, iactis anchoris, ſcapha peruenimus ad inſulam Sala, pedeſtrique itinere, ad eiuſdem nominis villam, medium milliare progreſſi, circa Meridiem ad hoſpitium diuertimus: in quo ruſticos potationi vacantes reperimus: qui cùm

Iſtria.

Parentium oppidum à Paride conditum.

Dalmatia.

nos

nos habitu peregrinorum indutos,& lingua Polonica vti (quam & illi intelligebant,cùm Sclaui essent)animaduertissent,& ignorarent nauem nostram ad Insulam appulisse,credebant nos exploratores esse, cùm præsertim nonnullæ Turcarum arces in propinquo essent, quarum vna Bokal dicta,breui maris interiectu,vno tantùm & medio milliari ab illis distaret. Constituerant itaque nos comprehendere, & iam pro funibus, quibus nos vincirent, socios quosdam præmiserant. Quamuis autem haberem literas Venetorum patentes, quibus subditis præcipiebant, vt in ditionibus eorum omne mihi officiorum & humanitatis genus exhiberent, eas tamen illis ostendere nolui;ne vt erant ebrij,vi abreptas discerperent vel deperderent. Quamobrem vt nos ad Superiorem quem habebant,deducerent,petiui:quod etiam fecerunt:cumq; vnà pergeremus, habuerunt quosdam è suis obuios,qui illis nuntiarunt plures è nostris apud Ecclesiam adesse. Venerat autem eò Albertus Episcopus Sidoniæ, cum duobus Societatis Iesu Sacerdotibus,Leonardo Siculo & Ignatio Hispano,quos Gregorius XIII. Pontifex,Catholicæ religionis propagandę caussa,in Syriam mittebat: qui eadem nobiscum naui Tripolim Syriæ peruenerunt. Vbi igitur plures ex nostris viderunt,& Notarium nauis Hieronymum Varuani,anteà sibi notum,conspexerunt,nihil nobis ampliùs exhibebant negotij: immò cùm apud Parochum pranderemus, apud me culpam deprecati sunt, quòd subuerebantur,ne apud Zaræ Magistratum eos deferrem. Sumpto prandio,scapha conducta,Zaram ciuitatem Venetorum in Dalmatia egregiè munitam, post horam vigesimam primam perueni: vbi cùm ad portum Venetorum Prætor Vincentius Morosinus deambularet,scire volebat,an ex locis infectis veniremus. Egressus scapha Notarius nostræ nauis,literas patentes, quas habebam,illi ostendit: quibus lectis, in terram nos descendere iussit;

Zara ciuitas Dalmatia.

iussit; & post salutationem, in ciuitatem introduxit, munitiones ostendit, & hospitio in palatio honorificè excepit. Postridie, quòd festum sancti Marci esset, in Ecclesiam iuimus; Processioni, quæ per ditiones Venetorum magna cæremonia vbique peragitur, interfuimus; Ecclesias aliquot visitauimus; præcipuè sancti Simeonis illius Euangelici senis, qui Christum puerum in vlnis gestauit: cuius sacrum corpus sub altari maiori ibidem planè integrum, nec putrefactum, religiosè asseruatur: quod vidimus accuratè, & attrectauimus. Prandio peracto, ex palatio ad portum descendimus, & inde nauicula post solis occasum ad nauem nostram reuersi sumus. Cùm essemus Zaræ, fuit deposita contra milites querela, qui centum viginti in eadem nostra naui, in Cretam à Venetis mittebantur. Prætor misit statim, vt quidquid alicui illatum esset damni, subitò refunderetur.

S. Marci festum per ditiones Venetorum celebre.

S. Simeonis senis Euangelici corpus incorruptũ.

Soluimus manè ex eo portu, & die nocteque insequenti, vento Aquilonari, qui inter Septemtrionem & Orientem est, prope Balonam Turcarum ciuitatem vehementissimè iactati sumus.

Balona Turcarum ciuitas.

MAIVS.

Ex mari Adriatico in Mediterraneum delati sumus.

Corcyra. Præteruecti sumus Corcyram insulam sub vesperam: 3.

Cephalonia. nocte verò ipsa Cephaloniam. 4.

Zacynthus. Appulimus hora decimaoctaua Zacynthum. Accessi 5. statim ad monasterium Fratrum minorum de obseruantia B. Mariæ: cuius loci erat tum Guardianus Frater Bonifacius de Bergamo. In hoc monasterio visitur lapis vetustus sepulchri Ciceronis, cum inscriptione literis Græcis exarata: ibidem in vrna itidem lapidea dicuntur eiusdem cineres esse repositi. Insequẽti die, Marcus Antonius Venereus, Prætor Venetus, inuitatum lautè me tractauit in arce quæ in alto monte posita, antiquo opere, forma

Ciceronis sepulchrum.

rotun-

rotunda est constructa. Altera die Missam audiuimus in monasterio S.Eliæ,Fratrum Conuentualium sancti Franciſci: quod in amœnissimo colle positum ciuitati imminet. Hortum habet non adeò magnum, sed cumprimis elegantem. Nullibi maiora poma citrina, mala aurea, & limoniorum,in tota Græcia(ipsorum Gręcorum testimonio)proueniunt,quàm hîc & in hac tota Insula: vnde vuæ passæ minoris,vasorum ducenta millia annuatim,vini verò rubri & albi circiter triginta millia doliorum extrahuntur: quod & Marcus Securius Venetus,qui telonium tunc temporis ibi conduxerat, & ceteri mercatores pro certo affirmabant.Sumpto prandio,profectus sum ad Ecclesiam Græcorum sanctæ Mariæ de Piscopo dictam,quę magno milliari ab ipsa ciuitate, in monte altissimo, vnde Arcadia conspicitur, est posita. Habentur in ea Venetorum excubiæ contra Turcas. Insula hæc frequentes habet terræmotus: quam etiam ob caussam depressiora hîc construuntur ædificia : immò me ipso præsente, noctu terra itidem concutiebatur, breuiter tamen & leuiter.

Vuæ passæ Zacynthinæ.

Terræmotus.

Hora vigesimatertia Zacyntho soluentes,præteruecti sumus ad læuam arcem Turcicam Torneſe in Peloponneso, quæ vno & dimidio milliari à Zacyntho mari interluitur.

9. Præterijmus Strophadas insulas, in quarum vna est monasterium Græcum S.Basilij,quod monachi,Calloieri vulgò dicti,inhabitant.

Strophades insulæ.

10. Præterijmus insulam Sapientiæ.

11. Transijmus promontorium Matapan.

12.13.14. Iactati sumus vento validissimo.

15. Hora vigesima prima, inter insulam Cytheream & promontorium Manlium,ingressi sumus mare Ægæum, valido,secundo tamen, vento Cauro, qui inter Occidentem & Septemtrionem medius est, delati.

16. Circiter meridiem ad promontoriũ Cretæ Fraschiam, olim

Creta.

olim Paleo castro, anchoras iecimus: & scapha conscensa circiter horam vigesimam secundam venimus Candiam, olim Candax: cumque portum propter ventorum violentiam attingere non possemus, descendimus ad littus, vbi aliquamdiu exspectauimus, dum literæ nostræ patentes examinarentur, è quibus constaret, nos è locis pestilentia non infectis venire. Ingressus ciuitatem, ad monasterium S. Francisci diuerti. Postero die Dux Candiæ, Nicolaus Donatus, in palatio me prandio excepit. Profectus sum terrestri itinere, circa radices Idæ montis, ad Labyrinthum Thesei, qui hodie quoque idem nomen retinet. Ego cum ijs sentio, qui locum hûc non labyrinthum sed lapidicinam esse volunt: cuius rei argumentum esse potest, vel ingens vis lapidum, qui passim vbique iacent, tum vestigia curruum, quibus eiusmodi lapides extrahebantur. Multa habentur hîc subterranea diuerticula, quæ nisi accensa face adiri non possunt. Tanta autem est ibi vespertilionum multitudo, vt diligens adhiberi cautio debeat, dum obuolant, ne lumen extinguant, & perpetuis tenebris homines inuoluant. Illud etiam cumprimis admiratione dignum est, dum à Septemtrione ad Meridiem itur, per montes, tam repentinam cæli & aëris mutationem in ea Insula reperiri; vt dum circa Gortynam, ante dies octo messis absoluta fuerit, circa Candiam adhuc omnia in campis conspiciantur: illic fructus iam planè maturi habeantur, hîc ad Septemtrionem à maturitate longiùs absint. Porrò cùm tardior hora reditum Candiam impediuisset, noctem duxi in exiguo quodam cœnobio S. Francisci de Obseruantia, in quo tres tantùm erant monachi: qui mihi narrarunt, tribus circiter ante meum aduentum hebdomadis, accidisse; quòd cùm nonnulli videndi gratia, labyrinthum hunc ingressi essent, vnus ex dicti monasterij fratribus, eosdem comitatus, per errorem ab ijsdem derelictus, in cauerna, quarum infinita est hîc multitudo, tenebris

Labyrinthus Thesei in Creta.

Aëris mutatio intra breue spatium locorum.

nebris obrutus remansit, monachis loci existimantibus, eum cum comitatu, Candiam fuisse profectum. Tertia demum die, bona fors tulit, quòd exteri quidam dictos Labyrinthi anfractus ingressi, in eumdem monachum inciderunt: qui fame confectus, extra se positus ac sensibus ferè destitutus, sedens mortem opperiebatur. Hunc agnitum in monasterium reduxerunt, qui diu grauiter infirmatus, ac in maniam prolapsus, diligenti cura adhibita, vix sanitati tandem fuit restitutus.

19. Lustraui ingentes ruinas ciuitatis Gortynæ; quam Taurus Rex, rapta Europa Agenoris filia, de nomine suæ matris appellatam, quondam condiderat. Fuit ciuitas hæc sub ipso Labyrintho, in parte inferiori sita: vnde apparet, eam ex lapidibus his constructam fuisse, qui de medio montis excisi, demittebantur. Ampla & elegans vrbs hæc erat, prout colligitur è multitudine pulcherrimarum columnarum, quæ densitate sua, à longè siluæ alicuius speciem repræsentant. Visuntur hîc etiam vestigia dirutæ Ecclesiæ, quam elegantem & magnis sumptibus fuisse constructam apparet. Sed præcipuè admirationi habetur pons integer, fluuiolo ex ingentibus quadratis lapidibus impositus, qui nec plumbo nec cæmento compacti, securum transitum etiam hodie vicinis incolis præbent. Hac eadem die vesperi Candiam redijmus.

Gortynæ ciuitatis ruinæ.

Taurus Rex raptor Europæ.

Pons lapideus.

Dux Candiæ prædictus, Franciscus Barbarigus militum Præfectus, Victorinus Buon & Ioannes Marcus Molin Consiliarij, me assumpto, Missam in Ecclesia audiuerunt: vbi ex alia parte altaris, quod in templi medio erectum est, Græcum itidem Sacrum celebrabatur. Nam veterum Pontificum indulto cautum est, vt eius Insulæ Magistratus, nonnullis diebus solennioribus, Græcorum Sacris interesse debeant: quod ipsum & alijs Catholicis, absque scrupulo conscientiæ facere licet, & Græcas Ecclesias frequentare, vbi Catholici ritus templa non habentur,

quorum in pagis magna est raritas. Inde itum est, cum
S. Titi caput. Processione ad summum templum S. Titi, cuius venerandum caput integrum, magna cæremonia, spectandum populo proponebatur. Sumpto prandio salutaui Archiepiscopum; qui, permissu Pontificum, birreto & habitu Cardinalitio in Candia vtitur, eoque modo indutus in Ecclesiam venit, & nobis Diuorum reliquias, quæ plurimæ ibi asseruantur, videndas exhibuit.

Prandio apud Barbarigum Capitaneum sumpto, ad na- 21.
uem profecti sumus. Intereà ventus validissimus est exortus, vt proiecto ex naui fune, non absque labore, nos ad illam attrahi fuerit necesse. Quamobrem in alterum vsque diem nauis hîc necessariò hærere debuit: cumque rupto fune, anchora fundum petiuisset, duas alias iacere fuit opus; & nisi vētus cessasset, vix nauis effugisset periculum.

Hora secunda noctis, inter Standiam insulam, vento 23.
prospero nauigauimus.

Præterijmus Turcicas insulas Carpathon & Rhodum: 24.
quas, cùm nox esset, à longè videre non potuimus.

Ingressi sumus mare Lycium, nocte verò Pamphilium. 25.

Cyprus. Hora decimanona vidimus insulam Cyprum: sub ve- 26.
Paphus. sperã autem præternauigauimus Paphum.

Summo manè adnauigauimus Lemissum, cùm pridie 27.
quàm eò venissemus, quatuor Ducis Florentiæ triremes ex improuiso irruentes, oppidum hoc vastassent; Turcis aliquot captis, & ad triginta interfectis. In littore stat turris, cuius bona pars ante annos aliquot terræ motu collapsa, nonnullos è Turcis oppressit. Cùm situm loci consideraturus, è naui egressus essem, occurrit nobis fanaticus quidam, (genus hoc hominum Maslokos appellant) in manu cultrum latiorem, nouaculæ instar, habens: qui cùm nos peregrinos esse animaduertisset (eramus autem quatuor) ad nos accedens, percunctatus est, inquiens; Quidnam mihi dare vultis, vt me pro salute Cæsaris domini mei

ferro

ferro incîdam? Postulabat autem hoc nomine, nummum, quem Turcæ Maydin vocant, sibi dari. Nos ne pecuniam facilè profundere videremur, finximus nos Maydinis non abundare: accipientes tamen, quasi cum difficultate, vnum mutuò ab Italo quodam mercatore, qui ibidem in Cypro manebat, & nobis præsens aderat, obtulimus illi eumdem, vt nos pauperes esse intelligeret; significauimúsque illi per interpretem, nos non cupere, vt carnes incîdat. Ille, accepto Maydino, in pectore duo vulnera satis profunda tractim sibi inflixit. Erat cumprimis horridum, sanguinem copiosè manantem videre. Apparebat hominem fuisse non adeò mentis compotem, quales ferè solent esse omnes, qui Maslokum in pulueres redactum hauriunt. Medentur autem aqua fontis, cum quibusdam herbis adhibita, huiusmodi vulneribus: quæ non ita multo tempore obducuntur, provt in hoc insano videre licuit, qui pellem satis benè concisam habebat. Hinc apparet, quàm turpes, & hominibus Christianis abominabiles sint barbarorum istorum mores. Nolebamus nos initio aliquid huic belluæ conferre, incisionem eius nihil morantes: sed mercator prædictus admonuit, dandum illi omnino nummum eiusmodi; ne, si illi negatus fuisset, aliquem cultro vulneraret: quod eiusmodi nebulones plerumque Christianis facere solent, amentiam simulantes.

28. Oppidum perlustraui, quod & valdè conquassatum.

29. Dominica Pentecostes, Episcopus Sidoniæ præfatus, Missam priuatam in Ecclesia Græcorum celebrauit; ex cuius manibus, omnes ferè qui eadem naui vehebamur, sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum percepimus.

30. Nocte, loco prædicto mouimus.

31. Delati sumus ad Salinas: vbi sicut intensum frigus glaciem, ita sol vi sua salem astringit, vt supra liceat ambulare, licet subtus aqua remaneat, quæ dulcis & boni saporis est. Primo Autumno, humiditate superueniente, sal hoc

Sal in modum glaciei congelatum.

ſtatim liqueſcit: qua de re cùm plerique ſcripſerint, ego plura commemorare nolo. Non procul inde eſt oppidum Larnica, quod ferè mille domos habet: ſed proximo bello Turcico valdè nunc eſt deuaſtatum. Quoniam autem captandæ quietis cauſſa, hîc aliquantùm ſubſtitimus, viſum fuit, principium hoc nauigationis meæ tibi perſcribere, plura deinceps de rebus noſtris ſcripturus, vbi ſeſe obtulerit occaſio. Vale. Datum apud Salinas Cypri, die vltima Maij, anno Domini M. D. LXXXIII.

EPISTOLA SECVNDA.

ARGVMENTVM.

ITER Cypro Ieroſolymam, Ieroſolyma Tripolim, inde in Ægyptum proſequitur. Terram ſanctam, Ciuitatem Ieroſolymitanam, aliaque loca ſacra deſcribit. Quomodo peregrini Ieroſolymam, quomodo, & quoties in Baſilicam S. Sepulchri intromittantur. Situm S. Sepulchri; Regum & Prophetarum Iudææ, Regum item Chriſtianorum monumenta; militiam S. Sepulchri, & quomodo cum familiaribus ea inſignitus; montes Ieroſolymitanos, agri Haceldemach naturam; Baſilicam S. Præſepij, loca Natiuitatis & Circumciſionis Domini, ſpecum in quo Innocentes ſepulti, alium in quo B. Virgo latuit, patriam S. Ioannis Baptiſtæ, ciuitatem Ierichuntinam, Eliſei fontem, Cœnaculum Domini, quod Chriſtianis ingredi nefas, & quomodo ipſe illuc ingreſſus, pompam apoſtaticam Turciſmi, ciuitatis Tripolitanæ admiranda, multaque alia planè iucunda, recenſet.

IVNIVS.

DE ratione nauigationis meæ, qualiter Cyprum peruenerim, inde tibi perſcripſi. Poſt datas ad te literas inſequenti die, videlicet Kalendis Iunij, conduxi nauem non adeò magnam, quam in partibus iſtis Caramuſanum vocant, cuius nauclerus erat Arabs Chriſtianus. Quod cùm Turcicus loci Prefectus, quem Cadium appellant, didiciſſet, Græco quodam auctore (qui antè annos aliquot

quot Mahometanam perfidiam fuit amplexus, cùm esset loco cumprimis honesto in Cypro natus, & qui in oppugnatione Nicosiæ fortiter & præclarè se gesserat, multósque Turcas manu sua confecerat) vela & nauticos funes nobis statim abstulit, ne nauigare possemus, antequam illi aliquid largiremur. Plerumque enim Turcæ in partibus his, rapinis & calumnijs in Christianos confictis, victitare solent. Græcus itaque hic perfidus, cùm ad nauem nostram veniisset, comiter illum accepimus, illiq́ue nonnihil donauimus: qui obtinuit à dicto Cadio, vt quæ nobis fuerant ablata, restitui mandaret.

2. Hora noctis secunda, conscensa nostra Caramusano, versus Terram sanctam vela fecimus. Erat in eadem naui Arabs Maronita (sic Arabes Christiani appellantur) quia apud Lemissum vnà cum Caramusano captus erat, cùm oppidum à Florentini Ducis classe diriperetur. Hic nobis copiosè narrabat, quàm egregiè cum Turcis dimicauerint Christiani. Cùm vidissent Itali eum esse Christianum, liberè è triremibus dimiserunt: debuit tamen ad milliare Italicum, per mare natando, ad quamdam Insulam desertam peruenire, inde verò pedestri itinere, aliud etiam milliare conficere, quandoquidem triremes prope Tripolim appellere nolebant.

Turri, quæ portui ad Ioppen imminet, conspecta, Africus, qui est inter Meridiem & Occidentem, ventus flare cœpit vehementissimè: qui littus attingere non permisit, velum lacerauit, funes concerpsit. Cuimq́ue nauclerus inops consilij, Cyprum redire, & ad Caramaniam appellere cogitaret, vnde difficilis & periculosa futura esset nauigatio, quæsiuit à nobis quid fieri vellemus: Tripolim quidem tali vento nos tutò peruenire posse, si nauli pretium augere non grauaremur. Cùm itaque nauarchum perplexum viderem, auxi pretium, ad centum vsque florenos. Pactum autem hoc nouum ideò fecit, quòd Caramusa-

num

num hanc ab Arabe quodam conduxerat, & vbi nos in Ioppe expoſuiſſet, alium quemdam iſthic debebat opperiri: compenſari itaque ſibi volebat, quòd Tripolim verſus nauigandum eſſet. Tenſis igitur velis, pleno vento ferebamur: & prętern auigauimus Alepdanam, Caſaturam (olim Cæſaream) Atarturam, Atelit; poſt promontotium verò Carmeli, à quo non procul abeſt Ptolemais, ſed tota diruta, Sareptam Sidoniorum, de qua 3. Reg. 17. Luc. 14. quæ ciuitas poſita eſt ad radices montis Carmeli, in cuius ſummitate monſtratur locus, in quo Elias altare conſtruxerat, de quo habetur 3. Reg. 10. Tyrum itidem & Sidonem: quæ ciuitates in eleganti planitie quatuor milliaribus noſtris ab inuicem diſtant. His in monte ſuperemineré dicitur Cæſarea Cappadociæ, in qua S. Dorothea coronam martyrij eſt adepta. Sequuntur deinde decem tantùm milliaribus à Tripoli, Berytum & Anefa ciuitates, vbi mons Libanus aſſurgit. Hæ vrbes ſitæ ſunt in Syria Phœnices, quas plerumque inhabitant Chriſtiani quos Druſianos appellant, quibus liberum eſt more Turcarum album capitis integumentum geſtare. Sunt autem ex reliquijs Gallorum, qui Terram ſanctam Saracenis eripuerant: ſed adeò diſſolutam, & vel ipſis etiam paganis turpiorem vitam ducunt, vt plura de illis differere, ne piæ aures offendantur, minùs neceſſarium videatur.

Mons Carmeli.

Tyrus & Sidon.

Cæſarea Cappadociæ.

Berytum.

Druſiani, Chriſtianorum Gallorum reliquiæ.

Cùm ſexaginta milliaria, intra ſpatium decemocto horarum confeciſſemus, vento vehementi & procelloſo turbine, in portum Tripolis hora vigeſima ſecunda delati ſumus: vbi proiectis anchoris, vix tamen ſubſiſtere potuiſſemus, niſi Turcę de naui Alexandrina maiori celoce adnauigantes, nobis opem attuliſſent. In littus egreſſi, ad medium milliare pergentes, deuenimus in ciuitatem, & diuertimus ad Fontecum, Caruaſeram, ſeu manſionem Venetorum. Situm vrbis huius multi deſcribunt, ego prętermitto. Eſt loco amœno, dimidia parte ad montem porre-

pulcherrimis hortis circumdata, fontibus irrigua; aëre tamen parum ſalubri, æſtate præſertim. Illud ſubijciam, quod neſcio an aliquis attigerit. In maritimo ciuitatis ingreſſu, prope portam ad læuam, ad lapidis iactum, eſt palatium triangulare, de quo narratur, quod patrum noſtrorum memoria ſub Solimanno Turcarum Cæſare contigit. Ariolus quidam per artem magicam didicit theſaurum alicubi in hoc loco defoſſum eſſe: quem vt ſenſim, ſídque quàm ſecretiſſimè (nam quidquid auri iſtic reperitur, ad Cæſarem pertinet) perueſtigaret, empta area illa, domum conſtruxit, quam muro prælto vndique cinxit: cumque abditiſſimas terræ partes vbique perſcrutaretur, nihil reperit. Re peruulgata, Sangiacus, (nomen id Adminiſtratoris Prouinciæ, quem locum apud nos obtinent Palatini) qui tunc temporis regioni præerat (nam non ita pridem, ab aliquot annis dumtaxat, Baſſa Tripoli reſidere cœpit) ariolo prædicto ad ſe aduocato, diligenter ab eo de rei euentu percontabatur, cumque rem celare non poſſet, faſſus eſt, ſe vehementer deceptum, nullum, quem quærebat, theſaurum reperire in hoc loco potuiſſe. Sangiacus auri cupidus, conuocauit & alios Necromantas, illisque iniunxit, vt quantum in arte quiſque polleret, eam theſauro reperiendo adhiberet. Conuenit æqualiter omnibus, theſaurum ingentem, vel hoc ipſo in loco, vel non procul inde, eſſe defoſſum. Cùm igitur Sangiacus terram diligentiùs circumcircà fodi præcepiſſet, ſpatio viginti cubitorum, à prædictis ædibus, ſub exiguo quodam colle, cuius etiamnum medietas apparet, terra vnius vlnæ altitudine effoſſa, fuit arca quædam reperta, in qua auri in maſſas conflati, ad triginta ducatorum millia erant repoſita; quæ omnia Sangiacus Conſtantinopolim miſit.

Theſaurus Tripoli effoſſus.

Perluſtrauimus ciuitatem, & quæ in ea viſu digna occurrebant. Manè fuimus apud Lemir, qui cùm telonio
9. 10. 11. præſideat, ſubiectam tamen etiam militum partem habet.

Venerat tum is Ieroſolymâ, vbi quoque telonium habebat, à Turcarum Cæſare Tripolim euocatus, vt Prouinciam in abſentia Baſſæ adminiſtraret; qui ad Perſicam expeditionem ablegatus fuerat. Hic itaque Lemir cùm ſtipatores ſuos Ianiſſaros Ieroſolymam remitteret per Damaſcum, vbi fratrem Boluch habebat, tranſegimus cum illo, vt ſecuritatis cauſſa, Ianiſſarorum præſidium, quod magnopere fuit neceſſarium, nobis adiungeret: quod, accepto honorario, non grauatim fecit. Sub veſperam itaq; duobus equitibus & peditibus totidem comitati, confecto vno & dimidio milliari, in campo ſub monte Libano noctem tranſegimus.

Mons Libanus.

Ante meridiem ſubſtitimus in Ehda, Arabum Maro- 12.
nitarum villa: deinde milliari pedibus confecto, venimus ad monaſterium B. Mariæ de Canobim, in monte Libano poſitum; vbi Patriarcha Eccleſiæ Romanæ obedientiam agnoſcit: conferebat tum Ordines infra Miſſarum ſolennia (erat autem dies Dominicus) cuidam religioſo. Habitus Patriarchæ, quo ad altare vtebatur, nihil differebat ab eo, quo noſtrates Archiepiſcopi vti conſueuerunt. Habebat Pallium, Infulam, Caſulam, Tunicellas, & Sandalia. Hoſtię eadem forma, quę apud Catholicos. Miſſa Patriarchali ritu Maronitarum finita, Leonardus Pacificus Societatis Ieſu Sacerdos, quem Prępoſiti Generalis permiſſu mecum habebam, petita benedictione à Patriarcha, more Romano Sacrum priuatum ibidem celebrauit, Caſula & Alba Patriarchæ indutus. Patriarcha ſacris veſtibus exutus, ſolitum habitum nigrum, cum violaceo capitis integumento accepit; tali namque loci illius religioſi vtuntur. Prandio nos excepit, appoſitis ouis, butyro, & oliuarum fructibus. Carnes enim illi numquam comedunt. Veſperis peractis, ad villam Ehdam redijmus.

Patriarcha ſub obedientia Romani Pontificis.

Manè diſcedentes Ehdâ, non procul à via vidimus ar- 13.
bores cedrinas viginti quatuor, quæ non ſucciduntur,

cùm

cùm in partibus illis non ampliùs reperiantur. Est arbor elegans, satis procera, diductis ramis, ad eius similitudinem, quam Modrzevv Poloni vocant. Cacumine montis Libani, vbi niues numquam liquescunt, licet calores sint ibi longè vehementiores quàm in Italia, venimus in ciuitatem Balbech, quo in loco quondam Salomon Rex magnificentissimum constructerat palatium, cùm filiam Pharaonis duceret in vxorem, de quo habetur 3. Reg. 7. Neoterici scriptores diuersas habent de his ædibus opiniones. Frater Bonifacius Stephanus Ragusinus, Prędicator Apostolicus, & Stagni Episcopus, qui pluribus annis S. D. N. mandato in Terra sancta mansit, in eo libro, quem de Terræ sanctæ contemplatione scripsit, affirmat, Salomonem domum saltus Libani in Balbech construxisse. Christianus verò Adrichomius Delphus, in sua Ierosolyma, probat illam Ierosolymis fuisse. Vtrius verior sit sententia, definire non ausim, cùm præsertim Adrichomius & Scripturæ sacræ & Iosephi Antiquitatum Iudaïcarum in libro 8. cap. 2. testimonio nitatur: illud tamen haud dubiè possum affirmare, quod accuratè & diligenter obseruaui, ita planè in Regum libris hoc palatium describi, quemadmodum in hanc vsque diem in Balbech visitur; id eò faciliùs animaduertere licet, quòd non à fundamentis dirutum, sed vetustate consumptum sensim collabitur. In descensu montis, transiuimus per fruteta collis, quem Antilibanum vocant, vbi Syria Caua vel Cœle-Syria principium habet. Ex pagis circumuicinis Ianissari & Turcæ, quorum iumentis Ierosolymam vehebamur, nostra pecunia conduxerunt ad quadraginta Arabes Maronitas, cum bombardis & arcubus, qui nos securitatis caussa deducerent: quandoquidem loca illa excursionibus Arabum & Saracenorum sunt obnoxia: qui vna antequam eò perueniremus die, mercatores Turcas adorti, quindecim ex illis interfecerunt. Sciendum autem est, octo hîc

Cedri montis Libani.

Balbech ciuitas, & palatium Salomonis.

Extat typus Ierosolymæ qualis fuit tempore Christi: in quo posita est domus saltus Libani, eo loco in quo mons Moriath terminatur: cui murus templi Salomonis impositus, præcipitium spectat: vnde liquet, domũ saltus Libani hîc subsistere non potuisse.

Syria Caua, vel Cœle-Syria.

Arabum inter se dissidentium octo vexilla.

esse Arabum vexilla, duo rubea Christianorum, sex verò alba Saracenorum, quibus omnibus malè inter se conuenit, & sæpiùs inter se confligunt: duobus hisce vexillis Christianorum dumtaxat exceptis; qui certis quibusdam cæremonijs à nobis dissident; quandoquidem, vt superiùs dictum est, Maronitæ Pontificis obedientiam agnoscunt: ceteri habent separatim superstitiones quasdam suas, ab alijs sectis diuisas, quorum in Syria magnus est numerus: quem tamen longo interuallo Maronitæ superant.

Arabes, qui alba vexilla pro signo gerũt, omnes plerumque latrocinijs & prædatione viuunt, in sua Arabia, Terra sancta, & Ægypto. Sunt tamen in Galilæa nonnulli, qui multos ouium & camelorum greges alunt, & in Tabernaculis agunt, pascua bona & salubres aquas conquirendo. Deficientibus vno in loco pascuis, vxoribus & liberis supra camelos impositis, ouium greges ad loca magis commoda propellunt: quorum in Galilæa duas turmas apud montem Thabor obuias habuimus. Porrò Arabes Chri-

Arabes Christiani in Syria.

stianiin pagis degunt, agros & hortos colunt, tam in monte Libano, quàm in Syria, præcipuè apud Damascum: in Terra quoque sancta, licet non multis adeò in locis.

Petri. Bellonij de Cæsarea Philippi error.

Petrus Bellonius Cenomannus, ciuitatem hanc Balbech, vult esse Cæsaream Philippi: neque tamen id rationibus probat. Certum est, aliam esse ad mare Cæsaream, quæ tale etiam nunc nomen retinet: cuius fit in Sacris literis mentio, quòd ad mare sit posita, vnde S. Paulus Romam nauigauit: Act. cap. 28.

Ex Balbech egressi, vbi nulla habentur diuersoria, noctem in campis ducere coacti fuimus, non absque grauioris alicuius periculi metu; cui tamen Ianissarorum nostrorum industria maturè obuiàm itum est. Nam cùm ij à longè Turcam quemdam, viginti & aliquot personis comitatum, ad bellum Persicum proficiscentem, tentoria fixisse in non adeò lata planicie, (in qua nobis etiam subsi- 14.

stendum

ſtendum erat)animaduertiſſent,iuſſerunt,vt intra vicinos colles nos abderemus. Ipſi intereà ad Turcam illum profecti, dixerunt ſe peregrinos quoſdam pauperes è longinquo aduentantes,ſecuritatis cauſſa, deducere: petiuerúntque vt bona cum illius venia, in eadem illa planicie pernoctare illis liceret. Et quoniam Turcæ moralem miſericordiam plerumque obſeruant, annuit non grauatim. Itaque non procul ab illo,impetrata licentia,conſtitimus, & quieuimus: alioquin,ſi inopinatè ſuperueniſſemus,barbarus ſe contemni ratus,non parum moleſtiæ nobis inferre potuiſſet:quandoquidem etiam anteà,vt quiſque Turcarum nobis erat obuius,illicò nos ſpoliare volebat:prout factum eſt, cùm in cuiuſdam Sangiaci milites ab Ægypto venientes incidiſſemus: qui quemdam ex meis mulo deiecerunt; & vnà cũ rebus,quas gerebat,vi acceperunt:cumq́; Æthiops Muchier,à quo iumenta conduxeramus,mulum arripuiſſet,illum claua percutientes peſſimè tractarunt, donec Ianiſſari noſtri ſuperuenientes eum eripuerunt, mulum recuperarunt, & donatis illis duobus taleris, ne nos infeſtarent,obtinuerunt. Ibi tum, ſicut nobis retulit interpres, ſanctè more ſuo iurarunt, quòd quem primum obuium haberent, ſibi deinceps temperare nollẽt,quò minùs eum quibus adlubeſceret,ſpoliarent, adferentes cauſſam,quòd viam longam proſequerentur. Nam eadem, qua Czauſſij libertate gaudent, quoties in expeditionem à Cæſare mittuntur, vt equos quicumque adlibuerint, impunè cuiuis tollere poſſint. Nocte poſtera venimus ad Tykycijum hoſpitale Turcicum; quod non adeò magnificè conſtructum, ſed copioſè à quodam Baſſa, qui Damaſci erat,dotatum eſt. Hîc obuiàm habuimus Carauanam Damaſco Tripolim verſus euntem, quæ ducentos circiter equites habebat.In hoc hoſpitali vidimus,cùm Turca quidam ſingulatim virides auiculas quinque viuas liberè dimitteret, ſubinde aliquid ſubmurmurando; cumq́ue eius rei cauſ-

Turcarum militum licentia.

Turcæ Purgatorium credũt, auiculas pro defunctorum animabus liberantes.

sam per interpretem ab eo percontatus essem, respondit; se id pro animabus suorum propinquorum defunctorum facere, quòd crederet, merito huius boni operis, illas nonnihil subleuari. Atque ita naturæ quodam ductu, de pœnis Purgatorij aliquid etiam sentire videntur.

Cùm discessissemus manè, ad dexteram itineris, venimus sub montem, in quo Caim fratrem suum Abelem dicitur occidisse. In eius summitate duo colles eminent: in quibus Domino holocausta sua obtulisse feruntur; ad radices vnius horum, locus ostenditur cædis & sepulturę dicti Abel. Dixerunt nobis Turcæ (nam iter accelerantes montem non conscendimus, qui altissimus est) quòd hoc in loco subterraneus quidam fremitus auditur in fratricidij illius testimonium, & memoriam innocentis Abel, ob idque plurimùm locum venerantur, & pro certo affirmarunt, si quis graui aliqua infirmitate correptus, nudo corpore in eo iacuerit, quòd statim sanitati pristinæ restituitur. Non ita multò pòst cùm Damascum appropinquaremus, habuimus obuios Mamalucos, quorum isthîc ingens est multitudo. Genus est hominum ex Æthiopibus & Arabibus permistum. Sunt fortes, mirum in modum agiles, & terribiles equorum sessores. Habitu vtuntur ex tela alba, tam latè fluente & diducto, vt totum equum cooperiant, excepto capite, quod fimbrijs & nolis exornant. Tegmen capitis spiris linteis contortum circumferunt, acinace accincti, clypeum & telum acuminatum longum ex arundine crassiore gerunt. In superiori veste, quam Albornos vocant, à tergo pellem alicuius animalis appendunt; interiorem verò cum latissimis manicis habent, quam Marlotta appellant. Equos habent optimos, fræna bullata, sellas cum stapedis latiores Adzainticas. Maior inter eos Maurorum numerus. Ascendimus posthac in montem altissimum, qui nunc etiam Chrizoroa vocatur: habet in summitate sacellum ad læuam, quod

15.

Abel sepultura.

Mamaluci qui, & eorũ habitus.

Mons Chrizoroa.

Maro-

Maronitæ ſeptem Fratrum dormientium eſſe affirmant. Ex eo monte Damaſcus optimè ſe ſpectandam præbet; nam ad eius radices ciuitas hæc ad longum protenditur; in eleganti, amœna, & omnis generis frugum feraciſſima planicie. Vnde multi volunt, Adamum generis humani parentem hîc creatum, propter terram flauam, qualis tantùm apud Damaſcum habetur: & quòd Adam explicatur Flauus. Ex hoc monte duo fluuij oriuntur, qui Damaſcum irrigant, Abana & Pharphar. Sunt rapidi, non nauigabiles tamen, ſed valdè piſcoſi. Ciuitatem hanc exactè deſcribere, magni eſſet laboris: quod cùm non pauci iam preſtiterint, ego ſuperſedeo. Cùm ad Portum ciuitatis peruenissemus, ex equis deſcendimus: neque enim Chriſtianis in maioribus Turcarum ciuitatibus equitare licitum, præſertim Damaſci, quò pauci admodum Chriſtiani ex Europa confluunt. Nos tantùm duos Italos hîc reperimus, qui mercatorũ Apamææ ſeu in Aleppo manentium negotia gerebant: apud quos etiam hoſpitium habuimus. Quamuis autem Damaſcus ſit valdè populoſa, ampla, vtpote quæ ad vnum & medium milliare patet, & elegans ciuitas; quoniam tamen longiùs à mari diſtat, mercatores Europæi rarò illam frequentant, & vulgus Chriſtianis eſt valdè infenſum. Quamobrem Ianiſſari equitantes, nos medios, à lateribus clauſos, in ciuitatem deducebant. Vbi tamen à populo conſpecti ſumus, inconditis clamoribus & ſibilis, maximè pueri, nos exceperunt, ex omnibus plateis ad nos concurſus fiebat: cumque ad locum, vbi merces venales exponuntur, deueniſſemus; tum verò lapidibus & ſputis impetebamur, & niſi nos Ianiſſari defendiſſent, furentis populi impetu, diſcerpti proculdubiò fuiſſemus. Cùm Tripoli diſceſſiſſemus, prima nocte adiunxerunt ſe nobis itineris comites, duo Turcæ; quorum vnus ſenex, alter iuuenis adhuc erat: qui Damaſcum vſque nobiſcum peruenerunt. Veniebant hi ex bello Perſico, cum trigin-

Adamus apud Damaſcum creatus.

Damaſcus.

triginta equis, & sanctè affirmabant se primos esse qui ab exercitu redirent: quòd datis duobus Cecchinorum millibus à Bassa impetrassent dimissionem, cùm ardua quædam negotia Damasci haberent. Multa nobis de bello hoc per interpretem narrabant: qualiter non minùs gladio, quàm fame plurimi Turcæ indies absumantur, cùm superato Euphrate, per plures dies inter arenas perpetuas, & surdas cautes, aquam deferendo, ad exercitum sit perueniendum: peste etiam multos absumi. Narrabant pro certo, à suscepti belli initio, vsque ad eorum abitum, ad trecenta Turcarum millia perijsse: se ampliùs eò non redituros, etiamsi illis moriendum esset; neque felicem belli exitum ominabantur. Cæsarem Turcarum intereà domi delitijs vacare; neque fidem ijs adhibere, quæ istic agantur, & quàm miserè multi pereant. Eorum famuli, quòd nostri comites itineris essent, cùm nos per plateas Damasci obuios haberent, aliqua etiam erga nos humanitate ducebantur, huc illuc deducendo. Et quamuis nos Ianissari comitarentur, difficilè tamen caueri potuit, in tanta populi frequentia, ne à pueris lapidum ictu salutaremur.

Turcarum in Persia clades.

Tribus mensibus antequam Damascum peruenissemus, priusquam Bassa ad bellum Persicum proficisceretur (erat hic filius Mahometis Bassæ illius, qui fuit Visir, & est à Turca miserè trucidatus: Bassa autem iste Damascenus, ducebat secum duo millia equitum, & octingentos pedites) venerat huc quædam fęmina Tartarica, quam Reginam Asiæ appellabant, habens secum quatuor millia Tartarorum. Hæc primùm Bethlehem, deinde Mecham, sepulchro Mahometis infamem, deuotionis caussa fuit profecta, quòd vellet illa loca visere, in quorum vno magnus Propheta ex virgine natus, in altero alius Propheta itidem magnus sepultus esset. Hanc Bassa per octo dies continuos, cum toto comitatu, mandato Cæsaris, lautissimè

Tartarorum Asiaticorum Regina Mecham peregrinatur.

tissimè & magnificè tractauit; & Sangiacum pro duce itineris, cum aliquot militum centenis, illi adiunxit.

Visitauimus domum Iudæ. Hîc erat fons, in quo sanctus Paulus est baptizatus, qui nunc publicæ plateæ est expositus: cuius etiam porticus interior apparet. *S. Pauli baptizati fons.* Extra ciuitatem progressi, vidimus locum, in quem D. Paulus demissus est in sporta: & est fenestella turri adiuncta. *Eiusdem locus demissionis in sporta.* Non procul inde spelunca subterranea visitur, in qua Apostolus idem, muro demissus, delituit; quæ persecutionum tempore multis itidem Sanctis latibulum præbuit. Inde ad sagittæ iactum monstratur lapis prope sacellum Maronitarum, è quo D. Georgius equum ascendisse memoratur, draconem interfecturus Beryti: qui portus omnium Damasco magis est vicinus.

17. Lustrauimus Xenodochium, quod magno sumptu Solimannus Turcarum Imperator à fundamentis erexit, in quo peregrini Mecham euntes & redeuntes, gratis triduo sustentantur.

18. Visitauimus ea loca omnia de quibus habetur Actor. *Domus Ananiæ.*
19. cap. 9. Domum itidem Ananiæ, in quam per gradus aliquot descenditur: & domum S. Ioannis Euangelistæ, in qua eum natum Maronitæ (nescio quo fundamento) affirmant. Fuimus in Ecclesia dictorum Maronitarum, quæ admodum parua est. Pensitant annuatim duo millia Cecchinorum Bassæ, vt deuotionem suam tutò peragere illis liceat. Habent paramenta Ecclesiastica à Gregorio XIII. Pont. Max. missa, quę attulit P. Ioannes Baptista Elianus, Societatis Iesu Sacerdos. Vidimus à longè Ecclesiam, olim à Christianis D. Ioanni Baptistæ dicatam. Apparet eam fuisse elegantem, & magnis impensis exstructam. Est satis magna, adinstar templorum Ægypti, in medio tholum habet vbique apertum. Non patet ad eam Christianis aditus, prout & in arcem, quæ more antiquo, ex lapide quadrato constructa, turres itidē quadran-

Santones Turcici nudi.

gulares per circuitum habet. Reperiuntur hîc nonnulli, deuotionem prę ſe ferentes,qui planè toto corpore nudi, abſque vllo tegumento incedunt tam æſtate quàm hieme,capite & barba raſa; in quorum vnum cùm Damaſci incidiſſem, credebam aliquem inſanum ex ergaſtulo erupiſſe. Quærenti quis eſſet,dictum fuit,hominem eſſe ſanctum, & vitæ innocentiſſimæ; qui mundo renuntiaſſet, & cura temporalium omnium abiecta,Angelicam in terris vitam duceret.

Aethiopes faciem lapidibus ornãt.

Vidi eodem tempore duos Æthiopes ex India Orientali,mercatores: quorum facies mirum in modum ſplendebant. Cùm propiùs accędens perquirerem quinam eſſent; reſponſum eſt,mercatores eſſe qui lapides pretioſos venderent: in cuius rei ſignum, rubros quoſdam lapillos, magnitudine nucis auellanæ,valdè coruſcantes, fronti & vtriſque genis inſertos habebant, ita vt perſonati incedere viderentur. Mirum qua ratione lapides eiuſmodi in pellem faciei includantur,vt fortiter hæreant. Vidi etiam tunc primùm quemdam, qui viride capitis integumentum contortum gerebat,cùm ceteri Turcæ albo vtantur. Dictum fuit,eum ex proſapia Mahometis deſcendere, & eum tali colore ſignari,qui proprius Mahometis erat,nec à quouis alio præterquã à propinquisMahometis, ídque in capite geri poſſet. Vtuntur tamen eo quoque Santones aliqui, Turcarum veluti ſacerdotes. Veſtes virides cuiuis geſtare licet; tiaram ſolis tantùm qui genus à Mahomete deducunt: quos frequenter poſteà conſpexi: ſed & ibidem Damaſci, vnum valdè lacerum, in publica culina,cibos diuendentem & coquentem: vnde apparet, non omnes Mahometis propinquos diuitijs abundare. A prandio conduximus Bolucum, ad quem à Lemiro eius fratre Tripoli literas habuimus,qui nobiſcum Ieroſolymam proficiſceretur. Adiunxit ſe itaque nobis cum quinque Ianiſſaris equitibus, totidemque peditibus. De agri Da-

Mahometis propinqui, viridi colore diſtinguuntur.

maſceni

masceni fertilitate, fructuumque diuersorum abundantia, cùm multi multa prodiderint, fusiùs hîc differere, minùs necessarium iudicaui; illud tantùm inserendum arbitratus, quod ab alijs prætermissum demiror: nempe in Syria, videlicet Tripoli, in Balbech, & hîc Damasci præsertim, reperiri bonitate cumprimis commendatum fructuum genus, quod multis nationibus vsitato vocabulo, Mauza vocatur: videtur id nostris cucumeribus non absimile, nisi quòd forma longiore, crassiore, & ad curuationem modicè inflexa, ab illis differt. In fruticibus, in quibus species hęc prouenit, adinstar nucis auellanæ, in vno globo, quandoque quinquaginta cucumeres eiusmodi condensantur, adeò vt propter pondus, melonum adinstar, per terram diffluant, vbi si diutiùs hæreant, putrescunt. Quamobrem antequam ad maturitatem planè perueniant, colliguntur; atque ita in cubiculis repositi minore negotio matureſcunt; sapore & odore genus pyrorum non recentium, qualia apud nostrates Vryantovvki vocantur, referunt. Satietatem facilè inducunt, adeò vt duo saltem cum pane vel caseo comesti, stomachum repleant. Est communis Christianorum opinio, qui in partibus hisce versantur, Adamum & Euam in Paradiso fructum hunc comedisse: quod etiam certis rationibus comprobare nituntur: quarum prima, quòd poma hîc non habeantur; quodque diuus Hieronymus, in trãslatione Bibliorum, cùm vocabulum Mauza Latinè reddere non posset, fructum ligni tantùm simpliciter posuerit: sit fides penes illos. nec enim verisimile est, diuum Hieronymum, qui instinctu diuino sacrę legis volumina feliciter interpretatus est, quique exactam linguarum cognitionem habuit, id exprimere non potuisse. Secunda, quòd Mauzæ fructu in orbiculos scisso, vena quædam appareat, quæ literam T, formam videlicet crucis, repræsentat; vnde inferunt, præuaricationem protoplastorum Christi crucifixi morte fuisse diluendam.

Mauza Damascena.

sed etiam in cucumeribus nostris simile quid intueri licet. Tertia ratio, quòd fructus hic, non in arbore, sed in frutice quodam crescit, cuius caulis vnius propemodum pugni crassitiem imitatur, qui tamen fructum pendentem, præ pondere sustinere non potest, sed is in terra, vt iam dictum est, iacet; vt facilè à primis parentibus decerpi potuerit. Quarta, quòd Mauza hæc, folia ad vnius cubiti latitudinem, duorum verò longitudinem, protensa habeat: è quibus post agnitum peccatum, perizomata confici facilè poterant: sed cùm ex folijs ficus ea consuta tradat Scriptura, qualiter hæc subsistere possint, ipsi viderint. Adferunt & alias non adeò magni momenti rationes. Fructus hi Mauzę Constantinopolim per mare deferuntur, qui tamen minùs durabiles sunt. Itaque nondum maturi colliguntur; sed arena obruti conseruantur; ad solem autem expositi, ibidem Constantinopoli statim matureſcunt. Hæc pauca de ijs, occasione Damasci, annotasse sufficiat.

Locus conuersionis S. Pauli.

Circa meridiem discedentes Damasco, & vno millia- 20.
ri longiore confecto, deuenimus ad locum Conuersionis D. Pauli Apostoli; vnde elegantissimus Damascenæ vrbis patet prospectus. Non longè abhinc est ingens lapis, apud quem Apostolus equo delapsus (vt communior opinio habet) in terram prostratus iacebat. S. Helena sacellum hîc exædificarat, cuius vestigia vix apparent. Inde ad dimidium milliare cùm essemus progressi, in gregem ouium Arabum Maronitarum incidimus: ex ijs cùm vnam Bolucus accepisset, Maronitæ qui ibidem in campis erant, concurrere cœperunt, vt eam recuperarent. Turcæ qui bombardas aliquot habebant, substiterunt: in quos cùm fundas & lapides Maronitæ expedire cœpissent, bombardis repositis, profugerunt Turcæ, rapta nihilominùs oue; quos consequi pedibus frustrà tentabant Maronitæ. Pronocte deuenimus ad Carueſariam Sasa, quæ quinque milliaribus à Damasco distat, & fluuiolo limpido & præcipiti alluitur.

alluitur. Cùm frequens hîc Arabum mentio fiat, & ne-ceſſariò ſit adhuc faciẽda: mirabitur aliquis, quî fiat, quòd cùm itinera reddant infeſta, à Turcis nihilominùs tolerentur. Sciendum eſt itaque, quòd ſex albi coloris Arabum vexilla, quamuis in Turcarum ditionibus verſantur, fixas tamen nullibi ſedes habent, ſed in vias publicas excurrentes, non magis Turcas, quàm omnis generis viatores deprædantur: qui ſi inter ſe concordes eſſent, intolerabiles ipſis Turcis euaderent. Feruntur enim eorum eſſe ad ducenta millia, qui magnis inter ſe certant odijs, naturali quodam modo, diuina permiſſione, inſitis. Quodlibet vexillum ſeu phalanx, ſuum habet Ducem cui paret: quos tamen omnes longè ſuperabat potentia, quidam Aborys famoſiſſimus in oris illis prędator, qui quadraginta millibus Arabum præerat, & quo tempore ego de Terra ſancta Tripolim redibam, Syriam vniuerſam populabatur; adeò, vt per illum, Apamæam ſiue Aleppum, quod magnopere cupiebam, viſere tutò non potuerim. Sub illud ipſum tempus, quo Tripoli manebam, Carauanam Turcicam, quæ Aleppo Tripolim veniebat, adortus, triginta Turcis interfectis, camelos cum mercibus omnibus abſtulit: Chriſtianis tamen non nocuit, quorum merces ſe liberè dimiſſurum pollicitus, à mercatorum Agentibus, qui Tripoli reſident, vinum & commeatus ſibi mitti poſtulabat. Quòd autem oras illas adeò infeſtabat, hæc cauſſa fuit. Baſſa Damaſcenus paulò antè quàm nos eò perueniſſemus, vltimo ſupplicio affecit nepotem ipſius, qui per loca itidem vicina prædas agebat. Finxerat Baſſa quaſi cum illo pacem inire vellet. Ad quam ſtabiliendam in quodam loco, quingenti Arabes cum iuniore Aborys, & totidem Turcæ cum Capitaneo Baſſæ, conuenerant. Quamdiu Arabes equis incedebant, nihil attentare Turcę audebant, quamuis in inſidijs aliquot equitum centena haberent collocata: ceterùm vbi Aborys & maior Ara-

Arabes viarum deprædatores cur à Turcis exterminari non poſſint.

Aborys Arabs famoſus prædator.

bum pars ex equis desilijt, vt munera, quæ illis à Bassa mittebantur, acciperent; illicò Turcæ impetu in illos facto, accurrentibus præsidijs clàm dispositis, Ducem hunc eorum viuum ceperunt, & omnes reliquos trucidarunt. Patruus itaque Aborys hic, nepotis iniuriam & cædem vindicaturus, hæc notabilia damna Turcis inferebat. Cùm adhuc essem Tripoli, ferebatur Cæsar, cum muneribus & quibusdam conditionibus, Czaussium ad Aborysſum hunc misisse, vt eum aliqua ratione mitigaret; quòd verebatur, ne Lemier Mahometi, qui potens admodum in Syria Phœnices Regulus erat, coniunctus, magis etiam Turcis esset terrori, Persico præsertim durante bello. Quid posteà fuerit actũ, scire non potui: quandoquidem Arabes, vt famelici latrones, muneribus non difficulter placantur. Aborysſus hic tres adultos habebat filios: vnum Mahometem ex priore, duos verò Hametum & Sephetum ex altera vxore (duas enim tantùm habebat, cùm plures introducere apud Arabes sit licitum) susceptos: qui tunc cum copijs suis omnibus patri adhærebant, cùm alioquin pro se quisque diuersis in locis prædari soleat: quibus resistere Turcæ non possunt, etiam exercitu conscripto; quos per loca inaccessa, & rupes hinc inde dispersos, irrito conatu persequerentur. Arabes enim & equi eorum, famis & laborum sunt tolerantissimi: & adeò Turcis formidabiles, vt vbi decem, iaculis oblongis armati, & indusijs tantùm tecti (idque ad meridiem dumtaxat, nam à meridie propter ingentem calorem, indusio caput vnà cum tiara obuoluentes, planè nudi equis insident) comparuerint; eos triginta Turcæ, armis & oblongis bombardis muniti, vix aggredi audeant, cùm Arabes valdè agiles sint & animosi. Non pauci nobis Ierosolymis pro certo narrabant, quòd Sangiacus Ierosolymitanus, paulò antequam in bellum Persicum proficisceretur, recreationis caussa cum quinquaginta equitibus ad oppidum Bethlehem excurrere vole-

Arabes Turcis fortiores.

volebat; cumque in itinere octo tantùm equites Arabes obuios habuisset, tantum illi negotij exhibuerunt, vt regredi Ierosolymam necessariò debuerit: habent etenim equos ea pernicitate & audacia præditos, vt in obuios impetum facere,& vbi necessitas postulat,celeritate periculo se subducere nullo negotio possint. Turcis autem adeò sunt terrori,vt circa mare sulphureum, vel lacum Asphaltitem,atque adeò in tota Terra sancta,ex villis Turcarum, annuatim illis tributa, redimendæ vexationis caussa pendantur: qui tamen vel ea quoque ratione, à rapinis nõ abstinent. Immò quoties Carauanæ, Damasco, Aleppo, & Cairo Mecham versus progrediuntur, quod annis singulis mense Octobri fieri consueuit, Bassæ trium harum ciuitatum, per nuntios suos munera illis mittunt, ne mercatores despolient: quamuis quælibet Carauana, suum Sangiacum habeat,cum trecentis equitibus hastatis,totidémque Ianissaris,qui bombardas gerunt, immò & tormenta minora bellica circumducunt. Et Arabes quidem, donatiuis acceptis, seruant quod promittunt: nihilominùs cùm sit eorum infinita multitudo,vbi occasio adiuuat,cædunt, spoliant Turcas, & merces eorum diripiunt, ac posteà in latibula sua fugiunt; quis deinde illos vestigabit & persequetur? Carauanæ prædictarum ciuitatum, quælibet seperatim tamquam acies ordinata progreditur: donec omnes apud mare rubrum ad ciuitatem Thur conueniant in districtu Sinai (non enim mons tantùm, sed tota regio illa hoc nomine appellatur) vbi coniunctim Mecham proficiscuntur, & transactis ibi in nundinis illis viginti diebus, modo prædicto reuertuntur. Solis autem Mahometanis eò proficisci licitum: Christiani & Iudæi nõ admittuntur.

Carauanæ Mecham euntes.

Cùm essem Damasci,diligẽter sum percontatus è Turcis, qui è Mecha veniebant, verúmne esset quod vulgò de sepulchro Mahometis fertur,illud è ferro compactum, vi lapidis Magnetis adtractum veluti in aëre pendere. Negarunt

Mahometi sepulchrum non pensile.

runt hoc isthic esse: sed sepulchri Mausoleum altiùs eleuatum, columnis non adeò crassis sustentari: cumque conclaue illud angustum & obscurum sit, nec aliud lumen, quàm lampadum, admittat; ijs qui à longè prospectant, pensilis tumba videtur; sed qui propiùs accesserit, facilè animaduertet illam columnis impositam.

Circa meridiem peruenimus ad castellum Tanaitera, 21. vbi notarium Campi Turcici reperimus, qui cum triginta equitibus Damascum reuertebatur, milite ad bellum Persicum per Palęstinam & Ægyptum conscripto. Vix dum ex equis descenderamus, ecce superuenit Czaussius, pharetra præcinctus, tribus famulis comitatus, qui ad Sangiacum Gazæ & alios in Ægypto mittebatur, vt, quamuis à bello dimissionem obtinuissent, in Persiam nihilominùs reuerterentur. Abstulit nobis duos equos ex melioribus, dicens se à Cæsare mitti, sibique liberum esse, non solùm à nobis, (quos canes appellabat) sed à quouis Turcarum magnate equum accipere, etiamsi pedibus illi esset incedendum. Est autem in ditionibus Turcarum planè lex huiusmodi passim promulgata. Ceterùm cùm Mukyerus locator noster, illi sex taleros obtulisset, & Ianissari itidem apud illum partes suas interponerent, restituit quidem nobis equos, sed alios tamen duos Turcis mercatoribus ademit.

Accidit & alius, sed lepidus, in hoc loco nobis casus. Vnus ex meis comitibus, decoris caussa, vt fit, mystaces sibi torquendo erigebat: hoc aduertit quidam apostata probè Turcismo imbutus, & subitò contra nos linguam stringit, verbera minatur, non secùs ac si grandem à nobis iniuriam accepisset. Miramur vnde homini tantus tam repentè contra nos furor: sermone Italico modestè eum compellamus: audire non vult, sed oculis atque ore fulminat. Accito interprete, quærimus caussam tantæ iracundiæ: interpres re intellecta respondet, turbari hominem

quòd

quòd vnus ex vobis myſtaces ſibi torqueat atque erigat, quod maximam indicat arrogantiam. Noſter hoc audito, ſtatim myſtaces digitis iterùm iterumque depreſſit: & ſic barbaricus conſedit furor.

22. Manè peruenimus ad pontem, quem ipſimet Turcæ Iacob Patriarchæ vocant. Eſt ſatis latus, & ſolidè conſtructus, ac Iordani ſuperimpoſitus: qui fluuius ad dexteram duos habet alueos, quorum vnus Ior, alter Dan appellatur: ſimul ſupra pontem, ſatis tamen longo interuallo coniuncti, velut vnum efficiunt amnem, ita nomen vnum retinẽt; & vocatur Iordanis, qui non procul inde ex montibus oritur. Ad læuam, prope fluminis ripam, conſpicitur domuncula, quam idem Iacob inhabitabat: parietes adhuc habet integros: apparet valdè fuiſſe humilem. Non procul inde conſpicitur lacus Tiberiadis ſiue Genezareth; cuius longitudo, meo iudicio, ad noſtra decem milliaria protenditur; latitudo, non vbique æqualis, vix duo tantùm complectitur. Vltra lacum apparent montium cacumina, & vaſtæ ſolitudines deſerti: in quo Chriſtus ſeptem panibus & piſciculis, ſaturauit quatuor hominum millia: Marc. cap. 8. Ponte ſuperato, ad dexteram oſtenditur locus, in planicie modica, ſub rupe, ad ripam fluminis, vbi Iacob cum Angelo luctabatur, de quo Geneſ. 32. Ad ſiniſtram ſupra lacum prædictum, ad duos ſagittæ iactus erat ciuitas Corozaim, cuius frequens eſt in Euangelio mentio: nunc planè deſolata, vix quinquaginta domunculas habet. Ab hoc ponte iam Galilæa incipit. Terra hîc inítiò ſaxoſa, & rupibus, vt Syria caua, abundans: ſed duobus milliaribus peractis, tanta eſt in hac regione ſitus amœnitas, vt difficulter deſcribi & verbis explicari poſſit. Soli fertilitas inſignis hinc apparet, quòd licet propter incurſiones Arabum, agri non excoluntur, optimarum tamen herbarum vim maximam producit, roſmarini præſertim, cuius fruteta vbique latè condenſata virent. Inhabitatur

Iacobi Patriarchæ pons.

Iordanis bifariàm diuiſus.

Genezareth lacus.

Lucta Iacob.

Corozaim.

GALILAEAE confinia & fertilitas.

pluribus in locis ab Arabibus, qui propter pascua in quibus ouium & camelorum greges alunt, ad aquarum fluenta, tugurriola figunt; & pro ratione pascuorum de loco in locum migrant, prout superiùs est enarratum. Rosmarini itidem herba, propter amaritudinem quam habet, grata est ouibus, & gregem à morbis plurimùm præseruat. Arabes nullam terræ œconomiam exercent: lacticinijs tantùm pecorum victitant. Multa de Galilææ fertilitate varijsque regionis huius commoditatibus essent scribenda: & ex frequentibus ciuitatum oppidorumque ruinis, apparet eam fuisse populosissimam. Quamobrem non grauatim subscribo Iosepho, qui libro 3. cap. 2. de bello Iudaïco, Galilęam describens, affirmat, eam non modò frugum, sed vrbium & vicorum adeò fuisse abundantem, vt vel minimus quisque pagus, ad quindecim colonorum millia habuerit, præcipuè circa montem Thabor: sub quo vallis amplissima & amœnissima interiacet, in qua nonnulli volunt Melchisedechum Abrahamo à cæde Regum reuertenti occurrisse, & benedicendo ei, panem & vinum Deo in gratiarum actionem pro victoria obtulisse, de quo Genes. 14. Alij in monte Caluariæ id factum affirmant, vbi Christus Dominus est crucifixus: quod Theologis disputandum relinquo. Circa meridiem peruenimus ad Caruaseriam, ad quam est cisterna vetus, in quam à fratribus missus fuit Ioseph, Genes. 37. Hanc Turcæ, puteum Iosephi nominant, Arabes Elbir Ioseph: nunc tamen habet aquam. Habent hîc Turcæ suam Moschæam: ante cuius portam puteus hic positus est, ex quo Christianis etiam haurire licet. Habet aquam valdè bonam & frigidam. Pronocte venimus Bethsaidam, diui Petri patriam: vbi domus ipsius erat: exstant ingentes ruinæ templi, quod S. Helena magnificentissimum exstruxerat. Nunc est vicus, quindecim casas habens, quas Turcæ inhabitant: & est in ipso littore lacus Tiberiadis, qui in Euangelio, mare

Puteus Ioseph seu cisterna.

Bethsaida.

Gali-

Galilææ dicitur. Habet aquam dulcem, quam bibimus, in eademque lauimus. Pisces valdè bonos producit, eiusdem ferè speciei, qui Prasini, vulgò Lesseze apud nos vocantur, nisi quòd minores sunt.

Manè deuenimus ad radices montis Thabor, quem Iosephus Antiquitatum lib. 5. cap. 1. & lib. 4. cap. 2. de bello Iudaïco, Itabirium vel Itabiricum appellat. Est mons altissimus, mira elegantia in rotundam formam concentratus, vt ab arte magis, quàm à natura factus videatur. Nam per gyrum, in parte inferiori, rupium cinericij coloris circumferentia cingitur: quam deinde viridium frutetorum ordo ita intersecat, vt ab imo vsque ad summum, rupes rotunda, virenti frondium corona, artificiosè circumdata videatur. In eius summitate est Ecclesia non adeò magna, inter duo sacella à diua Helena eo loco fabricata, in quo Christus Dominus transfiguratus est. Relicto monte Thabor, vidimus à longè ad dexteram ciuitatem Sephet, (Tob. cap. 1.) in altissimo monte positam, in qua Regina Hester est nata. Inhabitatur à Iudæis, quorum infinita isthic esse multitudo fertur. Progrediendo paululùm vltrà, videtur in alio monte dirutum castrum Macherontum, Græci Sebasten vocant, in quo S. Ioannes Baptista est decollatus: sub monte ciuitas erat satis ampla, quæ tota est desolata. Ostenditur à tergo castri parua quædam porta, per quam D. Ioannes ad martyrium eductus dicitur. Inde venimus pernoctaturi ad castellum Zynin satis amplum, quod proprium habet Sangiacum, qui profectionem in bellum Persicum apparabat. Non procul à castello est campus, in quo decem viri leprosi Christo ex Galilæa Ierosolymam eunti occurrerunt, salutem ab eo contenta voce postulãtes: *Iesu præceptor miserere nostri*, Luc. 17. Leprosi enim extra oppida habitabant, nec ad conuersationem hominum admittebantur, lege diuina prohibente, Num. 5. Sub ipso Castello est oppidum quod inhabi-

MONS THABOR.

Ciuitas Sephet.

Macherontum castrũ.

tant Iudæi. Quamuis Turcis religio præscribat, ne vinum bibant, tam diu scilicet hanc legem obseruant, quàm diu ipsis occasio potus istius non offertur: quod in hoc ipso Castello manifestè sumus experti, cùm ad nos quidam, non postremus Sangiaci familiaris, cui cum nostris Ianissaris notitia interceſſerat, veniſſet. Diuerteramus, prout moris est, ad stabulum quoddam valdè fœtidum: quamobrem de alio loco eramus soliciti, qui nobis, Turca prædicto procurante, conceſſus est. Itaque pro labore, vinum Creticum (cuius vnum & alterum barile, pro vsu Ianissarorum nostrorũ in promptu semper habebam) egregiè potabat, manibus complicatis, oculis in cælum erectis, vt magis deuotè orare numquam potuerit: cúmque totus iam esset ebrius, admonuerunt nos Ianissari ne illum egredi stabulo permitteremus, ne ebrietas eius innotesceret. Nam cùm eiusmodi potus isthic venalis non reperiatur, facilè vestigari poterat, vbi sese ingurgitârat. Vnde nobis pecunia & carcere, culpa illius repræsentanda veniebat. Quamobrem licet poteramus in aliam domum seu supra tabulatum illius (ædificia enim regionis huius tecto carent, & hospitibus locus tantùm is conceditur) commigrare, quatuor tamen horis exspectandum nobis erat, dum ille crapulam edormiret: quem etiam pannis nostris texeramus, ne à Turcis prætereuntibus ebrietas illius agnosceretur. Experrectus tandem surrexit, & Muscatellæ ardorem lympha extinguebat, capite, vt apparebat, satis graui.

Turcæ vino se ingurgitant.

SAMARIA. Manè circa ortum Solis, apud Sichar obuium habuimus Sangiacum in ipsis Samariæ finibus, qui cum trecentis equitibus in Persiam proficiscebatur. Insidebat equo fusco, serico rubro Damasceno indutus, in capitis tegumento pennam struthionis grisei coloris gerebat, in libro quodam legebat. Habebat etiam centum equites Mauros Mamalucos, viros militares & bellicosos. Nos peregri-

norum

norum more,ab equis descendentes,prętereuntem illum, capite profundè inclinato, salutauimus. Ipsimet Turcæ nobiscum præclarè actum dicebant, quòd eum in Sichar non offendimus, cùm vir sit in peregrinos valdè rigorosus, qui non ita pridem peregrinos aliquot, plures hebdomadas in carcere detinuit, donec à mercatoribus Apamææ & Tripolitanis trecentorum Cecchinorum pretio eliberarentur. Vix nos præterierat,misit illicò, vt ei vectigal persolueremus. Singuli binos Cecchinos illi numerauimus,Ianissaris opera sua nos egregiè iuuantibus,ne plura soluere fuerit necesse. Vectigal huiusmodi in Campo exigebant à nobis duo Samaritani, qui tiaris rubeis vtuntur, & licet circumcidantur,diuersam tamen à Iudæis habent religionem.

Sichar est primaria Samariæ ciuitas,de qua Ioan.cap.4. inter Garizim & Hebal montes posita: à Turcis Neapols vocatur,protenditur in longum sub monte,& est satis populosa: fructibus plurimis abundat. Nullus illic Iudæorum habitat,nec subsistere in transitu potest; adeò illis inter se non conuenit. *Sichar.*

25. Manè medio milliari confecto, deflectentes ad læuam ab itinere,ad iactum sagittę,vidimus puteum,apud quem Christus cum muliere Samaritana colloquebatur. Puteus hic est obrutus lapidibus,apparet tamen notabiliter:& ipsis Turcis est venerationi,quòd Magnus Propheta (vt illi Christum nominant) ex illo aquam hauserit. Christiani, vt moris est, recitata vna oratione Dominica, in genua procumbentes terram exosculantur. Ab hoc puteo descendentes,profecti sumus per conuallem cumprimis elegantem & fertilem,quam Iacob, vltra sortem, Iosepho filio dederat, Genes.cap.48. Ad dexteram posita est villa satis frequens,quę nunc etiam Iosephi vocatur. Tribus milliaribus decursis, circa meridiem ad Caruaseriam quamdam diuertimus,vbi iam Iudæa incipit. *Puteus Samaritana.*

IVDAEA. Etsi in omnibus diuinis promissionibus firma & stabilis certitudo, cui nulla dubitatio subesse potest, manifestè appareat; id tamen euidentiùs in hac terra videre licuit, quam omni fertilitate & bonorum copia abundantem, populo Israëlitico se daturum Deus promiserat. Galilæa frumentorum & omnium fructuum ferax est, & elegantem planiciem habet, quam tamen montes intersecant. Samaria rupes, quamuis non adeò altas, habet; hortis tamen consitis abundat, & conualles valdè frugiferas continet: vineis præterea frequentioribus, quæ à bonitate commendantur, humum lætificat: cumque tria hæc simul iuncta possideat, ideò maiorem incolarum frequentiam habet, qui pagos propter fructuum copiam inhabitant, quibus tantum laboris, quantum in arando & serendo insumi consueuit, impendere necesse non est. Ceterùm Iudæa non adeò quidem frumentis abundat, cùm sit petrosa, & rupibus immensæ magnitudinis scateat; sed olei, fructuum, vini præsertim, ingentem copiam præbet. Nam à primis Iudææ confinijs inchoando, vsque dum Ierosolymam veniatur, quod spatium septem milliaribus comprehenditur, ab ipsis radicibus vsque ad summitatem montium muri, quibus vineæ cingebantur, ita substructi conspiciuntur, vt graduum theatri speciem quamdam repræsentent, vnde facilè apparet, incredibilem illic vinearum multitudinem, & vini copiam fuisse. Circa Ierichuntem itidem, omnis annonæ, fructuum (dactylorum pręsertim & similium; medicinalium quoque rerum, quibus calida cæli temperies amica est) & vini maxima vbertas proueniebat. Non immeritò itaque Deus ipse terram hanc, lacte & melle manantem, appellare consueuit. Tribus ab ingressu finium Iudææ milliaribus confectis, vidimus aquæ viuæ fontem, ad quam Beatissima Virgo, Ierosolymis reuersa, considens, animaduertit puerum IESVM in comitatu non fuisse, Luc. 2. Supra montem apparent

Iudæa fertilitas.

Fons Beatissimæ Virginis.

ruinæ

ruinæ templi & monasterij Virginum, quod olim D. Helena construxerat.

Hinc ad duo milliaria progressi, post horam vigesimam primam, ciuitatem sanctam Ierusalem à longè conspeximus, Deoque gratias egimus, quòd nobis gratiam fecerit vrbis huius videndæ. Recitauit quilibet orationem Dominicam, & salutationem Angelicam, animo consequendæ Indulgentiæ plenariæ, quam Pontifices, ciuitatem primò aspicientibus concesserunt. Vno milliari à ciuitate ad læuam, non procul à via publica, est castrum Saulis Gabaa, de quo 1. Reg. 10. totum planè dirutũ & desolatum, cuius vna tantùm turris ferè integra supereſt. Dimidio milliari confecto, habuimus obuios equites vigintiquinque prædones Arabes: quibus visis, vnus è nostris Ianissaris itidem eques, propiùs accedens eos est allocutus: cumque ab inuicem discederent, per interpretem nobis nuntiarunt, vt gratias illi Ianissaro ageremus, ad cuius petitionem vita nos donassent. Idem & ipsemet Ianissarus paulò pòst affirmauit, quòd illos optimè nouerat, & longo tempore prædatoriam cum illis exercuerat. Narrabat homines esse prædatorum omnium ferocissimos. Animaduertimus tum in Boluco nostro non dubia signa trepidationis, quæ pallor in vultu & tremor ita prodebat, vt ne loqui quidem posset. Arabes enim, vt antè dictum est, nec ipsis Turcis parcunt; & faciliùs quandoque Christianos, quàm ipsos, illæsos dimittunt. *Gabaa Saulis.*

Vna & dimidia ante occasum Solis hora, tandem Ierosolymam peruenimus, & iuxta receptum morem ad portam Piscium substitimus. Intereà quidã ex nostris hastatis per portam Damasci ingressi, significarunt peregrinos aduenisse. Nos quoque peditem Ianissarum præmisimus, aduentum nostrum indicantes: quod vt Fratres Ordinis S. Francisci de Obseruantia intellexerunt, venerunt ad illam, apud quam exspectabamus, ciuitatis portam, Frater *IERVSALEM.*

Christo-

Christophorus de Tridento Vicarius (nam Pater loci Guardianus Frater Angelus Stella, negotiorum monasterij causſa Constantinopolim profectus, in reditu diem extremum clauſerat in Armenia) & Frater Ioannes de Florentia : qui cùm nos conſalutaſſent, exſpectarunt dum Turcæ venientes, ſarcinulas noſtras excuterent, & perluſtrarent num aliquid mercium apud nos eſſet : vbi nobis arma ſunt adempta (ea namque in itinere deferre licitum eſt, & ipſi Turcæ libenter hoc patiuntur propter Arabes) deduxerunt nos ijdem Turcæ vſque ad monaſterium S. Saluatoris, & portam eius. Ingreſſi Eccleſiam, in genua procumbentes, vnà cum religioſis decantauimus canticum Te Deum laudamus, Deo gratias agentes pro tam ſingulari beneficio, quòd nos ad hæc loca ſacratiſſima, in quibus ſteterunt pedes eius, operando ſalutem noſtram, perducere incolumes dignatus fuerit. Aſſignata nobis ſunt deinde cubicula, vbi peregrinis diuertere mos eſt: deinde cœna eſt appoſita.

Manè Miſſam in monaſterio audiuimus: à prandio pro- 26.
ut moris eſt, adiuimus domum Cadij, vbi nomina noſtra & Patris, excipiente Notario, profeſſi ſumus. Deinde Fratres Religioſi ſuprà memorati, numerarunt ibidem à quolibet noſtrûm vndecim Cecchinos, qui conſtituunt florenos viginti duos. Duo Cecchini in capita ſingula, penduntur pro ingreſſu Ciuitatis, nouem verò pro facultate adeundi ſacrum Sepulchrum. Aurei ducati ad pondus ibidem examinabantur : ſimplex autem moneta, quam Sayn appellant, ab ijs qui aurum non habebant, abſque pondere, quòd notabilis ſit, accipiebatur. Cocus meus pro monacho habitus, quinque tantùm Cecchinos perſoluit. Sacerdotes religioſi nihil pendunt : ſed qui laici ſunt, quinque Cecchinos numerant. Quamobrem cùm is pro laico religioſo ratione habitus iudicaretur, volebant Turcę vt iuraret, quòd religioſus eſſet, ille cùm iura-

Peregrini in ingreſſu Eccleſiæ ſacri Sepulchri tributũ pendunt.

mento,

mento,id quod non erat, affirmare non posset, sublata in cælum manu, dixit se non esse religiosum. Turcæ autem existimantes eum bona fide iurasse, abire permiserunt. Hac arte Turcas elusit, reliquum pecuniæ quæ illis pendenda erat, sibi reseruans. Interpretes habebam duos, vnum Iacobum senem,quem mecum Cypro acceperam, ex Salinis, Famaugusta accersitum; alterum iuuenem Gorgi Syrum Tripolitanum. Vterque absq; tributi solutione,iuxta receptam consuetudinem,ingredi permissus. Redeuntes à domo Cadij, cùm prope Ecclesiam transiremus,ante portam eius adorauimus: deinde monasterium ingressi,acceptis ijs quæ pro nocte necessaria erant, intrauimus in Ecclesiam ad audiẽdas Vesperas.In ipso introitu, denuò ijs qui nobis templum aperiebant, decem & aliquot Maydinos, quorum singuli grosso nostro computantur, persoluere coacti sumus. Statim ab ingressu Ecclesiæ, in Capellam sacri Sepulchri intrauimus,& recitatâ Oratione Dominica,Salutatione Angelica cum Collecta, loco hoc sacro exosculato, iuimus ad Sacellum, in quo Fratres officia diuina peragunt; quod Apparitionis vocatur, quòd in eo loco, Christus Dominus post glorioſam Resurrectionem suam,Virgini Matri Mariæ primùm apparuerit. Hîc inchoatis à Fratribus, qui nobiscum vnà sunt ingressi (erant autem sex Sacerdotes,& alij octo)Vesperis & absolutis, Processio cum vexillis est instituta, quam nos Peregrini accensis cereis bini & bini sequebamur. Ventum est primò ad altare minus ad dexteram portæ: in quo posita est pars columnæ, ad quam Christus fuit flagellatus. Est autem ex lapide rubeo Porphyrite, prout ex particula apparet,quam inde ad Ecclesiam Nesuesiensem mecum attuli. Hîc prima supplicatio est habita: initio decantatur sacer Hymnus eius loci proprius,cum Antiphona & Oratione. Religiosus deinde facit exhortationem ad Peregrinos, mysteria quæ in eo loco facta sunt

Ingressus ad S. Sepulchrum.

Capella Apparitionis.

Processio peregrinorũ in Ecclesia Saluatoris.

Columna Flagellationis.

enarrans,& ad præstandam pro diuino hoc beneficio gratitudinem,& animi deuoti feruorem, incitans. Hic ordo apud cetera omnia sanctuaria seruatur. Frater Ioannes de Florentia, vir eloquens & doctus, has tum exhortationes faciebat. Dum eiusmodi orationes peraguntur à Sacerdote,peregrini in genua prouoluti recitant Orationē Dominicam cum Salutatione Angelica, & terram deuotè exosculantur. Et quoniam quælibet natio in hac Basilica suas habet Capellas seu Oratoria,prout inferiùs dicetur: hæc capella Apparitionis ad Catholicos pertinet, & habet Indulgentiam plenariam, prout & eius altare,in quo columna illa Christi flagellati est posita. Inde proceditur ad Capellam carceris,in quo Christus Dominus, dum Crux pararetur,positus fuit. Locus est paruus, angustus,& tenebricosus,nullibi lumen admittens,in rupe excisus. Apparet certè fuisse vel carcerem, quandoquidem in hoc ipso Caluariæ loco malefactores supplicio afficiebantur; vel custodis horti receptaculum, qui non procul inde aberat, ad Ioseph de Arimathia pertinens, vt in Euangelio habetur. Oratorium hoc carceris,est nationis Græcorum,& habet septem annos Indulgentiarum, cum totidem quadragenis:quæ quadragenæ pro septies quadraginta diebus numerantur. Sequitur deinde altare S.Longini, qui lancea Christi latus perforauit: sed hîc Processio non subsistit; nulli enim nationi est assignatum. Itur hinc ad altare eo loco positum,in quo milites supra vestem Christi miserunt sortes: & quoniam inter sanctuaria numeratur, Orationes solitæ peragebantur. Est Armenorum: habet septem annos & totidem quadragenas de Indulgentijs. Proceditur deinde ad Capellam loci, in quo S. Helena Crucem sanctam inuenit. Descenditur eò per plures quàm triginta gradus, in quorum medio ad manum siniſtram relinquitur ipsius sanctæ Helenæ Oratorium. In Capella Inuentionis, altare maius est Catholicorum, habens Indulgentiam

Capella carceris.

S. Longinus.

Crucis inuentæ locus.

gentiam plenariam, ad cuius dexteram est aliud paruum, quod ad Græcos pertinet. In reditu ad dexteram deflectitur ad S. Helenæ Oratorium: quam illa Ecclesia propter insignia pietatis & religionis merita, eo prosequitur honore, vt in hoc eius Sacello & supplicationes fiant, & Indulgentia plenaria sit attributa. Et certè quicumque Terræ sanctæ loca perlustrauit, fatebitur sanctam hanc Reginam omni veneratione dignam: quandoquidem in ipsa Palæstina ferè trecentas Ecclesias, quarum nunc partim ingentes ruinæ supersunt, partim adhuc integræ conspiciuntur, magnis sumptibus erexit, & liberalissimè dotauit. Cumque sancta Cruce reperta & sublata, in reditu loca maritima attingeret, nec à ciuitate in ciuitatem littori adiacentem aspectus pateret, in locis editioribus & promontorijs turres altas ex muro solido ædificari curabat, in quibus ignes in lætitiæ signum vbique accenderentur, quarum in Syria Phœnices per montes frequens est numerus. Tanta animi iucunditate hæc sancta femina perfundebatur, ob inuentionem tam pretiosi thesauri, quo à tetris inferni carceribus, Christi benignitate, redempti & liberati sumus. Oratorium hoc sanctæ Helenæ, possident Armeni. Ascendendo deinde vbi peruentum est in Ecclesiam, substitit Processio ad altare, sub quo sita est Columna improperij: quæ est è marmore griseo, crassa & depressa; in qua Saluator noster in Prætorio Pilati collocatus, spinis coronatus, & illusus fuit. Eam huc inde S. Helena transtulit. Habet Indulgentiam septem annorum, totidemque quadragenarum. Eam Capellam habent Abyssini, seu Æthiopes, qui Ioanni Presbytero subsunt: quibus hîc datur eleemosyna, propter extremam eorum paupertatem. Induti tela simplici incedunt: corpus mirum in modum affligunt: semper in genua prouoluti, & orant, & sacram Scripturam, ob maiorem venerationem, legunt. Carnes numquam comedunt; pisces rarò, quòd

S. Helena 300. Ecclesiarum in Palæstina fundatrix: alij quingentas eam construxisse volunt.

Turres S. Helenæ.

Columna improperij.

Abyssinorũ deuotio.

hîc non habeantur; cùm verò habentur, illis die Dominica, feria tertia & quinta vtuntur, idque si ieiunium non sit. Absque pileo naturali consuetudine incedunt: capitis comam crispatam vsque in humeros defluentem gestant: statura sunt procera & gracili, capita habent instar puerorum exigua. Faciei physiognomia eos esse bonos & sinceros indicat.

Inde per decem & aliquot gradus ad ipsum Caluariæ montem ascendendo, præteritur locus, vbi Christi Crux steterat, & peruenitur primò ad eum locum, in quo Christus redemptor noster Cruci affigebatur. Habet altaria duo, maius, & ad læuam minus, vtraque sunt Catholicorum. Inter hæc est tabula marmorea diuersicolor, quæ ipsum affixionis locum indicat. Habetur hîc Indulgentia plenaria. Passibus aliquot interiectis, reditur ad locum, in quo Saluator eleuatus, & Crux in rupem immissa fuit. Locus hic altitudine vnius cum semisse cubiti eminet: in cuius summitate, in petra excisum est foramen, habens in profunditate per diametrum palmum vnum cum dimidio. Margines foraminis per circuitum obducti sunt ærea lamina, cui literæ quędam Græcæ sunt insculptæ, quę præ vetustate legi commodè non possunt. Ab vtroque latere foraminis Dominicæ Crucis exstant alia duo, in quibus cruces latronum stabant: quas minores, & minùs altas fuisse verisimile est, cùm foramina itidem minùs profunda sint: quibus nunc ligna simplicia sunt imposita. Cruces latronum, interstitio quatuor cubitorum distabant à Cruce Christi, nisi quòd illa, quæ ad læuam, nunc fermè cubito longiùs, quàm dextera, dimouetur: idque propterea euenit, quòd cùm petra scissa esset, vt habetur in Euangelio, crux quoque remotior facta est. Profunditas fissuræ in illa petra vestigari non potest; latitudo tres cubiti quadrantes comprehendit. Sanctuarium hoc est Georgianorum, qui sedes ad mare Nigrum habent. Nonnulli eos

Pyeczy-

Pyeczyhorienſes eſſe affirmant: quod cùm ex hiſtoricis non conſtet, omitto. Indulgentia hîc plenaria. In pariete pendet aulæum antiqui operis ex lana, cui Crucifixi imago eſt intexta. Poſt cruces, paries Eccleſię conſurgit, in cuius tergo eſt alia Capella Abyſſinorũ: quo loco Abraham Iſaacum filium immolaſſe memoratur. Locus genuflexionis Iſaaci, marmore diuerſi coloris eſt conſtratus, vnóque & dimidio cubito in longum & latum protenditur. inter ſanctuaria tamen non connumeratur. Habent hîc fixam manſionem ſuam Abyſſini, quandoquidem triennio elapſo decedentibus, ſucceſſores ad S. Sepulchrum alij ſubmittuntur: quod tum fit, quando nullum illis cum Turcis eſt bellum, quod rarò tamen euenit. Eſt hîc Indulgentia annorum ſeptem, & quadragenarum totidem. Ad illam Capellam extra Eccleſiam Proceſſio non fit: quam nos poſt triduum viſitauimus.

Locus immolationis Iſaac.

Ex monte Caluarię deſcendendo, itur ad Lapidem Vnctionis, qui è regione Portæ maioris, qua ingreſſus ad Eccleſiam patet, eſt poſitus. In eo Chriſtus Dominus, è Cruce depoſitus, à Ioſepho & Nicodemo, condîtus aromatibus eſſe perhibetur. Eſt quatuor cubitos longus, latus vnum cum ſemiſſe. Catholicorum eſt hic locus, & habet Indulgentiam plenariam.

Locus Vnctionis.

Hinc tandem peruenitur ad Capellam ſacri Sepulchri: quam Proceſsio ter circumit, & vbi ante oſtium deuenitur, omnes in genua procumbunt: cumque propter loci anguſtiam omnes ſimul ingredi non poſsint, præcedit Sacerdos religioſus qui facit exhortationem: quem peregrini per ordinem ſinguli ſequuntur, in ſacratiſſimum Domini Sepulchrum introeuntes per humile & depreſſum oſtiolum, ad cuius partem dexteram intrinſecus, altitudine vnius cubiti cum dimidio, eſt locus in planum extenſus, adinſtar ſcamni: in quo ſanctiſſimum Chriſti corpus poſitum fuit. Sepulchrum hoc ſanctum, eſt Ca-

Sacri Sepulchri affiguratio.

tholicorum, habetque plenariam Indulgentiam. In eius anteriori parte est Capella rotunda, vbi est lapis depressior, in quo sedebat Angelus, nuntians mulieribus gloriosam Christi resurrectionem. Retro Sepulchrum Domini, est paruum Sacellum Cophtorum siue Chaldæorum, absque sanctuario. Oratione in sacro Sepulchro finita, & sanctissimo loco humiliter exosculato, Processio versus Capellam Apparitionis continuatur: in transitu duo sunt rotundi lapides, vlnam cum dimidia latitudinis in circumferentia habẽtes, sex cubitorum spatio ab inuicem distantes: in quorum vno, qui Sepulchro proximus, stabat Christus; in altero Maria Magdalena cum Christo, quem hortulanum putabat, colloquens: Non procul inde est altare dedicatum eidem Sanctæ ad Catholicos pertinens, Indulgentiam septem annorum & totidem quadragenarum habens. Hinc iam Processio completa, ad Capellam Apparitionis redit: vbi à Fratribus Completorium decantatur: peregrini autem deuotioni vacant, per sacram Confessionem, ad crastinam diuinissimi Sacramenti perceptionem sese præparantes.

Locus, Noli me tangere.

Noctem insequentem peregrini in deuotione particulari transigunt, prout diuina bonitas cuilibet eam inspirauerit. Si quis tamen somno prægrauatur, potest in aliquo sanctuario, vel ad Sepulchrum Dominicum, vel in monte Caluariæ, vel alibi modicum quiescere: quod in longum produci nõ potest, quandoquidem ante mediam noctem, quælibet natio ritu suo, in deputatis Oratorijs, diuina celebrat officia, Catholici verò in Capella Apparitionis matutinas preces decantant: quibus finitis Sacerdotes sua priuata sacra peragunt. Matura Missa plerumque ad Sepulchrum Dominicum, à peregrinis, quod & nos faciebamus, frequentatur: deinde concedit quisque, vbi magis adlibuerit. Et quoniam in sacris his locis, etiam oratio fit pro defunctis parentibus & propinquis, nonnulli impetrant à

Assiduitas diuinorum officiorum in Basilica Ierosolymitana.

Pro defunctis suffragia.

Sacer-

Sacerdotibus, vt Sacra in præsentia illorum in monte Caluariæ pro defunctis celebrent, vel quocumque alio in loco, vt id fiat, Dominus alicui inspirauerit. Cùm tempus inchoandi summi Sacri aduenerit, quod Pater Vicarius tunc peragebat, Sacerdotes, vt in celebri festo, solenniter induti, ad Sepulchrum Dominicum procedunt. Celebrans accedit ad altare solus, ceteri verò Sacerdotes, qui sacrum decantant, in Ecclesia extra Capellam remanent: nam exterior hæc S. Sepulchri Capella minùs capax est, & peregrini tantùm, ibidem genu flectentes, per ostiolum inferiùs introspiciunt in sacrum Sepulchrum, & apud Missæ sacrificium deuotionem suam peragunt: quemadmodum & nos fecimus, ibidemq; sacrosanctam Eucharistiam suscepimus. Sacerdos propriè in hoc ipso loco, in quo Saluatoris Corpus iacuit, (qui quasi scamno in rupe exciso assimilatur) commodè stans diuina tractat mysteria: quandoquidem locus hic à terra, vltra sesquicubitum est eleuatus, latitudo verò quæ Corpus Christi admittebat, vnius itidem est cubiti. Ad parietem, est antiquissima tabula, in qua Christi resurgentis imago, inter duos Angelos genuflexos, est depicta. Finito Sacro, Fratres religiosi, Horas Canonicas in Apparitionis Capella perficiebant, nos quoque Orationes nostras continuabamus. Deinde exspectantes dum Turcæ Ecclesiam reserarent, perlustrabamus alia loca, vtpote sepulchra familiæ Iosephi ab Arimathia: qui locus est Syrianorum vel Iacobitarum, sed non numeratur inter sanctuaria. Sepulchra hæc sunt retro sacrum Sepulchrum sub Ecclesiæ porticu superiore, cuius parieti cùm sint contigua, amplum spatium peragendæ Processioni præbent. Vidimus etiam sepulchra Balduuini Regis & Godefridi Bullonij fratris eius, qui Terram sanctam è manibus infidelium recuperarunt, & ipsam ciuitatem Ierosolymitanam trigesimo nono obsidionis die, anno 1098. (alij tamen 1099. die quintadecima

Iosephi ab Arimathia familiæ sepulchra.

Baldu. & Godefridi Regum sepulchra.

ma Iulij id factum volunt) in potestatem suam redegerunt. Sunt etiam & alia quinque vel sex sepulchra vno eodemque modo & forma constituta, quorum inscriptiones ob vetustatem difficulter leguntur. Apparet Græcæ gentis hominum ea fuisse. Non habentur pro sanctuarijs. Quoniam verò Capella (vbi tria tantùm sunt monumenta, cùm alia non procul tamen ab illa sint in Ecclesia posita) est sub ipso Caluariæ monte constructa, fissura illa quæ inter Crucem Christi & læui latronis facta erat, optimè inferiùs in rupe apparet quàm latè diducta fuerit. Græci lampadẽ in ea accendunt, quæ tamen perpetuò non ardet.

Epitaphium vnum commodè legi potest, quod Christianus Adrichom. in libro suo posuit, & ego ex sepultura ipsa descripsi:

Rex Balduinus, Iudas alter Machabæus,
Spes patriæ, vigor Ecclesiæ, virtus vtriusque,
Quem formidabant, quicumque tributa ferebant,
Cedar, Ægyptus, Dan, ac homicida Damascus,
Proh dolor in modico clauditur hoc tumulo.

Epitaphium aliud, non omnes dictiones habet quæ legi possint.

HIC IACET INCLYTVS DVX GODOFRIDVS DE BVLLON, QVI TOTAM ISTAM TERRAM ACQVISIVIT, CVI .. TV ... CHRISTIANO ... CVIVS ANIMA REGNET CVM CHRISTO, AMEN.

Sepulturas alias, P. Stephanus Raguſinus scribit esse Regum coniugum & liberorum: Adrichomius autem sex Regum, qui Terræ sanctæ dominabantur; quod verisimilius videtur. Nec enim probabile est Reges illos, per itinera tam longinqua & periculosa, vxores & liberos circumduxisse. Ego quamuis diligenter inscriptiones eiusmodi contemplatus fuissem, præter superiùs posita, plura describere non potui. Nam character est antiquus, abrasus;

sus; & sepulchra ipsa rupta & mutilata. Circa meridiem Turcæ aduenientes reserarunt Ecclesiam. Quamobrem quemadmodum intraueramus, ita inde egressi sumus, cum religiosis,& nonnullis alijs. Hi autem fuerunt diuersarum nationum, Christiani Ierosolymis residentes, qui, quoties adueniunt peregrini, facultatem cum illis Ecclesiam ingrediendi, aliqua ratione impetrant. Nec enim aliàs intromitti solent, nisi in maioribus solemnitatibus in eorum gratiam Basilica aperta. Ingrediuntur autem, cùm peregrini adsunt, absque aliqua vectigalis solutione. Quo nomine magnas peregrinis agunt gratias, prout & nobis egerunt, quòd propter eorum aduentum, sacra loca visere concessum illis fuerit. Admittuntur tamen etiam illi Ierosolymitani incolæ, qui res ad deuotionem pertinentes diuendunt: vt sunt calculi precatorij, ex arbore oliuarum & terra confecti, ex qua primus parens Adamus dicitur plasmatus, quæ Damasco aduehitur: lapides itidem varij in formam calculorum similium concinnati: cruces cum reliquijs locorum Terræ sanctæ: mensuræ itidem Sepulchri Dominici, cum alijs nonnullis rebus eiusmodi. Sumus igitur egressi omnes, nullo intus relicto. Nam egredientes singulos Turcæ numerant, vt constet tot egressos, quot fuerunt in Templum admissi. Erat tunc temporis ibidem femina quædam Polona, Dorothea Siekierzecka, quæ ab annis aliquot Ierosolymis morabatur, annum agens ętatis circiter quinquagesimum. Hanc nonnulli mente captam arbitrabantur: Deo tamen id soli notum. Nam magna & admirabili deuotione prædita videbatur, nullamque occasionem Basilicam Saluatoris ingrediendi prætermittebat. Hæc cùm esset Catholica, locum non habebat Ierosolymis vbi caput reclinaret. Nec enim in Conuentu Fratrum habitare licitum illi erat, quò non nisi confessionis caussa accedebat. Itaque cùm hinc inde per ciuitatem vagaretur, sæpiùs fiebat, quòd à Turcis mi-

Siekierzecka peregrina Polona.

ſerè vexabatur, & quandoque etiam verberibus adeò excipiebatur, vt mirum fuerit, quomodo viuere potuerit. Nam coſtas ferè omnes, in tenero corpuſculo, verberibus confractas habebat; dumq; tertia vice Dominicum Sepulchrum ingrederemur, vix eam à rabie Turcicorum puerorum defendere & eripere potuimus. Quamobrē propter ſcandala, quæ ſacris illis in locis eius occaſione committebantur, Gregorius XIII. Pont. Max. ſub excommunicationis pœna interdixit, ne mulieres ampliùs Ieroſolymam proficiſcerentur. Procuraui itaque apud Cadium, vt, quod abſque eius permiſſu fieri nō poterat, cùm illa ſpontè nollet, per vim iſthinc abduceretur. Dixi eam popularem meam fuiſſe, & è capite laborare. Conceſſit ille non grauatim. Relicta igitur illi pecunia qua Tripolim adnauigare poſſet, prior è ſancta ciuitate diſceſſi.

Mulieribus Ieroſolymitana peregrinatio prohibita.

Templo egreſſi, venimus ad noſtrum monaſterium, vbi in communi Frat. Refectorio prandio ab illis excepti humaniſſimè fuimus; cùm anteà in peregrinorum diuerſorio cibum capere ſoliti eſſemus. Poſteà ad viſenda quoque alia ſacra loca deducti fuimus. Inprimis vidimus magnam Armenorum Eccleſiam, eo in loco fabricatam, in quo Herodes decollari iuſſit S. Iacobum maiorē, Act. 12. In ingreſſu templi ad læuam, circa medium ipſius, prope murum eſt altare martyrij huius glorioſi Chriſti diſcipuli. Habet ſeptem annos de Indulgentijs & totidem quadragenas. Vidimus & domum Annæ Pontificis, ad quam primò Chriſtus ductus fuerat: vbi nunc eſt parua Eccleſia eorumdem Armenorum. Habet & ipſa ſeptem annos Indulgentiarum cum totidem quadragenis. Poſteà ſumus egreſsi per portam, quæ nunc etiam vocatur Porta Dauid, vel Porta Sion. Nam extra illam inchoatur mons Sion, qui nunc muro ciuitatis non comprehenditur. Non procul ab ea domus eſt Caiphæ, Eccleſia ſatis ampla Armenorum: in qua ad dextram altaris maioris, eſt carcer, in quo

Iacobi Maioris decollationis locus.

Annæ Pont. domus.

Caiphæ domus.

quo Christus Dominus noctem egit, multa ignominiosa à Iudęis perpessus, vt in Euangelio legitur. Locus est tenebricosus: protenditur ad longum circiter ad vlnas octo, in latitudine angustior. In altari maiori iacet lapis, qui positus erat ad ostium Sepulchri Dominici, magnus valdè, habens in longum ferè quatuor, in latum duos ferè cubitos, crassitiem verò dimidij & paulò plus cubiti: vt mulieres meritò loqui inter se debuerint; Quis reuoluet nobis lapidem? considerato eius pondere, cui subleuando, vix decem homines sufficerent. Eodem in loco, ante conspectum Caiphæ, ab eiusdem scelerato ministro data est alapa IESV. Est hîc Indulgentia plenaria. Ante Ecclesiam in medio areæ plantata est oleæ Arbor: quo in loco, vt creditur, ad ignem accensum D. Petrus Christum negauit: ad cuius latus est malus aurea arbor, cui insidens gallus cantauit. Inde ad iactum lapidis est sacrum Cœnaculum, in quo Christus Cœnam vltimam cum discipulis peregit. Huc ingredi Christianis & Iudæis non permittitur, cùm Turcæ Moschæam suam intus habeant. Quamobrem peregrini ad locum hunc conuersi, vnum Pater noster & Aue Maria genu flexi recitant, & Indulgentiam plenariam, ac si ingressi essent, assequuntur. Ego tamen, vt inferiùs dicetur, cum duobus alijs, sacrum hoc Cœnaculum posteà sum ingressus: quod cùm me posse ingredi diffiderem, tunc cum alijs deuotionẽ, vt licuit, hoc loco absolui. Hæc tria loca, vt iam dictum est, ad Armenos pertinent, vbi habent sua monasteria, ibiq́ue habitant. Inde paululùm ad læuam vltra montem progressi, paruam specum intrauimus, in qua Petrus negationem suam defleuit amarè. Locus nulli nationi deputatus. Habet septem annorum & totidem quadragenarum Indulgentiam.

Carcer Christi.

Lapis Dominici Sepulchri.

Petri negationis locus.

Cœnaculum Dominicũ.

Ad dextram domus Caiphæ, est Cœmeterium Catholicorum, locus sepulturæ illorum ab antiquo deputatus. Nullus enim in ciuitate sepeliri potest, immò & ipsi Tur-

cæ in ſuburbio humantur, niſi ſint aliqui ex nobilioribus, qui Moſchæas ad eum vſum ſibi conſtruunt. Reuerſi deinde ſumus per eamdem illam portam in ciuitatem, & ad læuam per aliam plateam verſus monaſterium procedendo, fuimus apud portam Ferream, per quam Petrus ex carcere eductus eſt ab Angelo, Act. 12. Fores hîc nullæ, & locus planè deſolatus.

Porta Ferrea.

Manè ex monaſterio egreſſi, per ciuitatem euntes, pro- 28.
pe portam ad læuam, deflexímus ad domum Ioachimi: in cuius parte inferiori ſunt habitationes aliquot, in quibus oſtenditur conclaue beatiſsimæ Virginis, & locus Natiuitatis eius: cùm nonnulli velint eam ibidem Ieroſolymis natam. Indulgentia hîc annorum & quadragenarum ſeptem.

Ioachimi domus.

In monte eſt Eccleſia S. Annæ dicata, cum monaſterio Virginum, à S. Helena conſtructo. Turcarum ea domus & Templum, quod tamen Chriſtianis adire licet: cùm minùs frequenter Turcæ cæremonias ſuas in eo peragant. Deinde exiuimus è ciuitate per portam S. Stephani, ſic nominatam, quòd per eam diuus hic Protomartyr eductus ad lapidandum fuerat. Deſcendendo, in medio montis, eſt diuerticulum in rupe plana; & hic lapidationis locus, vbi antiquitus erat Oratorium, cuius nunc non exſtat veſtigium. Paulò inferiùs, hortum verſus, in quo Chriſtus captus eſt, oſtenditur locus, in quo beata Virgo Maria ſtabat, orans pro Stephano, cùm à Iudæis lapidaretur; quæ rupis planities hinc optimè conſpicitur. Habetur hîc Indulgentia ſeptem annorum cum totidem quadragenis.

Porta S. Stephani.

Lapidationis locus.

Deſcendimus deinde in vallem Ioſaphat: in cuius imo, rupes exciſa, & muro per gyrum cincta, quadraginta gradus habet: per quos deſcenditur ad paruam Capellam, in qua erat monumentũ beatiſsimæ Virginis Mariæ. Eſt ibi altare, in quo nobis præſentibus Miſſam celebrauit Frater Ioan-

Vallis Ioſaphat.

B. Mariæ Deiparæ monumentum.

Ioannes de Florentia. Catholicorum hic locus, habet Indulgentiam plenariam. Lampades hîc duodecim pendẽt, quæ non accenduntur, niſi cùm Sacrum fit. Ad latera Capellæ, ſunt alia duo altaria; & in medio ſcalarum, ab vtraque parte Sacella, in quibus erant ſepulturæ familiæ Ioachimicæ: nunc ea loca diuerſæ nationes obtinent. Aſcendendo inde ad dexteram eſt Capella S. Ioſeph ſponſi beatiſſimæ Virginis; è regione ad lævam, parentum ipſius, S. Ioachimi & Annæ. Vtrobique Indulgentiæ ſeptem annorum & totidem quadragenarum ſunt attributæ. Inde verſus montem Oliueti procedendo, ad dextram relinquitur in loco valdè depreſſo villa Gethſemani, cuius ruinæ non exſtant: planities tamen ſupereſt, in qua quercus aliquot, ruſticorum fortaſſe olim, reſiduæ conſpiciuntur. *Gethſemani villa.*

Linquitur & hortus ibidem ſtatim ad dextram, vbi Chriſtus fuit captus; & rectà deuenitur ad lapidem, qui Apoſtolorum nominatur, vbi Apoſtoli ſomno grauati, ad vigilantiam Chriſti verbis admonebantur. Ad iactum lapidis, locus Orationis Chriſti reperitur. Eſt antrum ſubterraneum, ingreſſum habens anguſtum, & foramen in parte ſuperiori, loco feneſtrę: per quod lapides iſthic exciſi commodè extrahebantur. Locus eſt quietus, & planè deuius, ad quem nulla ſemita ducit. In eius ingreſſu eſt altare, vbi Chriſtus in oratione proſtratus iacuit; à quo cubitorum quatuor diſtantia, eſt columna in rupe exciſa, cui ſuperior antri pars innititur, in qua Angelus eum confortans apparuit. Antrum hoc eſt lucidum, & non inelegans, nulliqúe nationi appropriatum, Indulgentiam obtinet plenariam. *Hortus agoniæ Chriſti.*

In reditu ad iactum lapidis, quà verſus hortum itur, per quatuor gradus deſcenſus patet, quaſi ad viculum quemdam, in eum locum, vbi Iudas Chriſto obuius, illum oſculatus, ſignum dedit Iudæis vt comprehenderetur; vt habetur in Euangelio. Locus nulli nationum adſcriptus, plures arbores oliuarum continet, & habet

Indulgentiam plenariam. Inde ad læuam relinquitur sepulchrum Absalonis, 2. Reg. 18. quod è saxo viuo, forma pyramidis (non columnæ, vt aliqui volunt) decem cubitorum altitudine consurgit. Aliud etiam ibidem est sepulchrum Zachariæ, filij Barachiæ, de quo Matth. 23. cui pyramis quoque est imposita, sed minor & depressior. Non longè ab ijs monumentis, sunt foramina rupium seu antra, in quibus, capto Christo, latitabant Apostoli: locus itidem in rupe, in forma Capellę S. Iacobi Apostoli, de quo diuus Hieronymus scribit, quòd panem sumere noluerit, quoad Christum à mortuis resuscitatum videret. Apparuit ei igitur ibidem Christus panem porrigens, & dixit: Sume Iacobe: Filius enim hominis à mortuis resurrexit. In quolibet locorum prædictorum habetur Indulgentia septem annorum & totidem quadragenarum.

Absalonis sepulchrum.

Zachariæ sepulchrum.

S. Iacobi ieiunantis locus.

Per vallem Iosaphat, quæ inchoatur à monumento Beatissimæ Virginis, labitur torrens Cedron: qui à prædicto sepulchro itidem originem sumit. Crescit autem ex aquis pluuiarum, quæ primo vere proueniunt; aut è ciuitate ipsa (quæ in monte sita est, & montem Oliuarum oppositum habet) concepto meatu defluunt. Æstate planè desiccatur: propter aquas tamen ingruentes, non procul ab antris prædictis, pontem paruum ex latere cocto impositum habet: ad cuius dextram locus est, in petrę superficie plana, satis latus; in quo vestigia manuum, vtriusque genu, & extremitates digitorum pedum Saluatoris nostri sunt expressa, cùm à Iudæis ponticulo deiectus, ibidem concidisset. Locum hunc peregrini deosculantur, & habet septem annos & totidem quadragenas de Indulgentijs. Vestigia hæc, cùm in aperto sint aëre, pluuias & tempestates excipiant, & quotidiano vsu & deosculatione attrectentur; tamen integra semper permanent: quod proculdubiò non fieret, si, prout hæretici volunt, arte facta & incisa lapidi essent: quod vel ex Mediolanensi petra,

Torrens Cedron.

Vestigia cadentis Christi in Torrente Cedron.

tra, quæ retro maius altare in Ecclesia Cathedrali muro est inserta, facilè comprobatur. In qua cùm vestigij pedis Christi mensura, sit humana arte insculpta, nec pluuio cælo aut aëris iniurijs expositа, attrectatione tamen & oscu-lationibus ita consumitur, vt vix iam, quidnam sit, appareat, licet non adeò sit à multo tempore ibidem posita. In Ierosolymitana autem hac rupe, sacra hæc vestigia, à mille quingentis & ampliùs annis, planè integra, & velut recenter expressa apparent. Si quis ea scalpello renouari dicat, id fieri nulla ratione potest. Nam cùm petra hęc in via publica sit, si quis Christianorum id attentaret, prohiberetur illicò; quandoquidem ne minimum quid Christianis restaurare isthic licet, nisi Sangiacus, expressum ea de re, Cæsaris sui mandatum acceperit. Prætereà cùm Turcæ Ierusalem, ciuitatem Sanctam appellare consueuerint, diligentissimè cauent, vt ne quid antiquitatum depereat. Adhæc sculptura renouata, vel ex ipsa petræ profunditate & concauitate, facilè innotesceret: & cùm signa hæc, in rupe lata & plana sint impressa, vt aptè renouata vestigia apparerent, deberet & ipsa dedolari: vnde superficiei planities, frequentiori renouatione, tanto temporum interuallo, ad notabilem profunditatem deduceretur: quæ nunc ita eminet, ac si quis in argillam vdam pedibus & manibus prolapsus conspiciatur. Hæc qui diligentiùs considerauerit, facilè videbit, rem miraculo, non manu, quod non difficulter appareret, factam. Ponte hoc superato, per triginta circiter gradus descenditur ad locum profundum, qui fons Draconis appellatur, in quo Beatissima Virgo aquas hausisse, & panniculos suos fertur abluisse. Nam licet clarissima stirpe edita, spiritu tamen humilis fuit, prout sacra Scriptura testatur. Ad læuam deinde inter oliueta locus ostenditur, in quo Regis Manassis iussu, Isaias Propheta, per medium serra dissectus est. Ad latus Martyrij Isaiæ, sub monte, est natatoria Siloë, de qua

Turcæ antiquitatum Ierosolymis conseruandarum studiosi.

Fons Draconis B. Virginis.

Isaiæ martyrium.

qua Ioan. 9. vnde horti omnes, qui sunt in valle Iosaphat, abundè irrigantur. Non procul inde apparēt ruinę turris, quæ tempore Christi collapsa, homines decem octo oppressit, Luc. 13. Habentur hîc septem anni & totidem quadragenæ de Indulgentia. Aquam hanc Siloë, Turcæ pro sacrata & benedicta reputant; & plurimi ad lauandum in ea, singulis ferè diebus accedunt. Quamuis enim per cuiusuis aquæ ablutionem se à peccatis mundatos existiment, de hac tamen singulari quodam modo sibi pollicentur, quòd corporibus etiam curandis plurimùm conferat. Quamobrem dum eò peruenissemus, in parte superiori (nam per gradus aliquot in rupe excisos isthuc descenditur) expectare aliquamdiu necesse habuimus, dum Turcæ, qui ibidem lauabant, & vestimenta abluebant (hoc autem libenter faciunt, melioris, vt putant, ominis caussa) discederent.

Natatoria Siloë à Turcis frequentata.

Circumeundo ciuitatem ad dextram versus montem Sion, ad partem sinistram est in rupe Ager Haceldemach, qui pretio Christi à Iuda venditi, fuit triginta argenteis emptus. Nunc est Armenorum, qui ibidem sepeliuntur. Terra loci illius talis est, vt cadauere impositò, nec cooperto, (quod vidimus) caro, infra viginti quatuor horarum spatium, tota defluat & absumatur, nec aliud quàm nuda ossa integra relinquantur. Locus hic muro est cinctus, ne Christianorum ossa à Turcis infestentur. Permittunt Armeni, & aliarum nationum hominibus in hoc agro sepulturam, aliqua oblata eleemosyna: Post angulum templi Salomonis, est porta parua Sterquilinij, per quam sordes ciuitatis eijcebantur. Per eam Christus comprehensus, ad Annam ductus est à Iudæis, populi tumultum metuentibus. Venimus deinde sub montem Sion, in cuius summitate olim fuit arx Dauid, cuius extant ruinæ: & transeundo prope piscinam Bethsabeæ (de qua dicetur inferiùs)

Ager Haceldemach intra horas 24 cadauer absumit.

Porta Sterquilinij.

feriùs) per Portam piscium redijmus ad monasterium.

Peracto prandio, ingressi denuò sumus Basilicam S. Sepulchri, & Processionem, vt suprà memoratum est, absoluimus. Finitis Vesperis, per exomologesin ad perceptionem sacrosanctæ Eucharistiæ nos præparabamus. Erat tum Vigilia SS. Petri & Pauli Apostolorum. Nox ibidem in deuotione, prout Deus inspirauit, transacta. Post mediam noctem, Matutinæ preces decantatæ: Missa matura ad S. Sepulchrum, alia itidem Summa per P. Vicarium in monte Caluariæ, ad altare Catholicorum decantata, in eo loco, in quo Christus Dominus Cruci affigebatur. Ibidemque sanctissimo Sacramento suscepto, processionaliter ad sacrum Sepulchrum deducti sumus: vbi intus Insignia militiæ sancti Sepulchri, pro more Christianis antiquitus recepto, suscipiebamus. Peragitur hæc cærimonia à loci Guardiano pro tempore existente, ex priuilegio antiquitus à summis Pontificibus concesso: qui, quandoquidem, vt superiùs dictum est, Constantinopolim profectus erat, eius loco, munus hoc idem ille P. Vicarius absoluit. Qui ritus autem & cærimoniæ in actu hoc adhibeantur, libello particulari copiosiùs explicatur: cuius exemplar ad calcem apponitur, vt inde quilibet petere possit.

Secundus ingressus ad S. Sepvlchrvm.

Militia S. Sepulchri.

Nomina eorum qui mecum Ierosolymis fuerunt, & sacræ militiæ huius Ordinem susceperunt, sunt hæc: Abrahamus, Baro de Dona, Silesius; Georgius Cos, & Michael Konarski, Prutheni; Andreas Skorulski, Lithuanus; Petrus Bylina, Polonus. Aderant & alij quoque, vtpote P. Leonardus Pacificus, Sacerdos Societatis IESV cum socio Cypriota; Ioannes Scholtz chirurgus, Vratislauiensis; & Ieremias Giermek cocus, Lithuanus.

Dum expectaremus Turcas, qui nobis Ecclesiam aperirent, iniecta fuit à nonnullis thesauri Basilicæ S. Sepulchri mentio: quem, liberalitate Christianorum Principum, non mediocriter auctum fuisse probabile est. Sed

Thesaurus Basilicæ S. Sepulchri.

Ieroſolyma in poteſtatem infidelium redacta, nihil ex eo reliquum videtur. Selimus Primus, cùm Ægyptum depopularetur, theſauro quoque manus inijcere volebat, quem Religioſi fratres in terram defoderant: cumque reperiri nullibi poſſet, omnes quotquot erant, in tetrum carcerem in arce Ieroſolymitana (de qua inferiùs) coniecti, per ſeptem & viginti menſes, pane dumtaxat & aqua ſuſtentati, miſerè detinebantur. Tanta tamen eorum fuit fortitudo & conſtantia, vt nulla flagrorum & tormentorum vi, vt eum proderent, adigi potuerint. Multi ex illis mortui; reliquos Tyrannus, Ægypto occupata, & bello finito, dimitti iuſſit. Circa meridiem dimiſſi ex Eccleſia, venimus ad monaſterium, vbi peracto prandio, diplomata ſacræ Militiæ in pergameno conſcripta, nobis exhibebantur. Secretarius Monaſterij qui meo tempore ea ſcripſit, erat F. Deodatus Neapolitanus. Exemplar literarum mihi conceſſarum tale eſt.

In eo nō reuelando Fratrum Minorum conſtantia.

Quamuis F. Angelus Stella Cōſtantinopolim, vt antè dictū, diſceſſerat; ſub eius tamē nomine diplomata ſcribebantur. Moris eſt enim, vt Commiſſarius tantùm ſubſcribat, (quod & diſcedens in mēbrana nudafecit) in cuius abſentia, Vicecommiſſarius literas expediat. Nam Militibus S. Sepulchri, dum Ordinem militiæ ineunt, propter cærimoniam dantur literæ, in quibus notatur hoc ſolùm, quod per illud tempus aliquis vidit Auctor verò quoniam poſteà in multis alijs locis fuit, idcircò iam diploma in illis membranis ſubſcriptis accepit, vbi refertur, quæ loca quis perluſtrauerit. Non enim omnes peregrini, omnia loca ſacra adeunt, ſed tantùm, quæ cui adlibuerint.

VNIVERRSIS & *ſingulis, præſentes literas inſpecturis, ſalutem in Domino ſempiternam. In nomine clementiſſimi Domini noſtri* IESV CHRISTI, *Amen. Notum ſit, quòd nuper ad ſacratiſſima Terræ ſanctæ loca viſitanda, ex ſincero cordis affectu, peregrè ſe contulit Illuſtriſſ. Nicolaus Chriſtophorus Radziwil, Dux Olicæ & Neſuiſch, Comes in Schidlowiec ac Mihr, ſacri Romani Imperij Princeps, Archimarſchalcus Magni Ducatus Lithuaniæ: & ſacratiſſimum Domini noſtri* IESV CHRISTI *Sepulchrum, à quo die tertia glorioſus reſurrexit, præmiſſa Confeſsione, ac ſacra percepta Communione, cum magna deuotione viſitauit, & reuerenter amplexus & deoſculatus eſt: ſanctúmque Caluariæ locum, in quo pro humani generis redemptione, in Cruce mortem ſubijt amā-*

amarissimam. Sion etiam montem, vbi cœnam illam mirificam cum discipulis fecit, eorúmque pedes humiliter lauit, eiusdemq; Spiritus super discipulos in linguis igneis descendit. Bethlehem quoque Dauid ciuitatem, vbi pro nobis de Virgine Maria nasci, inter animalia reclinari, octaua die circumcidi, & deinde à Magis adorari dignatus est. Montana etiam Iudææ, vbi sancta Dei genitrix Virgo beatam visitauit Elizabeth, & Præcursor Ioannes natus est, eiúsque desertum, in quo pœnitentiam egit. Bethaniam similiter, vbi Lazarus quatriduanus mortuus, à Domino est resuscitatus: atque Oliueti montem, in cuius pede die passionis suæ ter orauit, & à cohorte Pilati captus & ligatus fuit: de cuius etiam summitate mirabiliter propria virtute cælos ascendit. Intemeratæ quoq; Virginis Mariæ Mausoléum in Iosaphat vallis medio situm, à quo gloriosa in stellatum solium ab Angelis cũ corpore & anima assumpta est; multáque alia pia loca, tam in Ierusalem ciuitate sancta, quàm extra, vicina, in quibus Dominus noster IESVS CHRISTVS pro sua ineffabili clementia nostram salutem operari dignatus est; laboribus, periculis, expensísque plurimis pro Christi amore viriliter perpessis, personaliter visitauit, & pio affectu veneratus est. Idcircò nos Frater Angelus Stella Venetus, Ordinis Minorum Regularis Obseruantiæ, Prouinciæ sancti Antonij Sacri Conuentus sancti Saluatoris Guardianus & Commissarius, & aliorum locorum Terræ sanctæ, Apostolica auctoritate, generalis Gubernator & Rector, ob dicti Illustriss. Nicolai Christophori deuotionem, ad hæc sacratissima loca, & singularem affectum zelúmq; in totius Christianæ religionis augmentum, illum militari dignitate duximus insigniri. Ideóque auctoritate qua fungimur Apostolica, super glorioso Domini nostri IESV CHRISTI Sepulchro, ipsum Illustriss. Nicolaum Christophorum militari dignitate insignimus & decoramus, ac huiusmodi ornamento, quibuscumque præsentes literas nostras inspecturis, insignitum declaramus & denũtiamus; decernentes insuprà, eumdem Illustriss. Nicolaum Christopho-

rum, tamquam verum & legitimum Militem, talíque dignitate non immeritum, de cetero posse deferre Sancta Crucis, sanctissimi Sepulchri, ac S. Georgij insignia, secretè aut publicè, prout sibi videbitur: & frui valere & debere omnibus ac singulis immunitatibus, prærogatiuis, præeminentijs, & priuilegijs, quibus ceteri Milites ipsius sanctissimi Sepulchri, vti ac frui consueuere. Item declaramus & constituimus præsentem Illustriss. Nicolaum Christophorum, propter singularem eius in religione hîc sancti Francisci conseruanda affectum, dictorum locorum Terræ sanctæ Procuratorem Generalem. In quorum omnium fidem, robur, & testimonium præsentes fieri curauimus, & Sigillo præfati sanctissimi Sepulchri, nostróque Chirographo communiri. Jerosolymis in prædicto nostro Conuentu S. Saluatoris, anno Domini M. D. LXXXIII. *die* XXIX. *mensis Iunij.*

Frater Angelus Stella
qui suprà manu propria.

Quoniam autem ad hæc loca sacra veniens, aliquam mei peccatoris memoriam relinquere in ijs constitueram, religiosis Fratribus Dominici Sepulchri, literas vicissim eiusmodi tradidi.

IN NOMINE
SANCTISSIMÆ ET INDIVIDVÆ
TRINITATIS
PATRIS ET FILII ET SPIRITVS SANCTI.
AMEN.

NICOLAVS *Christophorus Radziwil, Olicæ & in Nesuisch Dux, in Schidlowiec ac Mihr Comes, S. Sepulchri Eques. Non alia, quàm vberrima in interiori homine nostro diuina permoti gratia, primò quidem ex voto, à nobis ob aduer-*

aduersam ualetudinem, ad præsens aggrediendum iter Deo facto, tum etiam pietatis ergô, & in expiationẽ uniuersæ uitæ nostræ peractæ cunctorum peccatorum, propositum inuisendi Domini nostri IESV CHRISTI *Seruatoris nostri Sepulchrum, aliáq; pietatis Terræ sanctæ uestigia, concepimus. Quod cùm in executionem, diuino semper potiùs, quàm proprijs meritis, fauore adiuti misissemus, peruenimus tandem uoti nostri compotes facti, Virginei partus anno* M. D. LXXXIII. *die* XXV. *mensis Iunij feliciter, per Prouincias Galilææam Samariamq;, Ierosolymam: in cuius felicioris aduentus nostri, & omnium ceterorum beneficiorum (quæ innumera sunt) summa cum largitate & infinita benignitate à Deo Optimo semper & ubique in nos exhibitorum, gratiarum actionem; statuimus iam & ordinamus in perpetuum (maiorem gloriam* DEI *semper in omnibus intuendo) & offerimus nõ illo quo debemus, sed quo possumus animo prompto & hilari, donamusq; primò Sepulchro sancto Domini* IESV CHRISTI *calicem totum aureum cum patena aurea, in utrisque cum nomine & insignibus nostris. Item alium calicem argenteum inauratum cum patena argentea inaurata, cum nomine & insignibus nostris in utrisque, offerimus & donamus, corde supplici, Bethlehem loco sancto Natiuitatis Domini nostri* IESV CHRISTI *Seruatoris nostri. Item relinquimus & ordinamus, ut quotannis in perpetuum, Sepulchro sancto tamquam sibi iure, ex uigore huius donationis nostræ, in posterum debiti, centum uigintiquinque aurei (ducentos quinquaginta florenos monetæ Lithuanicæ conficientes) deueniant ex Ducatu nostro Nesuisiensi, in perpetua tempora obligando, nos & successores nostros secundùm iura & consuetudines nostras. Quos quidem centum aureos esse uolumus pro necessitatibus pro tempore existentibus, ad beneplacitum S. Saluatoris Conuentus Fratrum Minorum Obseruantium Ordinis S. Francisci. Viginti uerò quinque alios dictos aureos, donatos & ordinatos esse uolumus in quotannos pro lampade ardente perpetuò habenda in sancto*

Cẽsus emptus est iã Venetijs. Patres ad S. Franciscum della Vigna tenẽtur singulis annis persoluere illum Ierosolymis.

Sepulchro Domini nostri IESV CHRISTI. *Prædictos autem centum viginti quinque aureos Patres Ierosolymitani, quotannis in festo diuorum Petri & Pauli à Procuratore Terræ sanctæ Venetijs pro tempore existente, exquirent. Nósque his perpaucis animo & corpore, primò vniuerso Beatorum cœtui, vestris deinde, Patres Reuerendi, quoque orationibus, supplices, viuos & mortuos commendatos esse volumus. Datum Ierosolymis anno Deiparæ millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, die sacro diuis Petro & Paulo Apostolorum Principibus, quo ibidem in Equitem Auratum creati sumus.*

Et quoniam Fratres prædicti Conuentus Ierosolymitani, multa mecum de sacri loci necessitatibus contulerunt: ipsemet etiam manifestè conspexi, angustias & rerum inopiam, quam inter barbaros crudelissimos, in singulas horas, cum vitæ periculo, verberibus & assiduis vexationibus exagitati, patientissimè tolerant: nihilominùs singulari diuina prouidentia, ad paganorum & hæreticorum confusionem, loca illa Sacra, quæ visibilem immensę Dei bonitatis & misericordiæ memoriam nobis in terris repræsentant, integra conseruant; ibidemque sacrosanctum altaris Sacrificium quotidie offerentes, Deum pro vniuersis Christianæ professionis Ordinibus exorant: quæ oratio cælos penetrans id efficit, vt illis Turcæ non grauatim ea permittant omnia, quæ ad cultum diuinum peragendum, & fidei Catholicæ confirmationem pertinent, vnde Christiani meritò Deum collaudare, illique debitam gratiarum actionem persoluere debent. Sustentantur autem, vt viuere tamen possint, Regum, Principum, & piorum tam Ecclesiasticorum quàm sæcularium hominum eleemosynis. Quoniam etiam optimè consideraui, sacræ Basilicæ fabricam, quibusdã in locis ruinæ obnoxiam, præcipuè tholum, qui supra Capellam sancti Sepulchri eminet (vnde quidam Turcæ cùm non ita pridem, aliquot plum-

plumbei tecti laminas detraxissent, supplicio affecti fuerunt) quæ templi pars, trabibus consumptis, si corrueret, incredibili sumptu ad reparationem indigeret. Ceteræ autem nationes minùs de fabrica conseruanda solicitæ sunt, quòd templum ipsum Catholicorum sit proprium. His itaque rationibus permotus, suscepi in me, quòd piorum hominum, in partibus nostris, opem & auxilium, ad subueniendum sacro huic loco, imploraturus essem: cuius Fratrum supplicationis testimonium, quod scripto comprehendere illis visum est, hîc inserendum existimaui.

FRATER ANGELVS STELLA *Guardianus & Commissarius Apostolicus, locorum Terræ sanctæ Seruitor, Omnibus totius Regni Poloniæ, Magníque Ducatus Lithuaniæ, Reuerendissimis in Christo Patribus, & Illustrissimis Ducibus, ac magnificis Comitibus, & nobilibus Dominis, in quorum manus hæ literæ peruenerint, benedictionem nostrã, & salutem in Domino sempiternam. Cùm necessitates nostras singulas vobis singulis scribere, perdifficile visum esset, in tantulæ maximè temporis periodo, & ob id quasi huic negotio supersedissemus: cognita tamen Illustrissimi Domini Nicolai Christophori Radziwil, Equitis aurati ac Procuratoris S. Sepulchri generalis, fide dignissima relatione, de haud impari ceteris nationibus hisce temporibus in Christi Sepulchrum pietate vestra, & Christiana obseruantia, singulari in Christi pauperes affectu, animóque in omnibus verè nobili; quibus & pluribus nobis abundè à dicto Illustriss. viro, in vestram omnium laudem sincerè intellectis, excitati sumus, his literis patentibus, ob loci huius qui ruinas minatur, nostrámque pergrandem hîc pauperiem & pericula, quibus in hoc totius Christianitatis nostræ Sanctuario indies quasi ad succumbendum premimur, per hunc dictum Illustriss. Nicolaum Christophorum (licet tanta eius in nos humanitate immeriti) ad vestras Dominationes, vt ad refugium nobis singulare hisce in partibus omni Christiana pieta-*

pietate destitutis commorantibus, pro liberali eleemosyna animo supplici recurrere; sic piè præsumentes, ob fidelem de vobis relationem factam ab Illustrissimo dicto Nicolao Christophoro, ad quem nos per omnia remittimus. Pro his verò propter Christum IESVM *in hoc Christi Sepulchrum in eiúsque vigiles futuris vestris expensis, Christum ipsum optimum, vt nostis, remuneratorem vobis proponimus; & deinde, si quid nostra potuerimus oratione, non defuturos in perpetua tempora, in nobis & posteris nostris promittimus. In quorum omnium fidem has literas nostra manu subscripsimus, ac Sigillo Conuentus nostri sancti Saluatoris Ierosolymis muniri fecimus. Anno Salutis* M. D. LXXXIII. *die* V. *Iulij.*

Manè exeuntes è monasterio, iuimus ad portam Sion, vnde acceptis nobiscũ duobus Ianissaris equitibus, & asinis conscensis, demisimus nos in vallem Iosaphat; & ad radicem montis Oliueti, in parte dextera, prope ipsam viam locum vidimus, in quo Iudas proditor laqueo se suspendit. Extat modicus ruinosus fornix, à Iudæis constructus, vbi etiam nunc ipsi sepeliuntur.

Iudæ Iscariotis suspensi locus.

Confecto dimidio milliari, peruenimus Bethaniam; in ingressu ad lęuam, est domus Simonis leprosi, de quo Matthęi 26. tota planè integra. Habet angustam porticum; inferius atriolum in longum & latum cubitorum octo, satis obscurum: inde per gradus ascenditur ad impluuium; nam ædificia in partibus illis tecta non habent. Domus hæc nulli nationi attributa, habet septem annos & totidem quadragenas de Indulgentia. Inde ad iactum sagittæ, est integrum Lazari monumentum in petra excisum, in quod gradibus octo descenditur. Est ibidem altare paruum, cui lapis est superimpositus, quo sepulchrum erat clausum, quem Christus Lazarum suscitaturus tolli præceperat,

Bethania Simonis leprosi domus.

Lazari resuscitati monumentum.

Lapis hic superioribus annis in templum S. Sepulchri illatus est, ne à Turcis auferretur: vnde apparet, locum hunc ab illis in veneratione haberi. Credunt enim Lazarum à Christo esse resuscitatum.

ceperat,Ioan. 11. Celebratur in eo Sacrum singulis annis. Ex hoc antro per quatuor gradus descenditur in locum,in quo Lazarus mortuus iacuit. Habet in latitudine duos, in longitudine quatuor cubitos. Pertinet ad Catholicos, septem annos totidemque quadragenas habens de Indulgentia. Prope monumentum, habent Turcæ suam Moschæam, qui credunt etiam Lazarum fuisse à Christo resuscitatum. Vicus hic Bethaniæ habet triginta circiter domos,quas Turcæ inhabitant. Visuntur ibidem duæ ædes, non procul ab inuicem dissitæ, quarum vna Mariæ Magdalenæ,altera Marthæ fuisse memoratur. Sunt planè dirutæ,præsertim illa Marthæ, cuius vix apparent fundamenta.In vtraque domo,habetur Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum.Dum itur ad domos prædictas,prope viam publicam, est magnus lapis, qui antiquitus Lapis Colloquij seu Dialogi appellatur: in quo Christus sedens, cum Maria de morte Lazari colloquebatur.Habetur non minùs à Turcis,quàm Catholicis in magna veneratione: quem etiam Mahometani exosculantur,& pro certo affirmant,se ex maiorum traditione accepisse, quòd licet peregrini eò accedentes, non exiguas ab illo particulas auellere soleant, quod etiam à nobis est factum, lapis nihilominùs integer est, & nulla ex parte minuitur. Nec id à vero alienum. nam cùm eius sit altitudinis,vt in eo quis commodè sedere possit; si altior fuisset, proculdubiò in eo Christus non sedisset: vnde sequitur, cùm in ea altitudine nunc,vt tempore Christi,perseueret, illum auulsionibus non minui. Aderant ibi tum præsentes aliquot è Turcis valdè senes,qui à sexaginta annis,semper illum in eodem statu manere affirmabant, & patres itidem suos dicere solitos; etiamsi mille homines inde frusta accipiant,lapidem hunc nulla ratione minui posse.Propter miraculi venerationem, concessa est hîc Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum.

Magdalenæ & Marthæ domus.

Lapis Dialogi.

MONS OLIVETI.

Ex Bethania profecti sumus ad dextram versus montem Oliueti. Est is cumprimis altus: in cuius medio apparent vestigia villæ Bethphage, quam exiguam fuisse liquet. Relictis hîc asinis, ascendimus summitatem montis, è quo Christus ad cælos ascendit. Erat anteà hoc ipso in loco Ecclesia per diuam Helenam fabricata, quæ planè est diruta. Nunc habent hîc Turcæ Moschæam paruam, rotunda forma cõstructam, in cuius medio in saxo est sacrum vestigium pedis Christi Saluatoris, quod in cælos ascendens reliquit. Hoc Turcæ plurimùm venerantur & exosculantur. Aliud pedis alterius vestigium diuisa petra, Turcæ ad templum Salomonis transtulisse dicuntur. Nobis in porta huius Moschææ stantibus, fuit concessum sacrum hoc signum intueri, quod ab ipsa porta qutuor circiter cubitis est remotum. Anteà licebat Christianis intus ingredi, & locum sacrum exosculari. Sed qui tum officium Cadij administrabat, cùm suæ religionis obseruantissimus esset, nec peregrinos in parietibus loci huius Cruces depingentes tolerare posset, ante duos annos, sub pœna capitis edixit, ne quis Christianorum ampliùs eò ingrediatur. Itaque in foribus Sacelli orantes, plenam Indulgentiam consequuntur. Sæpiùs idem Cadius ad locum hunc sacrum accedebat, eumque singulari quodam modo venerabatur. Habent enim Turcæ in honore loca hæc sancta, nempe Bethlehem *, vbi Christum de Virgine natum credunt: hunc etiam Oliueti montem, vnde eum in cælos ascendisse fatentur. Ceterùm illis, in quibus passus est, omnem detrahunt venerationem, & Christianos ea venerantes irridենt, asserentes Christum tamquam Dei spiritum in cælos quidem ascendisse, Iudæis verò qui illum oderant, statim phantasma quoddam corporeum obiecisse: quod illi, Christum existimantes, comprehenderunt, ligarunt, & crucifixerunt: quod deinde quasi ex mor-

Vestigium Christi ascẽdentis in cælos.

An. 1596. permissũ iam fuit intus ingredi Christianis: quorum vnus Sacerdos pius, testis oculatus, affirmat, vestigium sinistri pedis, in ipso petræ cacumine, quod acuminatum nec diuidi, nec alterius pedis capax esse potuit, optimè conspici.

Probabile etiam est, ascendentem Dominum, sinistri tantùm pedis vestigium pro signo in terris reliquisse, dextro iam eleuato ad ascendendum. * *Christi memorias Turcæ quas venerentur.*

mortuis resurrexisse, visum fuit. Errorem autem hunc suum, ridiculo cumprimis comprobant argumento. Nos, aiunt, vbi adlibuerit, Iudæum indignissimè verberibus afficimus, cùm gens sit nullius pretij & reputationis: Propheta verò tantus, imò Dei spiritus, nónne potuisset manus nihili hominum euadere? Ad dextram in eodem monte, extant ruinæ diruti templi, in quo nõnulli volunt, duos viros post Ascensionem Domini Apostolis apparuisse, & dixisse, *Viri Galilæi quid admiramini?* Actor. 1. Sed cùm S. Lucas manifestè scribat, in eodem loco visos fuisse, in quo Christus mox in cælum ascensurus cum Apostolis loquebatur, nõ video, quo fundamento in alium magis remotum id reijci debeat. Descendendo ex monte, deuenimus ad locum, in quo Christus fleuit supra ciuitatem, Luc. 19. Habetur hîc Indulgentia septem annorum & totidem quadragenarum. Videtur hinc optimè Ciuitatis situs; & habent Turcę paruam suam Moschæam absque tecto: Salomonis quoque templum apparet egregiè; quod nomen quidem eiusmodi retinet, sed fanum potiùs amplum octangulare videtur (meo iudicio maius quàm S. Maria Rotunda seu Pantheon Romanum) plumbo tectum; in medio areæ, quæ magis in longum quàm in latum protenditur, situm: caprificis & oleastris frequentibus conuestitum. Fertur hoc à diua Helena fabricatum. In eiusdem areæ parte læua, ad murum est & alia Ecclesia non inelegans & longa, plumbo itidem tecta; quo loco beatissima Virgo Christum in templo obtulisse memoratur. Apparet hinc quoque Porta aurea, per quam patebat ingressus ad aream templi Salomonis: qua Christus asino insidens, Ierosolymam est ingressus, Matth. 21. Nunc ea, occulto quodam Dei iudicio, muro est obstructa: quam Turcę ipsimet aperire nefas iudicant, affirmantes, eam vltrò apertum iri magno cuipiam & potẽtissimo Regi, qui per eam in Ciuitatem sanctam ingredietur, &

Turcæ cur Christum crucifixum non credãt.

Templum Salomonis.

Porta aurea.

erit vniuersi Orbis dominus. Interrogabamus Turcas, cur eorum Imperator per hanc portam non ingrediatur, vt minore negotio totius mundi dominium obtineat? obticuerunt. Vrgere verò responsum non expediebat. Nam qui de domino vel de fide disputare vult, mandato Mahometis, verbera pro verbis reportare solet. In descensu montis ad læuam, locus ostenditur, in quo Christus Orationem Dominicam Apostolis dictauit, Matth. 6. Antiquitus habebat Sacellum: nunc planè dirutum; columna tantùm integra supereſt. Septem annorum totidemque quadragenarum Indulgentiam obtinet.

Orationis Dominicæ locus.

Inde digressi ad inferiora, visitauimus denuò loca, in quibus Christus Dominus orauit, & à Iudæis captus fuit: posteà ascendendo, per locum lapidationis sancti Stephani Protomartyris, portâ eâdem seu Ephraim, ciuitatem ingressi ad læuam, vidimus Probaticam piscinam, quæ prope aream templi Salomonis fuit, & erat ampla satis & profunda. Piscina hæc dicitur fuisse facta, non propter pisces, qui numquam in eam mittebantur, sed vt pluuiæ hybernæ ex tectis templi in eam defluerent, vel potiùs vt aquæ ex ipso templo, in quibus innumeræ purificationes fiebant, per fistulas subterraneas ab ea reciperentur. Cùm autem Deus in piscina miracula facere, & vnum aliquem morbosum, qui primus in aquam ab Angelo motam descendisset, sanare cœpisset (quod aliquoties quotannis, in certis tamen temporibus faciebat) Iudæi locum muro, ne pecora accedere, & aquam sanctam profanare possent, circumdederant. Quinque etiam porticus circumcircà fecerant, in quibus ægroti sedentes, diuinum aquæ motum expectabant. Sunt ex illis nonnullæ etiam nunc integræ. In fundo piscinæ est quoddam arundinetum, vnde appareat nunc quoque locum esse humidum. Indulgentia hîc septem annorum, totidemque quadragenarum, est concessa. Miracula illa piscinæ fieri cœpta, aut tempore Chri-

Porta Ephraim.

Probatica piscina.

sti,

sti, aut non multò antè; Christo verò mortuo fieri desierunt, vt probabiliter Scriptores sentiunt.

Inde eadem platea, versus portam S. Stephani redeuntes, attigimus aliam plateam, qua ad vallem Iosaphat perrexeramus, quę ab ipsamet porta ducit ad Pilati palatium: quod ad manum dextram habet partem porticus seu propylæi, nunc etiam Pilati appellatam: quæ nunc ipsi plateę supereminet, cùm anteà in ipso palatio, quod peramplum fuisse liquet, comprehenderetur; vnde in impluuium & vicum antiquitus patebat prospectus. Supra porticum eminet paries integer, habens duas fenestras columella marmorea distinctas; in quarum vna Pilatus, in altera Christus Dominus spinis coronatus stabat, cùm Præses Iudæis eum ostendens dixisset; ECCE HOMO. Quoniam autem locus hic nunc in publica & ampla platea positus est, in qua frequentes Turcæ hinc inde commeant, peregrini Christiani genua flectere non valentes, transeundo Dominicam Orationem & Angelicam Salutationem recitantes, Indulgentiam plenariam consequuntur. Scribit Adrichomius, porticum hanc ad Arcem Antoniam, à Præsidis palatio directam fuisse, è qua IESVM Iudæis spectandum Pilatus exhibuit: quod eò verisimilius videtur, quia in viam publicam inde poterat commodè prospici. Addit insuper inscriptionem ibi positam, *Tolle, tolle, Crucifige*. Sed propter vetustatem, nihil tale videre à longè potui: crediderim, si liceret propiùs accedere, characteres eiusmodi faciliùs internosci posse.

Palatium Pilati.

Ecce Homo.

Antequam ad palatium Pilati peruenirem, cùm frequentes Turcæ, vt in media vrbe fit, vagarentur; ardente sole, vt peregrini solent, incedebamus ipsa via media, relinquentes Turcis liberum & vmbratilem sub ædibus gressum: vbi viæ trium vel quatuor vlnarum latitudine, à terra aliquantulùm prominentes, minùs radijs solaribus obnoxiam ambulationem præbent. Intereà Michael

Konarski familiaris meus, cùm corpore aliquantulùm obesior esset, à longè nos comitabatur, & vitandi æstus caussa, semita illa altiore ædificijs proxima incedebat; cui cùm tres Turcæ obuiàm facti essent, ille, in viam publicam se non demittens, vnius latus leuiter tetigit: qui statim pugno collum eius inuadens, lapides vibrare cœpit: idipsum alij quoque Turcæ, pueri præsertim, facere adorti, magnum nobis malum præparabant: & nisi nostri Ianissari, quorum duo equites, duo itidem pedites erant, Turcas mitigassent, quorum ingens è diuersis plateis multitudo confluebat, interfeciissent nos proculdubiò: quemadmodum ante annos aliquot accidisse, religiosi Fratres nobis narrabãt, quo tempore, simili planè de caussa, quòd via cedere Turcis nollent, aliquot peregrini statim ab illis interempti fuerunt. A palatio Pilati, de cuius fabrica dicetur inferiùs, incipit via Dolorosa, per quam Christus Crucem baiulans, ad mortem ducebatur. Exeuntibus portâ ad dextram, offert sese exiguus collis saxeus, in quo beatissima Virgo Maria stabat, anxiè, quid cum dilectissimo filio ageretur, exspectans: quem, cùm spinis coronatum, sanguine fœdatum, facie liuenti & planè immutata, ingentem Crucis trabem humeris deferre, & sceleratissimi latronis instar ad supplicium rapi conspexisset, vt ex antiqua maiorum traditione Doctores Catholici piè affirmant, vi doloris acerbissimi intrinsecus oppressa, in terram exanimis ferè corruit: quod etiam valdè verisimile videtur. Quomodo enim tenerrimum illud Virginis matris pectus, ad tantos dilectissimi filij cruciatus, & miserabile, ac numquam anteà visum illud spectaculum, non colliquescéret? Locus hic, in hodiernam vsque diem, Spasmus B. Virginis vocatur.

Via Dolorosa.

Spasmus B. Mariæ.

Inde ad quinquaginta passus progressi, deuenimus in plateam longam, quæ ad portam Damascenam ducit: vbi cùm ad læuam deflectitur, fit præceps in rupem descensus.

sus. Nam ciuitas Ierosolymitana, tota est in rupibus posita, pluresque colles non exiguos habet, montibus maioribus exceptis, qui sunt nunc in ciuitate quatuor: ante excidium autem, cùm vrbs in ipso flore esset, tres celeberrimos montes habuit, de quibus inferiùs magis copiosè tractabimus, vbi de palatio Herodis, & eleganti ac magnifica platearum ciuitatis dimensione nobis erit agendum. In memorato igitur præcipiti viæ flexu, Christus Dominus, graui pondere Crucis oppressus corruit, petræ allisus: cumque præ debilitate sub onere progredi non posset, Iudæi Simonem Cyrenęum angariauerũt, vt Crucem IESV tolleret. Promerentur hoc loco peregrini, septem annos & totidem quadragenas de Indulgentia. In eadem ciuitatis platea ad læuam, est domus ampla diuitis illius epulonis, qui misericordia erga Lazarum pauperem non mouebatur. In quam ingredi non potuimus, quòd eam Turca valdè Christianis infensus inhabitaret. Sed quia porta patebat, ex areæ magnitudine apparet, eam magnificam fuisse. Inde ad triginta passus deflectendo ad dexteram, fit ingressus in aliam longam plateam, quæ rectà ad montem Caluariæ ducit. Ad læuam, ferè in medietate ipsius plateæ montem ascendendo (nam tota hæc platea ascensum montis habet) sunt ædes S. Veronicæ, è quibus egressa, venerandam Christi faciem sanguine fœdatam, linteo abstersit. Non procul inde est exiguus collis, in quo mulieres stabant flentes, quas alloquebatur Christus, dicens: *Filiæ Ierusalem nolite flere super me*, &c. Hinc ad vnum & medium teli iactum, sunt magnæ & altæ duæ lapideæ columnæ, inter quas erat porta Iudiciaria, qua damnati rei ad supplicium in Golgotha ducebantur. In ea porta, vt piè Catholici credunt, denuò sub Cruce corruit IESVS: in cuius rei memoriam, plurimi, cùm quascumque ciuitatis portas ingrediuntur, signum S. Crucis formant. Habetur hîc Indulgentia septem annorum & quadragenarum.

Simon Cyrenæus.

Domus epulonis. Luc. 16.

S. Veronicæ domus.

Porta Iudiciaria.

Ab

Ab hac porta Iudiciaria egressis, ad iactum lapidis & paulò ampliùs, offert sese Basilica Dominici Sepulchri, quę montem Caluariæ complectitur. Non procul à porta, qua itur in Ecclesiam, in cœmeterio, est lapis prægrandis positus: quo in loco iam sub ipso monte, tertiùm Saluator noster cum Cruce in terram corruit. Est ibi Indulgentia septem annorum & totidem quadragenarum. Hinc iam in montem, pro nobis mortem subiturus, ascendit.

Prætergressi Ecclesiam, Oratione Dominica & Salutatione Angelica recitata, redijmus in Conuentum: à prandio vecturas, ituri Bethlehem, conduximus.

IVLIVS.

Vt profectionem Bethlehemiticam tutiùs absoluere nobis liceret; duos equites, & duos Ianissaros pedites nobis adiunximus.

Porta Piscium. Manè discedentes ex Fratrum Conuentu, per Portam Piscium è ciuitate sumus egressi, relinquentes ad læuam *Castrum Pisanum.* castrum, quod etiam nunc Pisanum appellatur. De quo cùm sæpiùs hîc fiat mentio, sciendum est varias de eo multorum esse opiniones. Arbitrantur enim nonnulli, arcem hanc Dauidis fuisse, quam ipsemet inhabitaret. Alij hanc ipsam in summitate montis Sion ponunt; vbi ingentes ruinæ ædificiorum vetustorum apparent: idque magis esse probabile, Bethsabeæ piscina comprobat, quæ monti Sion ita adiacet, vt commodè ex solario domus Regiæ mulier ex aduerso lauans videri potuerit: Reg. 2. cap. 11. Licet autem & Castro Pisano piscina hæc immineat, remotior tamen est, quàm vt mulier internosci facilè ex illo ædificio possit. Quamobrem rectiùs colligunt alij, idque non obscuris argumentis, quod nunc Castrum Pisanum vocatur, id antiquitus à Machabæis cõstructum fuisse: de quo in Machabęorum libris, & apud Iosephum legitur. Sed cuiuscumque tandem sit, quamuis antiquas

habeat

1.

habeat ſubſtructiones, liquet illud cumprimis benè munitum eſſe. Formam habet quadrangularem: turres itidem altas & munitas ex lapide quadrato in quadrum poſitas. Foſſam valdè profundam, ſecto lapide vtrimque munitam. Chriſtiani in illam arcem non admittuntur. Cùm è monaſterio verſus portam Sion progrederemur, Caſtrum hoc ad dextram nobis fuit, cuius quòd porta eſſet aperta, obliquè flectentes oculos (nam apertè introſpicere periculo non caret) animaduertimus, aream non adeò intus eſſe magnam, vt nec arx ipſa magna eſt. In terra iacebant neglectim aliquot mediocria bellica tormenta, ſuis ſedibus non impoſita. Ad portæ cuſtodiam Ianiſſari pauci ſedebant.

Ciuitate egreſſi, conſcenſis aſinis, in deſcenſu montis habuimus ad læuam ruinas palatij Dauidis, de quo paulò antè dictum eſt; ad dextram verò, piſcinam Bethſabeæ. hac enim ad Bethlehem iter eſt. Piſcina in longitudinem ad centum cubitos protenditur, non vſque adeò lata, per gyrum lapide quadrato ſtrata, habens vndique gradus, per quos, iuxta quantitatem ipſius, ad aquam deſcendebatur. Profunditas eius, cùm aquis implebatur, octo circiter vlnas capiebat. Supra illam non procul à porta, modicus aquæ riuus defluit, quæ ciuitatis vſibus deſeruit; piſcina verò ipſa caret aquis: qua relicta, modico colle conſcenſo, ad dextram, ad iactum ſagittæ, à via publica deflectendo, eſt palatium ruinoſum, in quo principes Sacerdotum & Seniores populi de comprehendendo & occidendo Chriſto conſultabant; vnde etiam Domus mali conſilij appellatur. Retro hanc, paulò remotiùs ad dextrã, eſt alia deſolata domus, quam ex parietinis duabus altam fuiſſe liquet. Hæc fuit Simeonis illius ſenis, qui inde in templum veniens in Spiritu, puerum IESVM in vlnas ſuas accepit, & benedixit Deum. Inde vlteriùs progrediẽdo prope viam ad læuam, eſt arbor terebinthi ſatis ma-

Bethſabeæ piſcina.

Domus mali conſilij.

Simeonis ſenis Euang. domus. Luc. 2.

Terebinthus B. Virginis.

gna, sub qua beatissima Virgo quieuisse memoratur, cùm oblatura puerum IESVM in templo, è Bethlehem Ierosolymam pergeret. Est ibi Indulgentia septem annorum & totidem quadragenarum attributa. Non adeò magno interuallo, est puteus muro eleganti obductus, sed aquam turbidam habet, & nullius vsus. Dicitur Magorum puteus, quòd eo in loco stella denuò Magis apparuisse dicitur, cùm Bethlehem proficiscerentur. Nam quamdiu Ierosolymis cum Herode colloquebantur, disparuerat. In medio itineris est collis non adeò eleuatus, ex quo Ierosolyma & Bethlehem conspicitur: quandoquidem vno tantùm & dimidio milliari distant abinuicem. Habentur hîc complures iuniperi arbores: & ad dextram secus viam est petra, in qua Elias Propheta quieuit; 3. Reg. 19. cui statura corporis eius adeò est impressa, ac si recenti argillæ superimponeretur. Remanserunt enim capitis, lateris, manus & pedis dextri aperta vestigia sancti Prophetæ illius: quod diuino miraculo attribui meritò debet. Ad læuam est paruum monasterium Græcorum, quod S. Eliæ vocatur. Ad dextrum latus petræ, tergo versus Ierosolymam conuerso, est domus diruta, vnum tãtùm parietem integrum habens, quę Abacuc Prophetæ fuisse perhibetur; qui cùm è domo hac prodiens, messoribus cibum deferret, ab Angelo raptus, Dánieli Prophetæ inter leones constituto, prandium diuinitus præparatum detulit. Quarta milliaris parte, à petra prædicta Eliæ, in parte dextra, est domuncula satis integra, in qua Rachel, filium Beniamin enixa dicitur: vnde non procul, in ipsa propemodum via publica, extat eiusdem Rachelis monumentum propè integrum, forma pyramidis è viuo saxo excisum, de quo fit mentio Genes. 35. Non procul à Bethlehem ad læuam, prope viam publicam, ad sagittæ iactum, est cisterna viuæ & recentis aquæ, ad quam hauriendam non solùm ex Bethlehem, sed ex circumuicinis etiam pagis frequens

Puteus Magorum.

Eliæ statua petræ impressa.

Abacuc domus.

Dan. c. 14.

Rachelis sepulchrum.

frequens fit concursus. Vocatur in hunc vsque diem Cisterna Dauid, de qua 2. Reg. 2. *Dauidis cisterna.*

Inde per extrema villæ, quæ circiter quinquaginta casas habet, proceditur versus Bethlehem; & ad lævam fit reflexus versus Basilicam, quæ à villa ad vnicam arcus eiaculationē est remota. Cùm eò peruenissemus, reperimus ibi Bolucum cum Ianissaris aliquot, qui nos Damasco deduxerant, & sedebant tum in Ecclesia, frigidiorem auram captantes. Habebant autem ibidem & equos. Nam cùm Ecclesia semper sit aperta, Turcæ, cùm libuerit, etiam cum iumentis in eam ingrediuntur. Quanta sit autem huius nobilissimæ Basilicæ elegantia & magnitudo, verbis facilè non potest explicari. Tota enim è pulcherrimo marmore fabricata, duplici ingentium columnarum ordine distinguitur. Intus musiuo opere vbique decorata: tectum plumbeis laminis habet coopertum. Eam D. Helena Augusta construxit: posteà monachi, regulæ S. Hieronymi obtinebant. Nunc ibi religiosi S. Francisci de Obseruantia Conuentum habent, quos P. Guardianus Ierosolymis submittit, mutans eosdem sexto quolibet mense, propter persecutiones, quas à Turcis maximas patiuntur. Erant ibi tum octo: quatuor sacerdotes, laici itidem quatuor. Ingressi igitur in Ecclesiam quæ Catholicorum est, ad lævam deflectentes, venimus ad Fratrum Conuentum, & inde statim ad Capellam Diuæ Catharinæ, in qua diuina officia monachi peragunt. Capella hæc Indulgentiam plenariam habet; quam Peregrini eo modo consequuntur, ac si ipsimet personaliter Ecclesiam S. Catharinæ in monte Sinai visitarent, quò non omnes propter loci distantiam & pericula peruenire possunt. In suprà dicta igitur Capella ordinatur Processio: quam Peregrini, more Ierosolymis obseruato, bini & bini sequuntur, dum perueniatur ad locum Natiuitatis IESV Christi Saluatoris nostri. Postquam egressi fuerint è Capella prædicta, *BETHLEHEM.* *S. Præsepij Basilica.* *Natiuitatis Dominicæ locus.*

ſtatim ad læuam deſcenditur, in locum ſubterraneum, & prætermiſſis tunc ceteris, de quibus inferiùs dicetur, peruenitur in Capellam, quæ in longitudine decemocto, in latitudine nouem aũt decem tantùm cubitos habet. Ibi è regione portæ eſt altare; ſub quo locus, marmorea tabula ſignatus oſtenditur, in quo Chriſtus eſt natus. In lapide verò qui altari eſt ſuperpoſitus, hæc inſcriptio Latinè inſculpta eſt; HIC DE VIRGINE MARIA IESVS CHRISTVS NASCI DIGNATVS EST. Supra altare ipſum, ad parietem eſt vetus Tabula, cum imagine Natiuitatis Domini noſtri. Audiuimus hîc ſub ipſum meridiem Sacrum, quod P. Ioannes de Florentia, qui tamquam Superior nobiſcum Ieroſolymâ venerat, celebrauit. Antequam ad altare hoc perueniatur, in parte dextera, ſex vlnarum diſtantia, eſt pręſepe in rupe exciſum, in quo Chriſtus natus fuit poſitus: quod cùm ſit valdè capax & vaſtum, cõſtat aliud minus ligneum illi fuiſſe inſertum, iuxta morem in partibus illis obſeruatum. E regione illius ad tres circiter cubitos, eſt aliud altare, vbi tres Magi procidentes Chriſtum adorauerunt, muneraque illi obtulerunt. In prædictis locis omnibus conceditur Indulgentia plenaria. Capella hæc ſacri Præſepij tota eſt Catholicorum: lampades tamen in ea à diuerſarum gentium hominibus accenduntur, perinde vt in Dominico Sepulchro (qua de re poſteà copioſiùs) niſi quòd Nationes prædictæ ſua luminaria pro feſto Natiuitatis Domini accendunt, quo tempore illis tantùm cum Proceſſionibus locũ hunc ſacrum ingredi licet. Capella hæc ſacri Præſepij eſt valdè obſcura, cùm ſub altari maiori, de quo ſuperiùs, Baſilicæ ſit poſita; nec aliunde lumen admittat, quàm per cancellos portarum collateralium, quæ gradus adiunctos habent, quibus in Eccleſiam aſcẽditur, & Proceſſiones commeant. Aſcendentibus in templum per ſiniſtrę partis gradus, offert ſeſe ſtatim altare, eo in loco poſitum, vbi venientes

Præſepe in rupe exciſũ.

nientes ad Christum Magi, ab equis descenderunt. Qui verò per gradus partis dextræ Ecclesiam ingrediuntur, deueniunt ad altare paulò remotius, eo loco ædificatum, vbi parua quondam Synagoga fuit, in qua Christus octauo Natiuitatis die, Circumcisionis signaculum accepit. *Circumcisionis Domini locus.* Altare hoc obtinent Catholici: sed cùm sit in Ecclesia, quam Turcæ liberè accedunt, nullum cultum & ornamentum habet. Ibidem chorum seu apsidem Græca natio possidet. Sed quia locus hic passim omnibus patet, quoties sacris operari volunt, à Sangiaco Ianissaros accipiunt, qui à Turcis eos turbari prohibeant. Nam, vt dictum est, Ecclesia propter Turcas numquam clauditur. Capella tamen Natiuitatis Dominicę, Catholicorum opera, clausa manet; nec in illam patet aditus aliunde, quàm quà ex monasterio per fornicem subterraneum ad illam deuenitur. Sacro peracto, Antiphona & Oratione præmissa, dictus Pater exhortationem breuem ad nos habuit. E Capella Præsepij eadem via, per quam intraueramus, egressis, ad dextram sex cubitorum distantia, ostensum est antrum in rupe excisum, habens in longitudine sex vlnas, non adeò latum, sed profundum, in quo Innocentes ab Herode occisi, fuerunt sepulti: habet Indulgentiam septem annorum & totidem quadragenarum. *SS. Innocẽtum sepultura,* Ad læuam est aliud itidem antrum, in quo tria sunt monumenta: primum statim ab ingressu ad dextram, sancti Eusebij; *S. Eusebij,* secundum ad sinistram, sanctæ Paulæ Romanæ matronæ (cuius *S. Paulæ.* etiam monasterium in quo habitabat, quod ipsamet amplum & elegans exædificarat, dimidio & ampliùs à Bethlehem milliari, totum dirutum & desolatum cõspicitur;) tertium sancti Hieronymi. Inde via subterranea, peruenitur in cubiculum eiusdem Sancti, vbi tanslationem Bibliorum absoluit. *S. Hieronymi conclaue.* Est autem valdè obscurum, vtpote sub Ecclesia itidem situm, ad quam per gradus, qui nunc etiam extant, oraturus idem vir sanctus ascendebat per por-

tam,quæ nunc muro est obstructa. Lumen modicum per fenestram ex parte monasterij admittit. Sepulchrorum quodlibet habet septem annos & totidem quadragenas de Indulgentia. Inde redijmus ad monasterium,vbi prandio sumpto,Vesperas in Capella sanctæ Catharinæ decantatas audiuimus: quibus finitis,è Conuentu egressi, conscensis asinis, profecti sumus ad Turrim gregis, dimidio bono milliari à Bethlehem distantem: vbi Iacob Patriarcha pascebat gregem suum. Turri collapsa, ingens aceruus lapidum remansit eo loco, in quo Angelus pastoribus magnum gaudium annuntiauit de Christo Saluatore nato. Erat turris hæc in fertili & peramœna conualle posita. Inde redeuntes alia via ad sinistram, vidimus Sacellum à diua Helena Augusta exædificatum eo in loco, in quo Angelus in somnis admonuit Ioseph, vt tolleret puerum & matrem eius, secederetque in Ægyptum. Domunculæ istius apparent adhuc parietinæ, cui Sacellum coniungebatur. Est ibi Indulgentia septem annorum & quadragenarum totidem. Ad dextram paulò remotiùs relinquuntur ruinæ diruti monasterij S. Paulæ, & ad sinistram peruenitur in paruam villulam,quæ Pastorum appellatur, in qua est puteus altus aquæ frigidæ & optimæ, ad quam hauriendam beatissima Virgo sæpiùs accedere solebat. Habet Indulgentiam septem annorum & totidem quadragenarum.Hunc puteum ipsimet Mahometani plurimùm venerantur,& sanctum appellant: quẽ etiam,quod aliàs non faciunt,lapidea tabula(non enim latus est)cooperiunt,vt tectus semper maneat. Ab hac villula reditur ad Bethlehem, vbi non procul ab Ecclesia ad manum sinistram, est antrum subterraneum, aliquot vlnas latum & longum, habens ingressum haud facilè peruium, in quo beatissima Virgo cum infante IESV delituit, dum pueri Innocentes iussu Herodis in Bethlehem interficerentur: in quo diuini miraculi etiam nunc apparent indicia. Nam

Turris gregis.

S. Paulæ monasteriũ.

Puteus villæ pastorum.

Antrum latibuli B. Virginis.

terra

terra inde accepta, & in potu mulieribus, quibus lac deperit, porrecta, copiam lactis illis reducit. Septem anni & quadragenæ de Indulgentijs hîc conceſſæ. Sub veſperam redijmus ad monaſterium: & aditu reſerato, in ſummitatem ac faſtigium templi aſcendentes, vidimus inde à longè ad ſiniſtram, montem Engaddi, de quo frequens in ſacris Scripturis fit mentio, & non procul à Bethlehem abeſt. Quoniam autem Loth Sodomis fugiens, montem Engaddi pertranſibat, nonnulli volunt ſpecum iſthic eſſe, in qua cum filiabus conuerſationem habuit. Locus tamen certus non monſtratur. Ad manum dextram conſpicitur hortus; in quo, tempore Salomonis, ingentem balſami arborum fuiſſe numerum, nonnulli Hiſtoricorum teſtantur. Conſpiciuntur hîc etiam montes, qui valli Hebron adiacent: quò excurrere animus erat, cùm quinque tantùm à Bethlehem milliaribus diſtent, vt & ſepulchra Patriarcharum, & loca in quibus tres Angelos Abraham vidit, & Iſaac circumciſus eſt, perluſtrarem; ſed cùm ab Arabibus periculum immineret, quorum duobus antè diebus agmina inter ſe concurrebant, abſtinendum neceſſariò fuit ab hac profectione. Qui tamen religioſi loca illa viderunt, narrarunt, Hebron exiguum eſſe oppidum, quod à Iudæis tantùm inhabitatur. Cùm itaque ad Hebron accedere non potuiſſem, conſtitui die inſequenti montana Iudææ conſcendere, præcipuè quòd Eccleſia hoc die feſto (feſtum Viſitationis B. Virginis Mariæ intelligo) de illis memoriam faciat. Audito Completorio, præparabamus nos per ſacram Confeſſionem, ad perceptionem diuini Sacramenti in craſtinum: & deuotioni, prout cuique Dominus largiebatur, inſiſtentes, noctem ibidem tranſegimus, in Capella ſacri Præſepij modicùm quieſcentes.

Engaddi mons.

Hebron oppidum.

2. Summo manè Miſſam lectam audiuimus Patris Ioannis de Florentia; & ſanctiſſimo Sacramento refecti, patribus

bus valedixímus,aſinisque conſcenſis,villam Bethlehem præteruecti,poſt quartã partem milliaris,ad villam aliam maiorem Maronitarum peruenimus,quę vocatur Bethagil,& eſt in eo loco ſita, in quo Angelus Domini Regis Aſſyriorum Sennacherib caſtra percuſſit. Vbi in hanc vſque diem, illud cumprimis admirationi habetur, quòd nullus ex circumciſis,hîc in tertiam diem ſuperuiuere poteſt, ſed tertia nocte proculdubiò moritur. Id ex Arabibus duo, qui nobis vecturas locauerant, ſe per experientiam comprobaſſe, ſanctè affirmabant. Prima enim nocte, ingens eos capitis dolor inuaſit; ſecunda, corpus illorum adeò totum intumuit, vt mortis inſtantis metu, neceſſariò iſthinc abduci debuerint: quorum vnus poſt quatuor,alter poſt ſex demum menſes priſtinam ſanitatem recuperauit. Cumque partem villæ iſtius propter compendium itineris attingeremus, nullus circumciſorum nobiſcum eò voluit aſcendere, ſed circuitu periculum declinare maluit. Tribus à Damaſco paſſuum millibus,ad lævam in prælto monte, videramus quoque anteà quiddam ſimile: nempe monaſterium Sanctimonialium Maronitarum: in quo nullus itidem circumciſorum ad diem tertium pertingere poteſt. Id Deum particulari gratia beneficium loco illi conceſſiſſe, multi affirmant, vt caſtitas Virginum illarum,à paganorum libidine, tutior redderetur. Confectis à prædicta villa duobus circiter milliaribus, peruenimus ad paruum fontem, prope viam ad manum dextram,modicè ſcaturientem: in quo ſanctus Philippus Eunuchum Candacis Reginæ baptizauit, Actor.8. Solent Anabaptiſtę ſuum errorem hinc confirmare,quòd Philippus & Eunuchus in aquam vterque deſcendiſſe ſcribitur. Sed qui locum hunc oculis ſubiectum habuerit, facilè animaduertet, adeò modicam ſcaturiginem ex anguſta rupis fauce hîc proſilire, vt vtriuſque pedis plantæ ſimul perfundi non poſſint. Vnde probabilior coniectura

Bethagil locus caſtrorum Sennacherib. 4.Reg.19.

Circumciſi in quibuſdam Terræ ſanctæ locis viuere non poſſunt.

Fons S.Philippi.

ſumi

sumi potest, Philippum, Eunuchi caput dumtaxat, aqua sumpta perfudisse, illumque sic baptizasse. Est hîc annorum & quadragenarum septem attributa Indulgentia.

Inde post duo magna milliaria confecta, itinere valdè difficili peruenimus in desertum, in quo sanctus Ioannes Baptista habitabat, prout in fine 1. cap. apud Lucam habetur. Est antrum non adeò magnum in monte à natura formatum, cui S. Helena parietem è cocto latere adiunxit. Accessus huc valdè periculosus. Nam & subtus præcipitium est aspectu formidabile; & antri semita angusta, decliuis & lubrica. Montes ipsi, vt & vallis, cumprimis horridi, & surdæ cautes. Ad fores antri surgit aquæ viuæ riuulus, digiti vnius latitudine, vnde Præcursor bibebat, nec alia ibi reperitur. Qualis cibus eius fuerit, diuersæ sunt multorum opiniones. Nonnulli volunt eum victitasse herba, quæ nunc etiam nostrate lingua Panis S. Ioannis, à Plinio verò, lib. 13. cap. 8. Ceraunia, ab alijs Ceratia, & siliquæ dulces, vocatur; cuius circa ciuitatem Iudæ, Præcursoris patriam, quæ duobus inde milliaribus abest, ingens copia proueniebat: vt nunc in insula Cypro; vnde ad varias & nostras etiam partes, submittitur. Circa antrum, nudæ tantùm sunt rupes; fruteta rarissima & exigua. Sumpsimus ad hunc fontem refectionem, allatis ex Bethlehem nobiscum necessarijs. Est autem hîc Indulgentia plenaria.

DESERTVM SANCTI IOAN. BAPT.

Duobus deinde magnis milliaribus confectis per asperrima montium iuga, peruenimus in ciuitatem Iuda, quæ nunc domunculas vix habet viginti, quam tamen è situ cumprimis amplam fuisse apparet. In ingressu ad dextram, sunt ruinæ templi, eo loco in quo beatissima Virgo visitauit Elisabeth, & Canticum Magnificat deprompsit. Exstat & vestigium Ecclesiæ, in domo Zachariæ exædificatæ, in qua Canticum Benedictus decantauit, de quo Lucæ 1. Turcæ ijs in locis priuatas domos habent, qui vt nos

Montana Iudææ.

ad areas huiuſmodi templorum admitterent, pecuniæ nonnihil à nobis extorſerunt. Inde ad duos ſagittæ iactus ad manum ſiniſtram, eſt Eccleſia integra ſancto Ioanni Baptiſtæ dicata. Vbi ad ſiniſtrum cornu altaris maioris eſt Sacellum, in quo Præcurſor natus eſt. Nec enim in lucem editus erat eo in loco, vbi Zacharias habitabat; quandoquidem factus mutus, aliò conceſſerat, relicta in partu vxore domi: quæ poſtmodum in Eccleſiam præſentem conuerſa fuit, quæ eſt Catholicorum: vbi etiam annuatim in S. Ioannis Natiuitate Sacrum celebratur: habetque Indulgentiam plenariam. Reperimus non procul ab Eccleſia Locumtenentem Sangiaci Ieroſolymitani, qui recreationis cauſſa huc manè excurrerat, & fixo tentorio, dum Solis ardor declinaret, exſpectabat. Inde vno & medio milliari, via itidem aſperrima, peruenimus ad monaſterium ſanctæ Crucis, in ſiniſtra vię parte ſitum: quod Græci S. Archangeli nominant: & eſt Georgianorum, eiuſdem, prout S. Sabæ, de quo inferiùs, inſtituti, quorum Epiſcopus hîc reſidet. Traditio habet, eo in loco conſtructum, ex quo arbor oliuæ pro Cruce Chriſti paranda fuit deprompta; & oſtenditur ſub altari maiori fouea in rupe, vnde fuit eruta. Locum hunc Catholici & omnes Orientales in magna habent veneratione. ſeptem annorum & quadragenarum habet Indulgentiam. Ad manum dextram arę maioris, eſt altare paruum Catholicorum, in quo ſingulis annis Sacrum peragitur. Epiſcopus loci, oliuarum baccas, & panem ſiccum nobis appoſuit. Carnes enim hîc non comeduntur. Inde per altiſſimum & aſperrimum montem profecti, vno ab Ieruſalem milliari, in parte ſiniſtra montem oblongum, & non adeò altum, vidimus, qui Gion appellatur: in quo elegantes ex lapide ſecto ruinæ conſpiciuntur palatij Salomonis, quod tredecim annorum ſpatio fuit ædificatum, 3. Reg. 7. Eodem etiam in monte, Dauide adhuc viuente, idem Salomon in

Monaſterium S. Crucis, ſeu S. Archangeli.

Mons Gion, Palatium Salomonis.

Regem

Regem fuit vnctus à Sadoch Sacerdote, 3. Reg. 1. Ad dextram relicta piscina Bethsabeæ, ex iumentis desilientes, venimus ad Portam piscium, & inde vna ab occasu Solis hora, ad monasterium: vbi P. Vicarius mihi narrauit, se, prout illi iniunxeram, apud Locumtenentem (quem in Montanis Iudææ vidimus) obtinuisse, vt nobis Arabem concederet, qui nos ad Mare mortuum & Iordanem deduceret. Id crastina die à prandio futurum.

3. Circa meridiem accessimus ad Locumtenentem Sangiaci, qui manebat in domo Pilati, vbi etiam exstat impluuium tabulis marmoreis eleganter constratum, quod in Euangelio Lithostrotos dicitur. Habet vtrimq; porticum, in qua pro Tribunali Pilatus sedebat, porphyreticis columnis innixam: ad quarum vnam in angulo positam Christus Dominus fuit flagellatus; cuius pars habetur in Capella Apparitionis, prout dictum est superiùs. Sub hac porticu, quà per fenestras prospectus ad aream templi Salomonis patet, sedebat Locumtenens, substrato tapete, puluilloque pretioso suppositò in terra, prout Turcarum mos. Ad latus dextrum, assidebat quidam alius Turca: aderat & Arabs, qui securitatis causa pro nobis conducebatur. Pauci enim peregrini propter expensas & Arabum pericula ad Iordanem proficiscuntur: nisi cùm frequentiores circa festa Paschatis conueniunt: quo tempore collato symbolo, & Sangiaco aliquo honorario dato, ducem ex Arabibus aliquem conducunt, qui aliqua bombardariorum Turcarum manu stipatus, illos comitetur. Ego quòd eò proficisci omnino decreueram, cum Locumtenente de ratione securi itineris tractabam: qui acceptis à me centum aureis, Arabem nobis locauit, datis illi tantùm quinque Cecchinis, qui decem florenos constituunt, & lanea interula; reliquum pecuniæ ipse accepit, cùm absque eius permissu, cum Arabe de pretio paciscì minimè sit licitum. Quamobrem per interpretem nobis præ-

Palatium Pilati.

Ad Iordanē profectio periculosa.

sentibus Arabem sic allocutus est; Isti, inquit, peregrini proficisci volunt ad mare mortuum (sic enim appellatur, quòd sit innauigabile, propter sulphuris nimiam crassitiem, in qua,ne proiectus quidem homo submergi possit) ad Iordanis fluenta, & Ierichuntem: promittísne illos incolumes huc reducturum? Promitto, respondit Arabs, quòd saluos illos reducam,quandoquidem habiturus sum quindecim comites Arabes sagittarios præstantes. Arabes præterea qui in partibus illis prædantur, sunt mihi noti, & præcipua familiaritate amicitiaque coniuncti. Quòd si in phalangem incognitam incidere contigerit, primus in hostes impetum faciam, & me mactari potiùs, quàm fidem falli,patiar. Interea peregrini,sibi vt poterunt,consulant. Victum tamen mihi prębere debebunt;quem quamdiu mihi præbebunt,tamdiu illos, quocumque voluerint comitabor & deducam. Ex his dictis apparet,Arabes non semper esse saturos. Iuramentum deinde more suo præstitit,dextra manu frontem attingens,& in cęlum oculos attollens. Discessimus deinde à Locumtenente, qui nobis etiam tres è Ianissaris bombardarios adiunxit. Arabs prædictus nos ad Conuentum est comitatus, vbi pro confirmatione iuramenti, panem cum sale oblatum alacriter comedebat. Arabes etenim, licet latrocinijs assueti, simplicitatem tamen hanc,ordinatione quadam diuina, paganis inspiratam retinent: vt, quando aliquod iusiurandum ratum & firmum esse volunt, panis cum sale comestione id comprobent. Quòd vbi hilariter fecerunt,tutò illis credi potest; sin fronte corrugata, & minùs auidè oblata degustent, certum est illos animo nil sinceri concipere. Id quod rei euentus in Arabe nostro comprobauit, qui nobis fidem datam, cùm in magnis angustijs versaremur,seruauit,prout fusiùs inferiùs explicabitur.

Iuraturi Arabes,panẽ cum sale comedunt.

Egressi ex Conuentu extra Portam piscium, conscensis iumentis,nos in viam dedimus. Erant in comitatu sex

Fratres

Fratres religiosi. Emensis tribus magnis milliaribus, via difficili & saxosa, peruenimus paulò ante occasum Solis ad monasterium S. Sabæ, quod Græcorum est; non adeò multæ quidem substructionis, sed per gyrum, tot in rupe mansiunculas habet excisas, vt locus hic antiquitus quinque millium monachorum capax fuerit. Monachi humaniter nos exceperunt, cœnamque in refectorio suo apposuerunt: vbi dum cum familiaribus meis, idiomate nostro colloquerer, Dionysius Damascenus monachus, natione Macedo, lingua intellecta, cœpit mecum Sclauonicè loqui, narrauitque se in Lithuania fuisse, fereque omnes è primoribus nosse: & me de memetipso interrogauit, nomine proprio verè expresso, memoria repetens, quomodo Sigismundo Augusto Rege mortuo, cùm Vilnæ vnà cum sanctæ memoriæ Episcopo Valeriano, à Senatu, tuendæ publicæ quietis caussa, delegatus essem, literas fidei à me habuerit, cùm in Moscouiam propter eleemosynam conquirendam proficisceretur. Deo rectè omnia disponente, factum est, ne ab eo agnoscerer *. Nam vt plerumque Græci sunt iniquiore erga Catholicos animo, si nomen meum suæ gentis hominibus edidisset, poteram in aliquas difficultates incurrere: maximè cùm nondum patentes literas Turcarum Cæsaris ad manus habuerim. Nec enim Turcę solent occasionem prætermittere, quando sese lucelli alicuius offert commoditas. Vt non paucis accidit, de quibus innotuit, quòd modum sese ex illorum manibus redimendi aliquem haberent. Narrarunt nobis ibidem monachi (quod ipsum Ierosolymis quoque audieramus anteà, cùm res sit omnibus decantata) quòd etiam tempore Selimi Secundi Turcarum Imperatoris, erant in hoc ipso monasterio mille monachi: qui omnes

* Fuit is apud me monachus postea, die 19. Martij, An. 1598. in Czarnaioczyce, cũ aliis sociis, Harmone Corcyrensi, Erasmo Thessalonicensi, Ioachimo Chio, cùm ex Moscouia in Palæstinã reuerterentur. Narrauit eadẽ omnia,

quæ anteà in monasterio S. Sabæ mecum loquebatur: dixitque Arabem illum, qui me ad Iordanem deducebat, in tantam potentiam excreuisse, vt cum quatuor millibus equitum prædas agat. Arabes, duos iam Sangiacos Ierosolymitanos post meum discessum interfeciisse. Habebant literas fidei, quòd ex Monasterio sancti Archangeli essent Anachoritæ, à Guardiano nostro Terræ sanctæ, qui Frater Acursius Quintianus Brixiensis vocabatur.

Mille Anachoritas Sangiacus crudeliter enecat.

miserabili quodam casu sunt trucidati. Nam cùm Sangiacus quidam nouus officium administrationis Ierosolymis adiret, monachi huius loci, vt eum salutarent, sibique propitium redderent, viritim gallum gallinaceum pro xenio deferentes, illum accesserunt. Cui cùm tantum hominum numerum (erant autem mille) in vno eodemque habitu, quæ res aspectu fuit periucunda, vidisset, quæsiuit per interpretẽ, quinam essent. Responderunt se Anachoritas S. Sabæ esse; & salutatum nouum suum Præsidem veniisse, fausta illi precantes omnia: cui cùm propter paupertatem, quam profitebantur, ampla munera deferre non possent, hæc exigua vt animo grato susciperet, illisque se clementem & benignum præstaret, orabant. Respondit barbarus, se grato quidem animo munus acceptare; sed tantam Gaurorum (sic enim homines Christianos Turcæ canes appellant) multitudinem in vno cumulo congregatam, æquis oculis aspicere non posse. vereri se dicebat, ne sub eius administratione, Christiani, qui tam numerosi essent, aliquid seditionis molirentur. maturè obuiàm discrimini eundum, & Gaurorum multitudinem minuendam esse. Delectis igitur ex omni numero viginti quos volebat, reliquos omnes, in oculis suis per Ianissaros in frusta concídi crudelissimè iussit: cumque de tam ingenti macello ad Selimum perscripsisset, ab eo collaudatus est, quòd in officio suo diligentem & vigilantem se comprobauerit. Meo tempore in prædicto monasterio, triginta tantùm circiter erant monachi. A cœna, nos ad modicam quietem composuimus; cumque circa mediam noctem, monachi ad preces Matutinas tabula signum darent (campanarum enim vsus vbique sub Turca prohibitus) è monasterio egressi, viam montosam, inter horridas rupes, & saxosos anfractus habuimus: quam prosequi, nisi nobis Luna illuxisset, nulla ratione potuissemus. Confecimus tamen hoc itinere nocturno, tria passuum millia: & in aurora

Campanarum vsus à Turcis interdictus.

mare

mare Asphalticum conspeximus, ad cuius demum littus hora diei secunda peruenimus.

Mare hoc vel potiùs lacus (nam viginti tantùm milliaribus in longum, in latum verò vbi magis extensus est, sex vel septem tantùm protenditur) in eo loco est, vbi in cælestis iustitiæ testimonium propter peccati turpitudinem, quinque ciuitates immisso cælitus igne conflagrarunt, quarum nomina sunt hæc, Sodoma, Gomorrha, Sochor, Amona, & Sebion. Sunt qui scribant, quinque has vrbes subuersas, præsertim Georgius Cedrenus in Historia: qui tres postremas ita nominat, Segor, Adama, & Seboim. Lacus iste totus est sulphureus, habens saxa in littore, quę accensa, instar ligni ardent: quorum aliqua, rei experiundæ caussa, mecum attuli. Iosephus de bello Iudaïco, lacum hunc non minùs exactè quàm verè descripsit: illud præcipuè, quòd in die ter mutat colorem; quod & ipse euidẽter vidi. Nam manè habebat aquam nigricantem: meridie sole intenso, (sunt enim calores hîc immensi) instar panni fit cęrulea: ante occasum, vbi vis caloris remittit, tamquam limo permista, modicè rubet, vel potiùs flauescit. Ceterùm fructus, quos arbores ad mare hoc, vt scribit Iosephus lib. eod. 5. producunt (qui in specie poma videntur, decerpta verò intus cinere & fauilla plena in fumum dissoluuntur) nullos hîc vidi: neque enim sunt ampliùs; vt nec statua salis vxoris Lothi, quæ conuulsa numquam minuitur, vsquam hoc tempore apparet. Nam diligenter ex Arabe nostro, ceterisque qui loca illa habent explorata, quæsiui: qui constanter affirmabant, nihil simile hîc reperiri. Sed & Frater Angelus laicus monachus, qui in Ierosolymitano Conuentu quinquaginta annos exegit, narrauit, multos Europæos Christianos, suo tempore statuam hanc perquisiuisse, nec tamen inuenisse. Lacus hic aspectu ipso horrendus apparet. Nam montibus vndique prę-ruptis, & cautibus surdis cingitur: & aquam colores variantem,

MARE ASPHALTICVM.

Gen. 19.

Lib. 5. c. 5.

Statua salis vxoris Loth.

riantem,valdè ſpiſſam & fœtentem habet ; quæ guttatim deguſtata, prout à nobis factum , linguam atrociter mordet , & caput graui peſtiferoque odore vehementer inficit.Reperimus ad littus Æthiopem nigerrimum,nudum, ſal colligentem (nam lacus hic ſal producit , ſed amarum veluti felle miſtum)vultu terribilem,corpore & ſaltu valdè agilem,pharetram & arcum habentem: quem dux noſter nouerat prædonem eſſe famoſum, nunc ſolum,ſocios latrones vltra Iordanem verſari.

IORDANIS FLVVIVS.

Iordanis fluuius in mare hoc exoneratur,ea parte,quæ ex monaſterio S. Sabæ venientibus occurrit. Inde ad vnum & medium milliare , per altas & ſteriles arenas , ad locum Chriſti baptiſmatis peruenitur. Ad dextram fluminis , quod valdè ſinuoſis flexibus ſe videndum ſæpiùs exhibet, eo ipſo in loco, vbi à Ioanne Chriſtus eſt baptizatus, lucus eſt vmbroſus , ad dimidium milliare in longitudinem , & ad iactum ſagittæ in latitudinem , prope fluuij ripas ſe extendens . Habet arbores , quarum folia ſalices imitantur , non tamen eius ſunt generis , prout ex virgis, quas mecum attuli,videre licet.Atque hoc illud deſertum eſt, cuius Euangeliſtæ Matth. 3. & Mar. 1. meminerunt, in quo Ioannes baptizabat, & pœnitentiam prædicabat. Ea porrò quibus Præcurſor ſanctus victitabat , nempe locuſtæ & mel ſilueſtre , in locis hiſce iam non reperiuntur. Sed veriſimile eſt , fluuium , qui non limoſum, ſed arenoſum etiam fundum habet , & inter rupes labitur,conchylia quędam abſque decoctione comeſtibilia(quorum nonnullas ſpecies mare etiam producere alicubi ſolet) in ripas eieciſſe. Hæc vel horum ſimilia num Sanctus comederit, incertum . Mel ſilueſtre etiam lucus hic olim producere potuit, quo , atteſtante Scriptura, veſceretur . Nunc nihil tale hîc inuenitur , cùm ſit ſolitudo , nullam culturam admittens. Aquam valdè turbidam Iordanis habet , ſed ſalubrem, quæ in vaſe aſſeruata, numquam corrumpitur:

Baptiſmi Chriſti locus.

Locuſtæ & mel ſilueſtre S.Ioannis.

Iordanis aqua aſſeruata,incorruptibilis.

prout

prout in ea, quam attuli mecum, indubitanter ſum expertus. Aliqui ex noſtris ibidem corpus abluebant, cùm in ripa refectionem ſumeremus. Vix in latitudinem triginta cubitis excreſcit, niſi vbi in Mare mortuum influit: quo loco latiùs etiam diffunditur. Videntur hîc ruinæ pontis in vlteriore ripa, quem lapideum diua Helena olim conſtruxerat. Vltra flumen ad dextram verſus lacum Aſphaltithem, incipit iam Arabia, quæ eſt & vocatur meritò Deſerta. nihil enim pręter rupes & arenam producit; prout ex ipſo primo aſpectu manifeſtè videre eſt. Superiùs ad dimidium milliaris procedendo, locus eſt vbi Hebræi Iordanem ſicco veſtigio tranſierunt, Ioſue 3. A Iordane verſus Iericho procedendo (quod inde vno & dimidio milliari, vel paulò plus, abeſt) prope viam publicam, eſt Eccleſia propemodum integra, à diua Helena in honorem ſancti Ioannis Baptiſtæ fabricata, prout & illa, quæ in loco baptizati Saluatoris viſitur. Habent Indulgentiam plenariam. Ad manum ſiniſtram eſt locus Galgalę, de quo Ioſue 4. Sed lapides quos de alueo Iordanis tranſlatos ibi ſtatuerant Iſraëlitæ, nulli apparent. Inde ex arenoſo & ſterili ſolo, deuenitur in elegantem & fertilitate celebratam conuallem: in qua ciuitas Ierichuntina erat poſita. Dimidio ab vrbe milliari ad dextram eſt collis, in quo Ioſue vidit virum ſtantem contra ſe, euaginatum tenentem gladium, Ioſ. 5. Ex colle hoc patebat ampliſſimus proſpectus Ierichuntis; vnde Ioſue, tamquam Dux belli peritus, poterat locum oppugnandæ ciuitati percommodum contemplari, & deligere. Peruenimus poſteà Ierichuntem, quæ ciuitas in amœna & omnium fructuum feraci planicie ſita erat: & circa tempus illud, propter intenſum calorem, dactylos iam maturos illa regio habebat. Ex ambitu apparet, vrbem ingentem, forma circulari conſtructam fuiſſe. Vbi erant muri, quaſi agger quidam congeſtus videtur: in turrium autem loco, quas nõ paucas fuiſſe

ARABIA DESERTA.

Eccleſia S. Ioannis Bapt.

Galgala.

IERICHO ciuitas.

liquet, tumuli maiores quasi colles quidam rotundi, cõsurgunt. Habuit hîc effectum proculdubiò illa Iosue imprecatio, qua, vt in cap. 6. habetur, vrbem grauissimè perculit. Nullus enim hîc habitat, præter Arabes depręd atores, qui in tugurijs arundineis degunt. Turris vnica tantùm dimidiata parte integra, quadrangularis, in ciuitatis extremitate supereſt: quam nonnulli domum meretricis Rahab, quandoquidẽ ad murum ciuitatis posita erat, esse volunt: quæ signo funiculi coccinei ad fenestram ligati, ne ab Hebræis diriperetur, obtinuerat, Ios. cap. 2. Alij etiam Zachæi fuisse arbitrantur, quam Christus ingressus erat. Quamobrem ob memoriam siue Rahab, siue Zachæi, diuinitus partem eius maiorem reseruatam existimant: quandoquidem in toto illo ciuitatis situ, vix vnius cubiti altitudine, integer murus inueniri potest.

Rahab meretricis domus.

Zachæi domus. Lucæ 19.

In descriptione insulæ Cretæ breuibus attigi, quanta sit ibi cæli diuersitas, montibus à Septemtrione versus Meridiem superatis: idem & hîc videre licet, quando aliquis Ierosolyma Ierichuntem proficiscitur. Nam licet sex tantùm milliaribus per directum hinc distet Ierosolyma, quę multas dactylorũ arbores circumcircà habet: fructus tamen eiusmodi isthic non matureſcunt, hîc autem ad plenam maturitatem perueniunt. Habetur hîc arbor Spalati, quæ maximo pretio æstimatur, & calidissima aëris temperie opus habet: vt & rosæ Ierichuntinæ, quarum vsus mulieribus ad faciliorem partum mirificè confert. Fructus omnes & segetes, duabus hîc antè hebdomadis quàm Ierosolymis citiùs proueniunt. Nec mirum. sunt enim hîc adeò immensi calores, vt hinc petentibus Ierosolymam, cælum longè frigidius videatur: vbi aër itidem salubrior, & noctes nimij caloris expertes.

Spalati arbor.

Ierichuntinæ rosæ partum facilitant.

FONS ELISEI. 4. Reg. 2.

Ex Iericho discedentes, vno dimidio & paulò ampliùs milliari, deuenimus ad fontem aquarum, quas Eliseus immisso sale sanauit, & ex pessimis optimas effecit. Fons

hic

hic totam vallem illam irrigat, & per fossas antiquitus ductas, in hortos deriuatur: est copiosus, profunditate hominis humeros attingens; piscículos paruos habet multos. Videntur hîc ingentes aquæductus, qui ad eremum & monasterium S. Hieronymi aquas propellebant. Nunc vix monasterij illius vestigia apparent. Cibo apud fontem refecti, post emensam quartam milliaris partem, deuenimus ad radices mõtis, qui Quadrantana dicitur: vbi Christus à diabolo tentabatur. Relictis iumentis, ad medium milliare progressi, per adeò arctam & lubricam semitam, quæ subtus ingens præcipitium habet, vt multi propter vertiginem capitis & lapsus periculum eò noluerint accedere, peruenimus ad medietatem montis (nec enim vlteriùs patet accessus) vbi planicies ad sex vlnas protenditur in longum, latitudine valdè angusta. Hîc Christus Dominus quadraginta diebus & noctibus ieiunauit, Matthæi 4. & sancta Helena vnum parietem è latere cocto erexit, cui altare exiguum est adiunctum, quod habet Indulgentiam plenariam. Lapides ibi plurimi, quos Satanas ostendens, Dic, aiebat, vt lapides isti panes fiant. Qui locum hunc, desertum siluæ appellant, errare videntur: cùm arboribus planè careat, rupesque tantùm & asperrima saxa in altum porrigat. Videtur hinc lacus seu mare mortuum, & vt sub vesperam solet, aquas nobis rubentes, veluti limo permistas, vt antè dictum est, repræsentabat. Iordanis quoque & Iericho, quod vno tantùm, si rectà eatur, abest milliari. In summo eiusdem montis iugo (ab ea tamen parte, qua rectà Ierosolymis itur) est aliud Sacellum in eo loco, in quo Christum Satan assumens, mundi regna illi ostendit, prout in eodem habetur Euangelio. Totus hic mons, multas specus habet, in quibus olim Anachoritæ habitabant. Nunc propter barbarorum sæuitiem nullus inhabitat. Inde reuersi denuò sumus ad fontem Elisei, è cuius regione, modico admodum in-

Quadrantana mons ieiunantis Christi.

teruallo,est condensum fruticetum,in quo noctem ducere constitueramus, quandoquidem occasus Solis post horam imminebat.Cumq; cœnam appararemus,superuenerunt triginta ferè Arabes, ductori nostro parùm noti; qui statim panes,gallinas,anseres, quos decoctos habebamus, diripere cœperunt. Ceterùm Arabs ductor noster, cùm ab illis periculum creari nobis animaduertisset, arte vsus, persuadere illis cœpit, vt tamquam ex itinere lassos, quiescere nos permitterẽt, quandoquidem eodem illo in loco pernoctaturi essemus. Id autem eo consilio fecit, ne subitò irruentes, nos opprimerent. Acquieuerunt illi persuadenti non grauatim,noctem magis commodam designato in nos facinori iudicantes: itaque aliquantò modestiùs se gerebant. Intereà ductor Arabs, me ad partem vocato, cùm absque interprete,qui cum alijs seorsim agebat,loqui mecum non posset, manu gutturi suo admota, signis annuebat,nos ab illis interfectũ iri, si pro nocte hîc maneremus. Interpres accersitus,idem mihi renuntiauit. Significaui itaque meis vt abitionem pararent. Arabs verò noster, apud latrones illos tantum perfecit, vt abscederent. Monachi,qui noctis præteritæ itinere, & æstu diurno valdè fatigati erant,volebant omnino hîc remanere. Quamuis autem ego libenter idem feciſſem, quoniam tamen ductor profectionem vrgebat, dixi me quidem illis non difficulter morem gerere velle; sed cùm Arabs noster, in tales nos prædatores incidisse, quibus ipse resistere non possit, certò affirmet, me vnà cum meis profecturum; manerent illi si vellent, sed magno se periculo expositos considerarent;quandoquidem,non expectatis illis,ductor Arabs & Ianissari me essent comitaturi. Cùm itaque Arabem nostrum, suis rebus diffidentem, & valdè solicitum esse animaduertissent, sarcinulas colligere cœperunt; idq; eò etiam alacriùs,quoniã dicebatur,eosdem latrones ante triduum interfeciſſe vnum ex Locumtenentis Officialibus,

bus,& ſex illi Turcas adiunctos, qui tributum in pagis, ad Iordanis amnem iacentibus,exigebant. Itaque prima noctis hora, per ſilentium ductore ſic monente, loco mouimus, & monte Quadrantenæ ad dexteram relicto,rupem altam conſcendimus,cumque tria magna milliaria confeciſſemus,in cacumine montis, Arabs ductor, vt vnam ad minus & dimidiam horã quieſceremus, permiſit:ipſeque interim cum ſuis excubias egit.Poſteà cùm ex ſuo,quem iſthic reliquerat, exploratore didiciſſet, Arabes latrones nocte ad fontem Eliſei, vbi quieſcere debebamus, accurriſſe; excitatis nobis,iumenta conſcendere iuſſit. Perreximus itaque gradum accelerantes, quòd via melior eſſet: & duobus ab Ieroſolyma milliaribus, cùm iam illuceſceret, ſubſtitimus, monte Oliueti conſpecto (valdè enim eminens & latus eſt, protenditurque in longum, verſus viam qua ab Iericho proficiſcebamur, ad duo milliaria, in circuitu multò plura habens;proſpectum tamen magis amœnum habet verſus Ieroſolymam, oleis & ficulneis vndique conueſtitus) vbi denuò cùm nos ſomnus vehementer infeſtaret, vt quieſceremus ductor permiſit : ipſe tamen cum ſuis aduigilabat. Poſt duarum horarum quietem,iam alto ſole,nos excitauit.

Inde iumentis conſcenſis, per Bethaniam, & loca ſuperiùs nominata, reuerſi ſumus Ieroſolymam, ad Portam piſcium, vbi relictis iumentis, ante meridiem venimus ad Conuentum. Hîc Arabem ductorem dimiſimus,donatis illi florenis aliquot, pane itidem, vino, & carnibus : quæ grato cumprimis animo accepit, offerens nobis operam ſuam, ſi fortè proficiſci adhuc aliquò vellemus. Famulis itidem eius donatiuum dedi, quo erant contenti. Totam diem reliquam, quieti attribuimus, via moleſtiſſima fatigati.

Aduenerat iam Ieroſolymam ipſemet Sabadinus Maurus,qui cum caramuſano ſiue comitatu ſuo Ioppen appu-

lerat, vt Tripoli discedentes, cum eo conueneramus. Interea P. Vicarius, qui in conuentu remanserat, procurabat vt sacrum Cœnaculum ingredi nobis liceret. Quamuis enim apud Turcas pecunia plurimum possit; multum tamen, ad rem ex animi sententia conficiendam, momenti attulit occasio, quòd qui in dicto Cœnaculo manebat, vnus ex numero Santonum dignitate eminentior, infirmitate detinebatur. Quoniam autem in dicto Cœnaculo Turcæ Moschæam habent, in quam Christianis ingredi non licet, nisi quis ingressus, vel in verba Mahometis iuret, vel sex millia Cecchinorum pro mulcta persoluat; ideò dictus Santonus à superioribus facultatem impetrauit, vt monachos nostrates intus admittere posset, qui pharmacopolam laicum habebant, cuius opera in valetudine curanda vtebatur. Peregrinorum tamen nullus intromittitur. Ego cum duobus familiaribus meis, Georgio Cos & Andrea Skorulski, ac duobus religiosis, intromissus sum.

COENACVLVM DOMINI.

Die igitur sexta Iulij, pileolis dumtaxat monachorum assumptis, habitu peregrinorum retento, qui monastico persimilis est, per portam Sion è ciuitate egressi, posteaquam in cœmeterio Catholicorum, pro animabus quorum corpora ibi quiescunt, ad Deum preces effudimus, ad prædictum sacrum Cœnaculum deuenimus, & à Turcis qui nos omnes pro monachis habebant, absque difficultate aliqua, intromissi sumus. Est elegans atrium intus, triginta circiter cubitos in longitudine & latitudine habens. In parte sinistra est Moschæa: quo loco nonnulli (inter quos Pater Stephanus Ragusinus) Christum Dominum Apostolis pedes lauisse arbitrantur. In ingressu statim calceos abijcere coacti sumus: qua etiam cærimonia, Turcæ Moschæas ingredientes, vti consueuernnt. Admoniti quoque fuimus, ne in terram despueremus. Nam Turcæ locum hunc in maxima habent veneratione, asse-

Turcæ sacrũ Cœnaculum venerantur.

rentes

rentes Christum in hoc Cœnaculo magnam quamdam cum Apostolis cærimoniam peregisse: qui posteà singulari quodam miraculo, linguas igneas super capita accẽsas portabant, creduntq́; ibidem Spiritum sanctum cælitus in discipulos missum, vt Act. 2. Ex hac Moschæa inferiore patet aditus ad Sacellum satis amplum, in quo est monumentum Dauidis, ex marmore candido, venis cæruleis distincto: quod adamasco rubeo, fimbrijs flauis sericeis cincto, tegitur: ad latus huius, est & aliud quod Salomonis esse dicitur, sed nullum habet integumentum. Lampades hîc multæ sunt appensæ. Supra hanc Moschæam, fit ad aliam superiorem ascensus; & hoc est illud sacrum Cœnaculum, in quo Christus Dominus vltimam Cœnam discipulis exhibuit. Est longum, ad viginti cubitos plus minùs, elegans, lucidum, concameratum: ex vna parte, qua in aream prospicitur, tres amplas feneſtras habet: in medio, sunt tres elegantes marmoreæ columnæ, per ordinem dispositæ, quibus testudo innititur. Hîc in genua procumbentes, Deo preces pro gratiarum actione obtulimus; & P. Ioannes breuem exhortatiunculam ad nos fecit. Est hîc Indulgentia plenaria. Inde ingredientibus ad dexteram patet ingressus ad impluuium, quod ducit ad cubiculum quoddam subobscurum Cœnaculo ipsi contiguum, in quo super discipulos congregatos Spiritus sanctus descendit. Huic aliud subest simile cubiculum, ad quod Christus post resurrectionem, ianuis clausis ingressus, Apostolis apparuit, Ioan. 20. Est ibi Indulgentia septem annorum & totidem quadragenarum. Mysteria quæ hoc in loco sunt peracta, describuntur in Actis Apostolorum fusiùs, primo & secundo capite. Cœnaculum hoc sacrum distat ad sagittæ iactum ab eo loco, in quo palatium Dauidis erat situm, in ipso vertice montis Sion. Reuersi deinde sumus ad monasterium: vbi prandio sumpto per Portam Piscium exeuntes, ad dextram, circumiuimus me-

Dauidis monumentum.

Salomonis monumentum.

diam

Sepulchra Regum Iuda.

diam ferè ciuitatis partem, vsque ad sepulchra Regum Iuda: quæ anteà muro ciuitatis comprehendebantur, nunc verò longè distant à porta ciuitatis, qua itur Damascum. Mirum est quanto sumptu & artificio monumenta hæc fuêre constructa. Sunt enim in ipso saxo viuo, quasi quædam cameræ arcuatæ, in quadrangulum excisæ: quarum pars quælibet duas habet portas; portæ verò singulæ aditum præbent ad vnicum Sacellum, in quo duo corpora reponebantur. Ad Sacella siue Capellas prædictas, valuæ sunt ex eadem petra excisæ: quæ in angulis prominentes rotundas extremitates vtrique posti ita insertas habent, vt quasi cardinibus suspensæ, commodè claudi & reserari valeant. Mirum profectò, quomodo ex vno eodemque saxo id exsculpi potuerit. In Cathedrali Torcellensi Ecclesia, non procul à Venetijs, sunt etiam magnæ lapideæ tabulæ, quibus feneſtræ clauduntur, sed in postes alterius lapidis inseruntur. Hîc autem ex vno eodemque viuo saxo parata sunt omnia, & postes qui valuas excipiunt, & valuæ quæ postibus insertæ, facili ductu circumferuntur. Illud etiam cumprimis est admirandum, quòd in eiusmodi Capellis sunt tumbæ lapideæ multò maiores, quàm vt per portas introduci potuerint. Apparet omnino, non eas arte humana aliqua importatas; sed intus ex eadem rupe excisas, & sculptorum opera ibidem formatas esse. Operis quoque elegantia, tam in portis, quàm in sarcophagis prædictis, mira florum & foliorum varietate distincta & elaborata admiratione non caret. Poterant ijs in locis quadraginta & aliquot personæ recondi. Nam quælibet concameratio Sacella octo, Sacellum verò quodlibet duo corporum repositoria continebat: in quorum nonnullis ossa etiam visuntur; sed ad quos pertinent, nescitur. Loca hæc, vt in specubus, sunt obscura, quæ non nisi luminibus illatis visitari possunt. In ingressu, qui valdè humilis est, depressus, ac ruderibus oppletus, custodes reliqui-

quimus, ne Turcæ lapidibus exitum obstruerent; quod non illibenter faciunt, vt Christianos enecent. Inde redijmus in Ciuitatem per Damasci portam, & ad dexteram diuertimus ad Herodis palatium, quod Turca quidam ciuis inhabitat, & oblata pecunia facilè intus admittit. In parte inferiori est antiquum ædificium quoddam, in quo Saluatorem nostrum alba veste ferunt indutum, & ab Herode spretum. Palatium hoc fuit in monte positum. Tradunt enim Historici, intra murorum ambitum, tres conspicuos & insigniores montes Ierosolymis fuisse, qui etiam nunc apparent. Primus inter hos, mons erat Sion, maior & longè ceteris eminentior, in quo palatium Dauidis erat; cuius nunc maior pars (vt & sacrum Cœnaculum) extra Ciuitatem est. Conueniunt enim scriptores in hoc omnes, modernam Ierusalem vetusta illa longè nunc esse minorem: quæ non Iudææ modò, sed omnium Orientis vrbium longè maxima & clarissima olim fuit, vt Plinius libro quinto, & Tacitus in Augustalibus refert. Habuit enim viginti quatuor fora: in quorum singula viginti quatuor plateæ exonerabantur: quamlibet verò plateam viginti quatuor viculi seu angiportus intersecabant. Menathon præterea quidam Hebræorum Rabinus memoriæ prodidit, fuisse in ea Ciuitate Synagogas, quæ statis temporibus frequentabantur, circiter quadringentas octuaginta. Apparet etiam nunc ex ruinis, vrbem hanc ingentis fuisse magnitudinis; quandoquidem, vt dictum est, in ea Regum Iuda monumenta comprehendebantur, quæ nunc extra muros conspiciuntur. Ad hæc palatia Dauidis, Salomonis, Herodis Regum, & Reginarum, hortos spatiosos, immò & ferarum viuaria habebant adiuncta: quæ omnia, post bellorum tempestates, magno murorum ambitu, ex lapidibus sectis, vt apparet, constructo cingebantur. Secundus mons Regius vocabatur, & ipse non valdè quidem eminens, sed vastus cumprimis & spa-

Herodis Palatium.

Montes Ierosolymis præcipui.

Mons Sion.

Ierosolymitana vrbis maiestas.

Mons Regius.

tioſus, in quo ampliſſimum & celeberrimum illud palatium ab Herode Aſcalonita Iudæorum Rege, Innocentium occiſore, conſtructum fuit: in cuius medio aula erat Regia inenarrabili magnificentia eminens: vbi Chriſtus Herodi Antipæ Tetrarchæ Galilææ Ioannis Baptiſtæ interfectori præſentatus fuit. Tertius mons Moriath appellatur, in quo templum erat Salomonis: vbi nunc Moſchęa Turcarum, & ingens eſt area. Mons hic depreſſior ac humilior eſt duobus ceteris, quà ciuitatem verſus protenditur; ſed à parte vallis Ioſaphat, quæ hunc, & Ciuitatem ipſam, à monte Oliueti diuidit, longè altior & diductior eſt, in quo etiam moderna Ciuitas in longum tota porrigitur. Quartus mons Caluariæ dictus, olim extra Ciuitatem, nunc intra comprehenſus (in quo Chriſtus Saluator ſalutem noſtram operatus eſt) ampliſſimis Baſilicæ celeberrimæ ædificijs occupatur: cuius altitudo quòd minor appareat è Ciuitate verſus illum pergentibus, ſubſtructiones id faciunt; cùm alioquin ſemper aſcendendum ſit, & ex alia parte magnum præcipitium immineat, in quo Crux viuifica fuit reperta. Hæc pauca, de quatuor montibus, qui nunc etiam Ieroſolymis viſuntur, dicta ſufficiant. Eſt & quintus Gion, de quo ſuperiùs: ſed vt apparet, extra Ciuitatem fuit.

Mons Moriath.

Caluariæ mons.

Mons Gion.

Tertius ingreſſus ad S. Sepvlchrvm.

Quòd Ieroſolymis iam diſceſſuri eſſemus, ſumpto prandio, tertia vice iuimus ad audiendas Veſperas in ſacro Sepulchro: vbi & Proceſſionem more conſueto peragebamus, & ad perceptionem ſacræ Communionis per exomologeſin nos præparabamus. Sequenti igitur die manè P. Ioannes de Florentia Miſſam in ſacro Sepulchro decantauit (nam P. Vicarius res itineri neceſſarias præparaturus è templo diſceſſerat) & nobis ſacram Euchariſtiam miniſtrauit. Die octaua Iulij circa meridiem diſceſſimus ex Eccleſia. Erat autem dies SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, ſecundùm Kalendarium vetus: itaque vidimus, qualiter

per

per integram noctem præcedentem, diuersæ nationes, in locis cuique assignatis suæ deuotionis cærimonias peragebant. Cùm abiremus, gratiæ nobis actæ ab omnibus, quòd occasione ingressus nostri, ipsis quoque hoc die sacro Basilicam ingredi licuerit, quam ipsorum causa Turcę non erant alioquin aperturi. Adfuêre hac ipsa nocte in Ecclesia, diuersarum gentium circiter homines ducenti: qui verò tardiùs venerant, expectabant ad portam, vt dum ea nobis reseratur, clàm intus ingredi, & sacrũ Sepulchrum exosculari obiter possent. Quibus autem ea sors non obtigit, ij egredientibus nobis vestes nostras attrectabant, & exosculabantur, quæ sacra illa loca tetigissent. Idem anteà quoque faciebant, quoties emittebamur ex Ecclesia. Tantus deuotionis feruor est in Christianis illis; qui etiamsi sint Schismatici, loca tamen sacra non auersantur (quod Hæretici faciunt) sed honore potiùs condigno venerantur. Quoniam autem dictum est superiùs, nos ter in Ecclesiam sancti Sepulchri ingressos, operæ pretium est ostendere, qua ratione id fiat. Peregrinus qui nouem Cechinos numerauit, ter illi debet Ecclesia aperiri. Id eo modo est intelligendum: vt cùm aperta illi semel fuerit, & ille ingressus, post dimidiam vel vnam horam (quam, si dixerit se egressurum, Turcæ integram expectabunt) inde exierit, vel integrum ibidem annum morari voluerit; ingressus eiusmodi, pro vna tantùm vice computetur: sic & alter, & tertius: quandoquidem clausa Ecclesia, pro vnica vice sigillatim admissi introitus numeratur: exceptis solennioribus festiuitatibus, quibus Monachi intromittuntur, quoties opus habuerint: qui etiam nihil pensitant; sed vbi primùm aduenerint, xeniolum aliquod Sangiaco & Cadio offerunt. Peregrino cuilibet, qui voluerit, ter aperitur Ecclesia: & quoniam pro reseratione Turcis semper aliquid est numerandum; tenuiores peregrini, semel ingressi, manent intus quamdiu volunt: cibus verò illis è suę

Christianorum Schismaticorum Ierosolymis deuotio.

Peregrinorũ ad S. Sepulchrum intromittẽdorũ ratio.

gentis monasterio (in monasterijs enim peregrini habitant) per rotundam portæ templi fenestram suppeditatur. Et iam antiquitate mos hic exoleuerat de trina apertione: nos tamen è consilio Patrum obtinuimus apud Cadium, vt consuetudine antiqua reuocata, ter nobis Basilica aperiretur; & eadem hora, qua pridie ingrediebamur, die insequenti foras dimitteremur. Pro celebrioribus festis, è totius ferè mundi partibus frequentiores peregrini concurrere solent, qui semel admissi, quoad celebritas duraverit, in Ecclesia manent. Non æqualiter tamen omnes pecuniam admissionis exsoluunt. Nam qui prope Ierosolymam manent, minus; qui remotiùs agunt, plus contribuunt. Qui Damasco & Cœlesyria veniunt, tres Cecchinos; qui è Syria Phœnices vltra Libanum, quatuor; qui Apamæa & vicinioribus Europæ locis, quinque; qui ex Asia, sex; qui ex vlterioribus prouincijs, septem vel octo; Europęi verò omnes nouem Cecchinos viritim pendunt.

Vectigal S. Sepulchri Cæs. Turcarum.

Affirmatur pro certo, quòd ad triginta millia Cecchinorum, qui sexaginta millia florenorum constituunt annuatim, ex hoc peregrinorum vectigali in ærarium Turcarum Cæsaris importantur. Quo ordine, quibúsve cærimoniis in diuino cultu peragendo, tam nos Catholici, quàm ceteræ nationes hîc vtantur, P. Stephanus Ragusinus, de quo superiùs, in suo, quem De iugi Terræ sanctæ deuotione conscripsit, libello copiosiùs explicat: illud vnum addendum puto, quòd ingenti Catholici hominis animus voluptate & consolatione perfruitur, dum considerat loca hæc, in quibus nostræ salutis monumenta peracta sunt, Christianis nota & explorata esse: immò integra adhuc conseruari, ea præsertim quæ lapidibus & petris insunt. Multa etiam alia piè creduntur ex antiqua traditione, vera & genuina permanere; quæ nihil impediunt, quo minùs Christi Saluatoris prædictio locum habeat, qui dixit, lapidem supra lapidem hîc non remansurum: neque

Sacra Ierosol. loca visitantium consolatio.

tamen

tamen omnipotentiæ ſuæ modum præſcripſit, ea integra aliqua ex parte relinquendo, quæ pij homines ex remotiſſimis orbis regionibus venientes, nulla ſumptuum & valetudinis habita ratione (res admiratione digna) ſingulari cultu & obſeruatione venerarentur. Illud etiam notandum, quòd non ſolùm Catholici, ſed ceteræ quoque nationes baptiſmi Sacramento initiatæ, hîc particularia Sacella habent aſſignata, in quibus Diuinum numen, die noctéque inuocant, & honore debito proſequuntur. In ſacroſancto Miſſæ ſacrificio celebrando, Maronitæ, Abyſſini, & Georgiani, quàm proximè ad Catholicorum ritum accedunt; aliæ nationes panis etiam & vini oblationem retinent. Ceterùm nulli ſunt hîc Hæretici, niſi fortè qui videndi cauſa eò veniunt, vt è Gallis & Germanis aliqui. Miniſtrorum tamen noui Euangelij nullus omnino apparet. Cùm tertiò in Eccleſiam cum Religioſis ingreſſus eſſem, ſedens cum filio cuiuſdam Epiſcopi Armeni, per interpretem colloquium habui: qui nos è remotis partibus venientes agnoſcens, multa mecum de ratione deuotionis, quæ à diuerſarum gentium hominibus in hac ſacra Baſilica frequentaretur, contulit, & quomodo mihi ea probaretur, quæſiuit. Reſpondi, mihi placere omnia. Quamuis enim diuerſis linguis & cærimonijs natio quæque Deum laudaret, in eſſentialibus tamen eos cum nobis Catholicis conuenire: vnde appareret, vnam ſemper fuiſſe & eſſe Eccleſiam: quæ eadem Catholica & Romana vocaretur. In ipſo ſermonis progreſſu, quæſiui ex illo, num aliquid etiam inaudiuerit de Hæreticis; quos Deo propter peccata noſtra permittente, in partibus noſtris haberemus, quorum etiam nomina recenſui, nempe Lutheranos, Zvvinglianos, Arrianos, Anabaptiſtas, & reliquam Hæreticorum colluuiem. Interrogauit, num Chriſtiani eſſent. Dixi eos eſſe baptizatos, & Chriſtianos velle vocari. Reſpondit, nulla ratione ſe credere poſſe, quòd

Sacella nationum in templo Ieroſolymitano.

Miſſa Maronitarum, Abyſſinorũ, Georgianorum.

Miniſtri noui Euangelij Ieroſolymis nulli.

Hæretici non ſunt Chriſtiani, quia non agnoſcunt Sacerdotem & Sacrificiũ.

sint Christiani; quandoquidem ad eum locum, in quo Deus mortali carne assumpta salutem nostram operatus est, non accederent; nullos Sacerdotes, altare nullum, ad offerendum Deo sacrificium, hîc haberent. Nam licet loca hęc sacra in Paganorum manus deuenerunt; ad eorum tamen confusionem, Christianos, cuiuscumque tandem sectæ vel professionis fuerint, ad ea accedere, illaque venerari conuenit. Hæc ille cum tanta simplicitate & mentis affectu proferebat, vt facilè appareret, non fictè sed ex abundantia cordis illa fuisse loquutum. Superuenit intereà Græcus ille Anachoreta, quem apud S. Sabam vidimus: qui, vt suprà dictum est, in partibus nostris aliquamdiu versatus fuit. Is vbi intellexit, de quibus inter nos colloquebamur; narrare cœpit, se sæpiùs in Polonia Hæreticos vidisse, eorumque mores perspectos habere: eos esse multò Iudæis deteriores. Nam illos quidem Christum crucifixisse, quem Deum non credebant nec agnoscebant: Hæretici verò cùm eum agnoscant, & verbis confiteantur, denuò tamen illum crucifigunt, omnipotentiam eius negantes, & honore diuinitatis illum spoliantes. Magna hæc consolatio, quòd de peste hæreseon nihil in sanctis hisce locis audiatur. Inter hæc colloquia quæ in Refectorio miscebamus, vbi diuersarum nationum homines aderant, præcipuè Cophti & Maronitæ, scribere nos quædam contigit. Mirabantur illi, quòd tam citò & expeditè characteres formaremus, nec credebant illa facilè posse legi: quandoquidem ipsi lentè admodum, & contrario modo, à dextra versus sinistram procedendo, literas pingunt: & antequam vnum characterem effingant, sæpiùs chartam hinc inde vertunt & eleuant, vt dispiciant rectè ne an secùs collocauerint. Habent autem hoc, quòd in vnius characteris ductu, syllabas aliquot complectuntur, quas nos vix aliquot verbis exprimere possemus. Quamobrem vbi viderunt, sua verba & dictiones, nostris litteris

Hæretici Iudæis deteriores Oriẽtalium iudicio.

Maronitarũ scribendi ratio minùs expedita.

expres-

expreſſas, celeriter & exactè nos pronuntiare, laudabant noſtram ſcribendi rationem, quòd & celerior,& lectu facilior eſſet.

Illud etiam hîc neceſſariò adiungendum eſt, quem ordinem in obeunda deuotione ſua quælibet natio ſoleat obſeruare. Quæ Sacella ſiue Sanctuaria cuilibet nationi ſint attributa, ſuis locis diximus ſuperiùs. Poteſt quiuis alterius nationis Oratoria ingredi, & deuotionem ſuam proſequi: ita tamen, vt ne ritus & cærimonias eorum, quorum locus eſt proprius, ſacrorum tempore aliqua ratione impediat. Itaque tunc primùm Supplicationes ſiue Proceſſiones peraguntur, cùm Officium diuinum natio quælibet ſuis in locis abſoluerit. Miſſas verò ſeu liturgias, in alterius nationis Sanctuario, præterquam in proprio, nullus celebrare poteſt,ſub mulcta mille aureorum,toties quoties contrauentum fuerit,deponenda. Lampades poteſt vna natio in alterius Sanctuario appendere: ſed cùm earum tantus iam ſit vbique numerus, vt locus illis collocandis deſit, difficulter earum auctio admittitur, in ſacro maximè monumento, vbi meo tempore quadraginta duę erant appenſæ:quarum vna tantùm & viginti accẽdebantur:ex his Catholicorum erant quindecim. Neque enim omnes ardent,quandoquidem à fundatoribus oleum non ſuppeditatur. Vna ſemper accenſa eſt Pontificis Maximi, altera Collegij Cardinalium, tertia Romanorum Imperatoris, quatuor Regis Hiſpaniarum, duæ Regni Hiſpaniarum, duæ Regni Portugalliæ, Regis Galliarum duæ, quæ obliuione quadam, propter bella & hæreſes exortas, non accenduntur. Monachi tamen, propter inſignia Regum Galliæ in illis appoſita,vnam pro paupertate ſua perpetuò illuminant. Reſpublica Veneta habet vnam; Duces & Principes, alij itidem homines pij, ſuas lampades procurant. Quælibet lampas annuatim oleum viginti quinque Cecchinis,qui florenos Polonicos quinquaginta conſti-

Officiorum diuinorum ad S. Sepulchrum ordo.

Lampades S. Sepulchri.

constituunt, absumit. Si qui eleëmosynam pro sua lampade accendenda non mittunt, pendet ea nihilominùs non accensa; cùm semel illatam nefas sit amouere. Ante Sepulchrum Dominicum in Capella rotunda, sunt lampades quatuordecim, quarum duodecim semper ardent, Catholicorum sunt nouem. In foribus dictæ Capellæ vna, exteriùs per circuitum sacri Sepulchri sex lucent perpetuò. In monte Caluariæ cùm locus sit capacior, Catholicorum Ducum & Principum, triginta tres, omnes ardentes, sunt appensæ. Georgiani habent triginta duas, ante locum vbi crux Dominica stabat, ex quibus quinque tantùm accensæ. Ante lapidem vnctionis, octo accensæ Catholicorum pendent: ad altare beatæ Mariæ Magdalenæ, Catholicorum tres ardent: in carcere, Græcorum duæ: ad altare Diuisionis vestium, vna: in Capella Inuentionis sanctæ Crucis, vna Catholicorum accensa, Græcorum duæ ad paruum altare illorum, quod ibidem in parte dextera habent: in Capella diuæ Helenæ, duæ: in Capella Abyssinorum, vbi columna supra quam Christus Dominus illusus & spinis coronatus fuit, asseruatur, vna. Ceterùm lampades istarum nationum, diebus tantùm festiuis, aut cùm peregrini processionaliter obambulant, accenduntur: posteà statim extinguuntur. Semper etiam in hac Ecclesia fuit & hoc obseruatum, & adhuc obseruatur, vt diuersarum gentium Sacerdotes, ad aliquot menses, iuxta superiorum præscriptum, intus recludantur. Ex nostris monachis duo semper sunt Sacerdotes, & laici duo (meo tempore horum senior fuit Fr. Nicolaus Nani de Drusi) qui intra duos vel tres menses mutantur, nisi fortè quis infirmetur; quo in Conuentum recepto, alius substituitur. Idem ceteræ quoque nationes facere solent. Ordo autem diuini cultus peragendi, talis est inter illos: Quilibet alternatim per hebdomadam munus suum peragit, die Dominico in S. Sepulchro; Feria sexta in monte Caluariæ;

Sacerdotes inclusi in Ecclesia S. Sepulchri.

Sab-

Sabbato in Capella apparitionis B. Virginis, Missam priuatam, cum thurificatione tamen, celebrat: reliquis diebus, nempe Feria secunda, tertia, quarta, & quinta, in sancto itidem Sepulchro, absque thurificatione, Sacrum absoluit. Sacerdos autem non Hebdomadarius, celebrat vbi vult.

Breuissima descriptio templi S. Sepulchri.

Quamuis plures fuêre, qui rationem ædificij Basilicæ sancti Sepulchri, diutiùs in ea commorantes, exactè copioseque descripserunt: quæ tamen, & ipse quantum per temporis breuitatem licuit, obseruare potui, hîc succinctè addenda existimaui, licet iam nonnulla superiùs attigerim. Vt prætermittamus igitur, quanta amplitudine & sumptibus templum hoc cum ceteris ædificiis sit constructum: in quo non solùm ingens Sacerdotum numerus, sed integri propemodum militum Templariorum, cùm in manibus Christianorum Ierosolyma esset, exercitus receptaculum habebant; sciendum est, totam machinam ex eleganti & magno lapide quadrato, vnà cum turri campanaria, in altum consurgere; templum verò ipsum ad formam crucis esse compositum, lapide secto concameratum: parietes in quadrangulum coëunt, nisi quòd ad Ortum & Occasum semicirculum insertum habent. Columnas quadrilateras vndique per gyrum habet, (secundùm quas Processiones peraguntur) quæ ambulationem, versus Occasum tantùm, superimpositam sustinêt. Supra ipsum Dominicum Sepulchrum, tholus circularis, dimidia tantùm parte testudinatus, consurgit; cuius reliquum trabium contignationes perficiunt, & fenestram vnam circularem, quæ lumen copiosum præbet, ad instar illius, quæ Romæ apud S. Mariam Rotundam conspicitur. Pluuia in partibus illis rarior; vnde minus ædificijs periculi: maximè quòd sacri Sepulchri Capella, superiùs vndique sit marmore constrata, parietes quoque exteriores cinerei marmoris itidem tabulis, quæ columnis Porphyreticis

distinguuntur, conuestiti. Tholus, vt Ecclesia tota, habet tectum plumbeis laminis obductum.

Ingressus in Ecclesiam est in medio, Meridiem versus. Ad dextram sunt sepulturæ Regum Galliæ in Capella Græcorum. E regione portæ est positus lapis, in quo Christus è cruce depositus, fuit aromatibus inunctus. Paulò vlteriùs ad duas columnas, sunt duæ sepulturæ aliæ, prope parietem Sanctuarij Ruthenorum (de quo inferiùs) filiorum vel propinquorum aliquorum, prædictorum Regum. Nam Epitaphia vetustate consumpta legi non possunt. Ad læuam, in ingressu sub curritorio inter duas columnas habent Abyssini paruum Oratorium, tabulis ab Ecclesia distinctum. Nam quælibet natio, vltra Sanctuarium, locum videlicet in quo Christus aliquid est passus, Oratorium etiam particulare habet, in quo deuotionem ritu suo peragere consueuit. Prope Abyssinos ibidem inferiùs locum habent Syriani siue Maronitæ, qui sunt Arabes baptizati, in quo sunt sepulturæ familiæ Ioseph ab Arimathia. Reliqua pars inferior est Catholicorum, qui etiam curritorium superius olim totum possidebant. Sed cùm Georgiani totum Caluariæ montem pro Sanctuario obtinerent, nec locum tamen Oratorij in templo haberent, Armeni itidem, Sanctuarium possidentes, de quo superiùs dictum, orationis locum in templo non facilè reperirent; Armeni cum Georgianis, pecunia numerata, Georgiani viciſſim cum Catholicis ita conuenerunt, vt dimidia montis Caluariæ parte, in qua Christus cruci affigebatur, illis cederent, Catholici verò ad tertiam curritorij superioris partem, quæ supra Abyssinos & Syrianos est, Georgianos admitterent. In hoc itaque curritorio Georgiani & Armeni sua Oratoria habent, ad quæ per gradus ligneos, separatim è templo fit ascensus. Catholicis verò benè succeſſit commutatio. Nam dimidium Caluariæ montem, & duas curritorij superioris partes obtinent,

Maronitæ qui.

quod

quod satis amplum & spatiosum est: & licet illis minùs necessarium sit, retinetur tamen ab illis. Hæc permutatio iam pridem facta est, quo tempore Ierosolyma in potestate Sultanorum Ægyptiorum fuit.

Cophti, quos etiam Chaldæos vocant, cùm nullum Sanctuarium habeant, & Oratorio quoque destituantur, retro Capellam sancti Sepulchri, è regione Syrianorum, qui sunt sub curritorio, fabricarunt sibi exiguum Sacellum, sacro Sepulchro contiguum, vbi deuotionem suam peragunt. A quo tempore, & qua ratione locum hunc obtinuerint, nihil certi intelligere potui. Ad Septemtrionem eiusdem partis, est nostra Catholicorum Capella, de Apparitione denominata, in qua diuina faciunt officia: cui antiquitus mansiones nonnullæ, prope ipsam Ecclesiam, sunt adiunctæ. Habentur hîc non pauca cubicula, & habitationes non incommodæ. Est quoque culina mediocris, Refectorium adiunctum habens, vbi comedebamus. Est & impluuium paruum. Non procul à Refectorio sunt scalæ, quibus ad curritorium templi superius ascenditur. Exeuntibus è Capella prædicta Apparitionis, prope portam occurrit altare, vt antè dictum est, S. Mariæ Magdalenæ. Inde per ordinem deuenitur ad Sanctuaria, de quibus anteà quoque dictum, & ad scalam, qua descenditur ad Capellam S. Helenæ, vltra quam ad locum Inuentionis S. Crucis. Posteà sequitur Abyssinorum Sanctuarium, in quo truncus lapideus Christi spinis coronati asseruatur. Hinc per scalam, vt retuli superiùs, ascenditur ad Caluariæ montem, qui meridianum quadranguli parietem attingit. Græci habent suum Oratorium in medio templi, inter columnas muro depresso cinctum; quod magnitudine nationum aliarum Oratoria superat. Ad Orientem, portam principalem; ad Occidentem, sanctum Sepulchrum prospicit, vnde aditum habet: cui altare paruum, quod etiam illorum est, non tamen ornatum, adhæret. Fe-

neſtræ in templo nullæ, præter vnicam illam rotundam, in tholo, ſupra Capellam ſancti Sepulchri, apertam: quæ ſufficiens lumen admittit, quod etiam ad Oratoria deriuatur; quamuis eius vſus perexiguus, quòd luminaribus vndique illuſtrentur. Eſt tamen in monte Caluariæ, verſus Meridiem oblonga feneſtra, plateam reſpiciens, clathris ferreis benè munita. In noſtra quoque Catholicorum Capella, ad Orientem feneſtra patet, clathris itidem obducta, quæ lumen illi copioſum præbet. Pauimentum templi lapide quadrato eleganti & magno eſt ſtratum. Ex quibus omnibus facilè apparet, quanta diligentia & ſumptu, ad perpetuitatem, ſancta illa Helena Auguſta, hæc ſacrorum locorum ædificia perducere voluerit. Si quis igitur hæc legendo, aliquid à me prætermiſſum animaduerterit, ignoſcere & emendare debebit. Nec enim Architecturæ membra ad amuſſim obſeruare; nec nationum omnium, quæ in templo verſantur, exactè meminiſſe potui, cùm ter tantùm, vt dixi, Baſilicam fuerim ingreſſus, ab hora Veſperarum ad ſequentis diei meridiem tantùm ibidem commoratus: vt mirum videri non debeat, ſi propter breuitatem temporis, ſingula diligentiùs veſtigare non licuit; præcipuè cùm ſacratiſſimus hic locus illud proprium habeat, vt maximum quemque peccatorem, qualem me eſſe profiteor, ſingulari quodam modo, ſenſibus in ſtuporem verſis, ad gratias Deo perſoluendas excitet, pro collatis innumerabilibus in genus humanum beneficijs; ſimul etiam ad contemplandum, qua ratione hoc in loco, per acerbiſſimos cruciatus & mortis dolores, Chriſtus Saluator noſtram ſalutem operari dignatus fuerit, vehementer inducat & inflammet.

Cùm itaque die octaua Iulij è templo egreſſi, in monaſterio prandium ſumpſiſſemus; quòd poſtridie nobis erat abeundum, ad Cadium perreximus. Vidimus in platea vltra viginti Turcas, poſt meridiem in ardenti ſole ſedentes:

quibus

quibus vnus, ad eum planè modum, quo apud nos equis emitti solet, sanguinem minuebat. Nam ferro venæ appositio, idem non leui, bacilli crassioris, ictu percutiebat, atque ita non absque aliquo doloris, vt apparebat, sensu, sanguis in terram defluebat. Nõnulli vulnus panniculo obligabant; quidam, digito tantùm vulneri appositio, discedebant. Postquam ad Cadium accessimus illi valedicturi, vt nobis Ianissarum adiungeret, petiuimus. Obtulimus illi duos Cecchinos monetæ, ex quibus duos tantùm Saynos accepit, reliquum nobis restituit. Nam Cadius hic quamuis Turca, vir tamen bonus, & ab auaritiæ vitio, quod Turcis innatum est, longè remotus fuit. Attribuit ille nobis Ianissarum, cum quo statim iuimus ad Portam speciosam, de qua Actorum 3. Est magna & cumprimis alta, ad quam per gradus aliquot ascenditur: quos nobis quoque conscendere permissum, sed limen transcendere vetitum fuit, eò quòd area templi Salomonis immineat. Quod cùm propiùs intueri magnopere cupiuissem, ingressi sumus Portam minorem, ad dextram in viculum, qui proximè ad templum ducit, & aream angustiorem, vix quadraginta vlnarum interiectu, oppositam habet. Hinc, quòd è regione porta sit, patet optimè prospectus in ipsum templum: quod elegans & cumprimis lucidum esse apparet. Lampades plurimas intus accensas habet. Cùm ad portam prædictam stantes introspiceremus, Turcæ subridentes, per interpretem nobis renuntiari iusserunt, vt aream ingrederemur, quasi innuentes, quòd statim ad effectum legis contra Christianos latæ pœnam essent deducturi. Nam cùm omnes Turcarum Moschæas Christianis ingredi sit prohibitum, vt superiùs attigimus, hîc ne in aream quidem descendere permittuntur. Et in alias quidem Moschæas, si Christianum ingredi contigerit, vbi Mahometismum suscipere detrectauerit, sex millibus Cecchinorum vitam redimere potest. Hîc verò, qui in

Porta speciosa.

Templum Salomonis Christianis ingredi nefas.

aream tantùm pedem intulerit, aut circumcidi, aut mori neceſſariò debet. Ita enim Turcæ perſuaſum habent, quòd non ſolùm templum, ſed area quoque templi, priuilegio Salomoni diuinitus conceſſo gaudeat, quo Deus ſe omnem, qui in loco hoc, pro quacumque re ſupplicauerit, exauditurum promiſit. Poſſet, inquiunt Turcæ, Chriſtianus huc ingrediens Deum orare, vt Turcis exturbatis, iterùm Chriſtiani loca hæc obtineant: quem ſic orantem, Deus exaudiret proculdubiò. In tanta iſti miſeri cæcitate verſantur! Quibus cùm à noſtris obijcitur, cur illi cùm in loco priuilegiato orent, à Deo non impetrant, vt Chriſtiani penitus intereant; ſtatim obmuteſcunt, vel caput concutiunt. Alij, talia poſtulari non debere, reſpondent. Qui memoria repetunt quibus laboribus, & quanta ſolicitudine Chriſtus Dominus, Iudæorum ſalutem, eos in templo Salomonis inſtruendo, procurauerit: ij recitando in hoc loco Orationem Dominicam cum Salutatione Angelica, lucrantur Indulgentiam plenariam. Inde procedentes verſus palatium Pilati, per Viam doloroſam, reuerſi ſumus ad monaſterium in ipſo Solis occaſu.

Intereà mulis & iumentis conductis, ad craſtinam profectionem neceſſaria præparabamus. Et quoniam duabus hebdomadis Ieroſolymis manſi, diebus etiam ijs computatis, quibus in Bethlehem & apud Iordanem fui, manſioque hæc mea in tempus illud inciderat, quo longiſſimi ſolent eſſe dies, quærebam, num tam hieme quàm æſtate ſemper Ieroſolymis ſint æquales duodecim horarum dies ac noctes, prout Chriſtus Dominus, Ioan. 11. cap. atteſtatur. Cumque nullum hîc, ne in monaſterio quidem habeatur horologium, difficilè potui rem hanc obſeruare. Quantum tamen ex horologio ſolari, & clepſydra monaſterij colligere licuit, conſtat noctem non fuiſſe breuiorem, ab occaſu ad ortum Solis computando, decem horis cum dimidia: quod itidem & monachi affirmabant. Vnde

Ieroſolymis num æquales diei & noctis horæ.

certum

certum est, Ierosolymis esse variationem dierum atque noctium, propter varium motũ Solis, qui supra Horizontem modò longius, modò breuius curriculum facit. Sed quod Veritas dicit in Euangelio: *Nónne duodecim sunt horæ diei?* hoc fortasse vsu antiquorum dicit. Antiquitus enim Iudæi, Romani, Ægyptij (vt ex Plinio & Macrobio patet) singulos dies noctesque in horas duodecim distribuebant, quæ modò essent longiores, modò breuiores, modò æquales pro varietate dierum atque noctium: qua de re Theologi rectiùs iudicabunt.

Hîc de Chamæleonte, animali obseruatione dignissimo, aliquid dicamus, occasio facit. Tres enim ibidem in monasterio vidimus, qui in oleæ arboribus, quæ ibi sunt aliquot, asseruabantur. Figuram & magnitudinem habet lacertæ, non mordet tamen, cùm nec os habeat, nec cibo vel potu, sed aëris tantùm alimento sustentetur. Foramen tamen exiguum, magnitudine parui piperis habet, quo aërem admittit. Caret omni veneno. Motus illi tardior, adeò, vt totius diei decursu, vix vnius cubiti spatium reptando emetiatur: & manui impositus (nec enim in attrectando horrori est) vix sese moueat, donec deponatur. Ex arbore numquam desilit. Maculæ per corpus rariores nigricant. Colorem subinde mutat, redditque eum, quem proximè attingit, præter rubrum & flauum: quod sæpiùs experiri placuit. Maculæ tamen nigræ non mutantur, nisi pellis ipsa. Oculos prominentes, rotundos & hilares habet: quorum altero sursum, altero deorsum, non minùs antè quàm retrò, vno eodemque momento, simul intueri potest. Colori alicui superimpositus, quando diuersus alius color illi ex parte superiori opponitur, vtrumque simul aspicit: & in quem intuitum firmiùs defixerit, eum assumere incipit, mora quasi vnius Orationis Dominicæ interposita, totusque in eum iam notabiliter mutatur. Collocaui illum supra colorem album, viridem, cæruleum,

Chamæleontis natura.

leum, nigrum; omnes recipit. Supra rubrum collocatus, manſit immutabilis. Flauum ad manus non habebam, ſed nec hunc aſſumere dicitur. Aluum numquam purgat, cùm ſit clauſus vndique, nec cibo potúve vtatur.

Die nona menſis Iulij, Miſſa manè audita, & prandio ſumpto, monachis valediximus, & per portam Piſcium egreſſi, arma nobis adferri curauimus, quæ apud Cadium depoſueramus. Et reſtituta ſunt quidem nobis, ſed malè tractata, & acie diminuta. Quarta igitur ante Solis occaſum hora, diſceſſimus Ieroſolymis, & confecta quarta milliaris parte, habuimus ad ſiniſtram montem, in quo templi ruinæ extant, vbi Samuelis Prophetæ ſepulchrum fuiſſe dicebatur, cuius nomen etiam hactenus retinet. Emenſo deinde magno milliari per aſcenſum montis, ad dextrum latus, dimidio circiter milliari oſtendebatur nobis alius mons, ad cuius radices caſtellum Emaus erat poſitum: quò nulla ratione peruenire potuimus propter Arabes, quorum quingenti equites eò aquatum venerant, quibus loca propter aquas & paſcua mutare perfamiliare eſt. Qui Emaunta viderunt, dicunt, ab annis aliquot propter Arabum incurſiones, planè deſolatum eſſe. Vix decem ædiculæ à longè conſpiciuntur. Fuerunt nobis obuij aliquot equites Æthiopes, vt apparebat, prædones: qui cùm Ianiſſarum noſtrum agnouiſſent, liberos nos abire permiſerunt: quorum vnus cùm ſacculum ſellæ mei equi alligatum attrectaſſet, & intus aliquot induſia repoſita vidiſſet, nihil ampliùs attentans diſceſſit.

9.

Samuelis ſepulchrum.

Emaus.

Vallis Terebinthi. 1. Reg. 7.

Mille alijs paſſibus confectis, peruenimus ad vallem Terebinthi, in qua Dauid Goliath interfecit. Ea longa ſatis eſt, ſed anguſta. Pontem habet paruum propter aquarum decurſus, quæ nullæ tunc ibi aderant. Solent tamen, vbi pluuiæ, quæ ibi ſunt rariores, deciderint, aliquantulùm exundare. Poſt tranſitum pontis ad dextram, eſt quædam Turcarum villa, dimidio ab hoc ponte milliari.

Sole

Sole iam ad occasum vergente, peruenimus ad Ecclesiam S. Ieremiæ, quæ adiunctum quondam habebat monasterium: quod totum ferè dirutum est, ipsa alioquin satis integra. Ad iactum lapidis sub monte, est fons gelidus & copiosus: quem Christiani Arabes à beato Iob ferunt primùm adinuentum, cuius etiam ædes dirutas ad manum sinistram ostendunt: qua de re iudicent Theologi, quorum nonnulli Iobum Terram sanctam negant inhabitasse. Reperimus hîc ducentos equites Arabes, qui ab illis, qui erant in Emaus, secesserant, quòd illis malè cum Turcis, villas illas incolentibus, conueniebat: quia tributum, quod Arabes, vt anteà dictum est, è villis Turcarum exigunt, dependere nolebant. Hac ipsa die interemerunt aliquot rusticos Turcas. Cùm nox immineret, coacti sumus ibidem in templo desolato quiescere. Noster Sabadinus Æthiops (qui, vt dictum est, cum Caramusano sua, ad nos deducendos aduenerat) cùm parùm fideret Arabibus, cum quodam illorum antesignano, homine corporis proceritate & elegantia conspicuo, conuenit, vt circa nos per noctem esset in excubijs. Longos hi & mirabiles inter se tractatus habebant. Nam cùm Sabadinus aliquot ei Maydinos dedisset, ille acceptos in terram proijciebat: quos cùm è terra sublatos, iterùm Sabadinus illi ingereret, & ille plusquam decies excuteret, tandem Sabadinus vnum panem, duo oua cocta, & assatam gallinam illi adiecit: in quibus acquieuit, nisi quòd vinum quoque mirum in modum appetebat; à quo etiamsi moriendum illis sit, barbari abstinere non possunt. Sed eo tunc nos ipsi non abundabamus. Sic demum ille cum viginti socijs in statione circa nos, noctem insomnem fideliter duxit.

Ecclesia & Monasterium S. Ieremiæ.

Iobi fons & domus.

10. Manè in ipso diluculo inde discedentes, die decima Iulij, cùm ad vnum & dimidium milliare progressi essemus, incidimus in Arabes qui camelorum multitudinem propellebant. Inter hos erat vnus, cum quo noster Æthiops

ex Rama, qui nobis mulos locauerat, inimicitias apertas gerebat. Itaque se inuicem adorti, sagittas hinc inde iaciebant: vnde aliquot vulnerati remanserunt: ipse quoque noster in manu sinistra vulnus retulit. Ex aduersarijs vnus per ventrem dissectus, proculdubiò non superuixit. Cùm interrogarem, num percussor pœnas daturus esset, responsum fuit, nihil referre, si vulneratus moreretur. Nam occisorem, quicumque voluerit, poterit impunè è medio vicissim tollere.

Montium altitudine superata, excepit nos perampla planities, in qua ad duorum milliarium distantiam Rama sese nobis ostentabat. Ad sinistram in monte exstant ruinæ castri, quod Castrum boni latronis vocatur: & erat patria illius latronis, qui ad dextram Christi in Cruce pendentis fuit crucifixus. In ipsa verò planitie ad partem dextram prope viam publicam, est Ecclesia propemodum integra, quæ Machabæorum dicitur, quos eo loco ferunt sepultos.

Castrum boni latronis.

Machabæorum sepultura.

RAMA. Peruenimus deinde circa meridiem Ramam; quam Stephanus Raguſinus vult esse Arimathiam, illius Iosephi patriam, qui Saluatorem de Cruce depositum sepeliuit. Apparet fuisse quondam magnam & elegantem ciuitatem: nunc tota est diruta. Incolas habet pessimos Æthiopes, Christianorum hostes infensissimos. Diuertimus ad monasterium dirutum, in quo solent hospitium habere peregrini. Sunt hîc quatuor Capellæ, quarum vna Nicodemi, qui ad Christum noctu accedebat, & eumdem cum Iosepho aromatibus condîtum sepulturæ tradidit. Hic cùm posteà factus esset Christi discipulus, eo in loco habitasse, & imaginem Christi crucifixi è ligno sculpsisse (quæ nunc religiosè asseruatur in Luca Italiæ ciuitate, in Ecclesia Cathedrali) memoratur: qua de re Stephanus Raguſinus in suo libro pluribus tractat. Noctu volebant nos Æthiopes adoriri, sed vbi nos vigilare animad-

Nicodemi mansio.

Crucifixi imago Lucensis.

animaduerterunt, re intentata discesserunt. Periculosus hîc peregrinis transitus.

Reperimus ibidem Ianissaros aliquot: inter quos Mahometes quidam, qui nobiscum Tripoli venerat, homo nequam & sceleratus, Præfectum accessit, illiqúe persuadere cœpit, vt nos detineret, quandoquidem non adeò pauperes essemus, vt videbamur, sed pecunia cumprimis abundaremus. Et nisi Sabadinus Æthiops noster impediuisset, in magnas proculdubiò difficultates incidissemus. Dedimus tamen Præfecto decem Cecchinos: qui ad priorem, quem Ierosolymis acceperamus, alterum nobis Ianissarum, securitatis causa adiunxit.

11. Manè cùm discessuri in procinctu essemus, Ianissarus noster Ierosolymitanus, comitari nos vlteriùs renuebat, volens vt illi plus aliquid numeraremus. Nam licet in præsentia Cadij cum eo conuenissemus, vt numeratis illi quatuor Cecchinis vsque ad Ioppen nos deduceret; tamen vt moris est Turcarum in pactis auctionem semper facere (quod in omnibus alijs itidem sumus experti) progredi nulla ratione voluit, nisi illi pro duobus hisce milliaribus, quæ Ramam ab Ioppe diuidunt, duos Cecchinos superadderemus. Ianissarus quoque in Rama nobis additus, nisi prior ille nobiscum veniret, nos comitari omninò nolebat. Nouum itaque cum illis pactum nos inire oportebat: ea maximè de causa, quòd Ianissarus ille Mahometes nequam cum alijs complicibus, nobis in itinere manus inijcere constituerat; de quo nos Sabadinus noster præmonuit. Post multas igitur concertationes, dedimus tandem illis pecuniam: quam facilè profundere in partibus illis, cumprimis periculosum est. Nam qui liberaliùs nummos erogat, illi Turcæ spe lucri magis insidiantur.

Peruenimus tandem Ioppen manè, itinere satis commodo. Ciuitas ea in Actibus Apostolorum celebrata. Nam hîc diuus Petrus discipulam Tabitham mortuam *Ioppe.* Actor. 9. & 10.

ſuſcitauit;& huc,pro illo accerſendo, Cornelius centurio, Cæſareâ viros domeſticos ſuos miſit. Fuit vrbs hæc olim in monte poſita; nunc tota diruta, excepta turri vnica, quam vigiles obtinent. Ad littus maris ſunt aliquot vetuſti fornices, in quos diuertimus. Reperimus hîc Sabadini noſtri Caramuſanum in portu, qui anguſtus eſt, nec niſi minorum nauigiorum capax. Quamuis ventus ſecundus eſſet, non potuimus tamen hoc ipſo die ſoluere, quòd Lyddæ
Cap.9. (de qua in Actis, quam Rama diſcedentes ad dextram conſpiciebamus) illi Turcæ eſſent, qui res peregrinorum excutiunt, & an merces aliquas abducere velint, explorant. In craſtinum itaque nauigationem diſtulimus. Interèà manè duo minora nauigia appulerunt: quæ Cairo per Nilum Damiatam, Damiata verò huc mari delata fuerunt. In eorum altero tres erant Itali, vnus videlicet Epiſcopus cum duobus famulis,& duo monachi Franciſcani, qui Ieroſolymam tendebant. Epiſcopus hic dignitatis nomen coram nobis celabat, quòd verebatur, ne palàm fieret,eum Ieroſolymis anteà fuiſſe, & inde Ægyptum, & montem Sinai peragraſſe. Ramam is mulos conducebat; vbi Carauanam expectare debebat, quę Gaza Damaſcum veniebat; vt Damaſco Aleppum ſiue Apamæam,inde verò Conſtantinopolim terreſtri itinere perueniret. Dum res ſuas è naui exponeret, ſuperuenerunt Lyddâ Turcæ reculas noſtras inſpecturi. Quoniam autem ille Ramam diſcedere feſtinabat, primùm ſarcinas Epiſcopi aperuerũt, in quibus res pulcherrimæ, quas Ægypto aſportarat, repertæ: inter quas arcula ſcriptoria ex concha gemmarum artificiosè laborata,habens repoſitoria eburnea, vaſcula è diuerſis lapidum generibus, eleganter concinnata. Hæc omnia illi Turcæ inſpectores ademerunt: cumque nullum haberet, qui illum aliqua ex parte tueretur ac defenderet, in maximo dolore rerum ablatarum verſabatur: quem cùm omni auxilio deſtitutum in barbarorum regione

gione vidissem, effeci apud Ianissaros meos, vt eius defensionem susciperent: vnde factum est, vt quasi pro me, res illas à Turcis redimere mihi permissum fuerit: quas ego posteà illi clàm restitui: quo nomine magnas mihi egit gratias: & anatem Aegyptiam viuam, viridibus & cæruleis pennis eleganter relucentem, pedibus longioribus insistentem, mihi donauit, quam mecum Tripolim asportaui. Narrauit is mihi plurima de insignioribus Aegypti rebus, & animum ad eas lustrandas vehementer inflammauit. Perlustrabant deinde Turcæ aliam nostram supellectilem: sed cùm præter Cruces arboris Olearum, & calculos precarios Ierosolymis abductos, nihil reperirent, permiserunt nobis vt nostra in nauim imponeremus: in quam, absque eorum permissu, aliquid inferre Christianis non licet.

In Ioppe peregrinis Indulgentia attributa.

Illud hîc etiam prætermittendum non est, Pontifices Maximos huic loco Ioppe singulare quoddam Indulgentiarum priuilegium concessisse. Nam qui peregrinus huc appulerit, (prout rectà Cypro, & ex alijs Christianorum locis, multi adnauigant, sicut & nos, vt antè dictum, facere constitueramus) etiamsi vlteriora Terræ sanctæ loca non visitauerit, littus attingens, easdem Indulgentias consequitur, quas eadem personaliter accedentes adipisci solent. Id autem ea de causa concessum est, quòd propter bella, Arabum latrocinia, pestem, morbos, paupertatem, multi ex peregrinis inde vlteriùs progredi non possunt.

Rebus in Caramusanum illatis, ventus validissimus consurrexit, medius inter Occidentem, Septemtrioni tamen propior, quem Itali *Maestro Tramontana* appellant. Expectauimus igitur, ne portu egressos, ad promontorium impelleret, Ioppe vicinum, vltra quod Cæsarea posita est, de qua sæpiùs in Actis Apostolorum fit mentio: vbi Cornelius centurio à S. Petro fuit baptizatus, & quò san- Actor. 10.

Actor. 25. & 27. ctus Paulus sæpiùs accedebat, ibiq́ue in carcerem coniectus erat, vnde etiam ad martyrium Romam profecturus, nauem conscendit. Sub vesperam ventus subsedit: & nos in littore genuflexi, Oratione Dominica & Salutatione Angelica recitata, Deo gratias egimus, quòd pro immensa sua misericordia, nobis illa sancta loca videre concesserit, quæ sanctissimi pedes illius calcauerunt, quando salutem nostram operabatur; quodq́ue in omnibus periculis, ita nobis præsens adstiterit, & vt pupillam oculi sui custodiuerit, vt ne capillus quidem capitis nobis deperiret. Post oscula igitur Terræ sanctæ data, post occasum Solis Caramusanum conscendimus, qua duobus nauigijs minoribus è portu extracta, anchoræ iactę sunt, propter ventum (qui crepusculo noctis, diebus hisce flare solebat) ne nos ad angulum scopuli, qui longiùs in mare excurrit, allideret. Iactati sumus in anchoris hinc inde ad duas horas. Afflauit posteà prosperior ventus; quo annuente vela dedimus, & ante mediam noctem promontorium illud præteruecti sumus. Huic Caurus, qui *Maestro* Italicè appellatur, ventus nobis percommodus, successit; quo spirante, Cæsaream noctu præterijmus. Diluculo autem promontorium Carmeli, quod à Ioppe viginti circiter milliaribus distat, conspeximus. Posteà vento quidem minùs vehementi, secundo tamen, interdiu ferebamur. Sub vesperam Sidonem ciuitatem in longum extensam, ipso verò crepusculo præteriuimus Tyrum: quæ ciuitas quasi in insula circulari forma sita videtur, & erat anteà, Plinio teste, prę alto mari septingentis passibus diuisa: sed Alexander Magnus cùm eam oppugnaret, lapidibus iniectis, vt continenti iungeretur effecit: qua de re Iosephus scribit. Nocte insequente vento quoque fauorabili vsi, vltra Berytum, quod decimo à Tripoli milliario distat, delati; cùm ventus etiam intensior aspiraret, spatio trium horarum, manè Tripolim Syriæ secundò peruenimus, easdem illas oras sub

Cæsarea.

Sidon & Tyrus.

Lib. 5. cap. 19.

Antiq. lib. 11. cap. 8.

Tripolim secunda vice.

ſub monte Carmelo & Libano poſitas præteruecti, quas anteà ex Ioppe tempeſtate iactati legebamus: quo tempore intra decemocto horas ſexaginta milliaria confeceramus; nunc idem ſpatium vento proſpero per duas noctes, & ſeſquidiem, vix emenſi ſumus. Reperimus Tripoli noſtram illam Venetam nauem, quam in Cypro reliqueramus, cum aliis pluribus, quæ nuper appulerant Venetiis, & ex Lithuania mihi literas attulerant: qua re factum eſt, quandoquidem anteà Tripoli cùm eſſem, plures notos habebam, vt poſt tot pericula & labores ſuperatos, quaſi domeſticam quamdam quietem mihi viderer aſſecutus. Nam cùm vndecima Iunij Tripoli diſceſſiſſemus, vſque ad quartamdecimam Iulij diem, in vili tantùm ſago, quod etiam pallioli vſum peregrinis præbet, cubare nos fuit neceſſe, præterquam quòd Ieroſolymis craſſiores culcitras monachi nobis ſuppeditabant. Erant & dura peregrinorum lectiſternia, quibus vtcumque vſi ſumus.

* Dzaffer hic Baſſa, ille eſt, cui Oſmānus Baſſa, cùm ann. 1585. in Perſide ciuitatem Tauris, olim Ecbatanis, occupaſſet, gubernationem Arcis quam in præſidium exædificarat, cōcrediderat, iuſto exercitu attributo. Ipſe verò deinde diſcedens paulò pòſt dyſenterię morbo correptus interijt.

Cùm in littus deſcendentes, verſus ciuitatem ad læuam pergeremus, vidimus in campo * Dzaffer Baſſam tentoria fixiſſe, cui ad tempus gubernacula Syriæ fuerunt commiſſa: qui ideò ſub tabernaculis agebat, iuxta conſuetudinem receptam, quòd nondum confirmationem adminiſtrationis huius acceperat: quem etiam in Aegyptum proficiſcens ibidem hærentem reliqui. Habebat aliquot equitum centena, è quibus maior pars, pantherarum exuuias brachijs appenſas gerebat. Ingreſſi deinde ciuitatem, ad Caruaſeriam ſeu contubernium Venetorum diuertimus, vbi à notis humaniſſimè ſalutati & excepti ſumus.

Antonius Panormitanus Presbyter Siculus fit Turca.

Caſus hîc miſerabilis accidit, quem referre operæpretium duxi. Presbyter quidam, Antonius Siculus de Panormo, qui oppidi cuiuſdam in diœceſi Mediolanenſi parochus fuiſſe dicebatur, naui Veneta, quam Faleram vocabant, Tripolim peruenit: qui cùm ad monachos Franciſcanos, quod & alij peregrini faciunt, diuertiſſet; manè

die

die Sabbati Missam celebrauit, qua finita statim Guardianum loci adijt, eidemque aperuit, quòd dum Missam de sancto Spiritu celebraret, inspirationem habuit, vt reiecta fide Christiana Mahometismum amplecteretur. Guardianus cùm hæc audiens obstupuisset, adhortari eum cœpit, vt Deum præ oculis haberet, cuius Sacerdos & minister esset. Ille verò egressus, reperit apud portam interpretem; quem, antequam ad altare accederet, per famulum accersiuerat. Ex eadem illa domo (prout nobis famulus idem retulit, qui interpretem, caussam ignorans cur vocaretur, adduxerat) ad Cadium se contulit, vbi mercatores aliquot Italos negotia sua tractantes reperit. Huic renuntiari per interpretem fecit, quòd Sacerdos Christianus esset, cumque hodie Missam de Spiritu sancto perageret, ab illo inspiratus esset, vt religionem Turcicam susciperet. Cadius quæsiuit ab eo, num ebrius esset, & an benè quid acturus esset, deliberauerit. Respondit, se non comediſſe quidem; & benè deliberatum, negotium hoc aggredi. Iussit igitur Cadius cidarim Turcicam adferri, quam capiti illius imposuit: quod cùm fieret, apostata flere cœpit, & quid in corde tunc habuerit, Deus nouit. Manè die Dominico decimaseptima Iulij, cum pompa & triumpho (vt moris est, cùm Christianus Turca fit) per ciuitatem circumducebatur. Præferebantur illi duo viridia Mahometis vexilla; in quorum summitate, loco cuspidum, caudæ equorum marinorum dependebant. Centum Ianissari stipatores latus vtrumque claudebant, bombardis, buccinis, & tympanis concrepantes. Ducebatur autem per plateam nostram, vt infelicis illius triumphum hunc miserabilem spectaremus. Sed nos ex industria fenestras clausimus, per tabularum tamen rimas, omnia quæ fiebant, facilè obseruabamus. Homo erat iuuenis, triginta circiter annos ætatis habens, pilo nigro. Fusci coloris equo, sessor ineptus, vehebatur; non frænum, sed caput sellæ manu lęua apprehendens.

Turcismum Christiani amplectẽtis pompa.

hendens. Duo Ianissari equum ducebant. Veste talari Turcica, ex rubeo Damasceno serico, amictus, iaculum inuersum dextra manu gerebat. Sic plateas ciuitatis, more triumphantis, obequitabat. Ad extremum inter macella, in quodam ergastulo circumcisionem suscepit. Neque enim Turcæ tanta solennitate, quemadmodum Iudæi, in actu circumcisionis vtuntur: sed plerumque in macellis hanc peragunt cęrimoniam, quę miserum illum adeò malè tractauit, vt iam mortuus renuntiaretur. Compertum fuit, hominem hunc, ob facinus quoddam in Parochia perpetratum, à Carolo Cardinali Borromæo, castigari debuisse: quod vt ne fieret, Venetias primùm, deinde conscensa naui in Syriam profugisse. Narrauit posteà nobis Iudæus interpres noster, se eum in stabulo Cadij vidisse. Nam statim, peracta cærimonia, vestibus pretiosis exuitur neophytus: deinde contribuitur ei aliquid à Turcis (prout huic quadraginta Cecchini tantùm dati fuerunt) cuius dimidiam partem Ianissaris & Musicis, qui eum comitati sunt, dare tenetur. Deinde in stabulum mittitur. Postremò stipendium aliquod illi attribuitur. Quærebat is ex Iudæo, Quid, inquit, de me Christiani loquuntur. Respondit is, mirari eos vehementer. Ad hæc ille: Magis, inquit, ego miror quid mecum agatur (nondum enim ex vulnere conualuerat:) sed me tamen illud consolatur, quòd fratrem Constantinopoli, itidem Turcam factum, habeam: ad hunc me conferam, cum quo bona & mala perferre mihi est constitutum.

Turcæ in macello circumciduntur.

18. Totis diebus his quibus Tripoli mansi, quæ intra &
19. 20. extra ciuitatem digna visu occurrebant, diligenter perlu-
21. 22. strabam. Ciuitas domos elegantes habet & balnea. Sub-
23. urbia fontibus, hortis, & pomarijs, omni genere fructuum
24. plenis, abundant: moris itidem arboribus, in quibus vermiculi sericum emittentes nutriuntur: vnde Æthiopes & Syri mercatores ingentes acquirunt diuitias, magnam

Glires Pharaonis Tripoli.

ſerici copiam per Europam vniuerſam ſpargendo. In pomarijs eiuſmodi, ingens eſt glirium multitudo, quos Pharaonis appellant, præſertim in villis: qui maximum damnum, gallos gallinaceos & anſeres ſubinde conſumendo, colonis inferunt. Ad vnum & dimidium milliare à ciuitate profectus ad ortum Solis, inſpexi Moſcheam quamdam ad littus maris poſitam, quæ dulcis aquæ piſcinam ingentem, è muro conſtructam, habet adiunctam, in qua maxima vis diuerſi generis piſcium aſſeruatur. Hîc ſuperſtitio inualuit, eos piſces eſſe ſanctificatos, ob idque capi eos, ſub pœna capitis, interdictum: niſi quòd (ſi rectè memini) ſemel vel bis in anno Turcarum ſacrificuli, paucos aliquos capere, illisque veſci poſſunt. Præbetur illis alimentum ſemper; & quædam ſuperſtitionum nugæ per vanos homines exercentur.

Piſces ſanctificati non comeſtibiles.

Eſt ibidem iuxta mare turris ex lapide quadrato altiſſima, cum inſignibus Nobilis cuiuſdam Veneti, qui, quòd cum muliere Æthiopiſſa cõcubuiſſet (quod facinus Chriſtianis ibi capitale eſt) non abſque maxima difficultate, vitam eiuſmodi ſubſtructione redemit. Intereà nauis Caramuſana appulit, & cum ea Polona mulier Siekierzecka, cui apud quemdam mercatorem vxoratum, hoſpitium conduci iuſſi: quæ cùm domo in publicum prodire non permitteretur, è feneſtra in Turcas prætereuntes, quorum etiam nonnullos tetigit, lapides iacere cœpit. Vnde parùm abfuit, quin hoſpes in magnas difficultates incideret, quòd ex eius ædibus Turcæ lapidibus fuiſſent impetiti. Quamobrem petiuit eam inde amoueri: & quoniam extra cuſtodiam erat, domo ſtatim profugit, nec niſi poſt triduum, non abſque labore, reperta fuit apud Eccleſiam ſancti Iacobi; quæ licet Græcorum ſit propria, Catholici tamen in ea quoque deuotionem peragere ſolent. Diſtat vno & dimidio milliari à ciuitate Tripolitana. Curaui deinde locum in naui pro ea conduci, in qua res meæ Venetias

tias deportabantur. Vbi valdè anxia, quòd Terram ſanctam viſura non ampliùs eſſet, ter è naui in mare proſilijt, vnde vix, ne præfocaretur, eſt erepta. Cuſtodia deinde diligenter illi adhibita fuit.

25. Venit Tripolim cum quingentis equitibus, totidemque peditibus bombardarijs, Emir Mahomet, potentiſſimus Syriæ Phœnices Regulus, Aethiops albus, filius Menzur Condan Emir, qui erat Sangiacus Lyſtris & in Derben, quarum ciuitatum fit mentio in Actis cap. 16. Emir hic quamuis Mahometanus, corporis tamen ſtipatores habuit Chriſtianos (nempe Gallos illos, quorum ſuperiùs meminimus, qui Druſiani appellantur, & ſunt reliquiæ illorum, qui Terram ſanctam è manibus infidelium recuperauerant: ſed longè à maiorum ſuorum virtute declinauerunt) annos viginti habens, vultu præpingui, & aſpectu terribilis. Eſt autem is idem, cuius antè mentionem fecimus, à quo ſibi Turcæ valdè metuebant, ne cum Aborys famoſiſſimo Arabum prædone vires ſuas coniungeret. Hunc Turcarum Cæſar maximo odio proſequebatur, hanc potiſſimùm ob cauſam. Quidam Sangiacus literas ab Imperatore obtinuerat, vt pater huius Emiri, adminiſtratione dictarum ciuitatum, & portorio Tripolis illi cederet: quod ſumma cum Emiri iniuria coniunctum videbatur; quandoquidem ille, ratione officij & vectigalis huiuſmodi, ingentem pecunię ſummam Cæſari numerauerat, vt quaſi iure acquiſito, dignitates prędictæ, penes familiam & heredes illius perpetuò remanerent. His non obſtantibus, quòd Emirus ſenio confectus eſſet, officijs & dignitate per Sangiacum nouum exutus eſt, ac paulò pòſt mortuus. Filius rei indignitate permotus, iuuenis ferox, decemocto annos vixdum natus, collectis octo millibus ſagittariorum, venit Lyſtram, Sangiacum patris expulſorem, cum magno Turcarum numero interfecit: Lyſtram, Derben, & portorium Tripolis occupauit.

Emir Mahometes Syriæ Phœnices Regulus.

Hoc nomine cùm dies ei à Cæsare fuisset dicta, non comparuit. Iussus ad expeditionem Persicam proficisci, neglexit, & collecta duodecim millium manu, rei exitum sic expectabat. Et mille quidem milites Tripolim secum adduxit; tria millia in arce sua, duobus à Tripoli milliaribus, collocauit; in alio verò munitissimo præsidio, Gazir dicto, quod nauigantes in altissimo monte positum, non procul à Beryto, à longè conspeximus, quatuor vel quinque millia in promptu habuit. Hæc autem omnia ideò comparauerat, quòd sibi à Dzaffer Bassa, qui erat Tripoli, non mediocriter metueret. Insequenti tamen die, matutino tempore, mille præsidiariis stipatus, venit salutatum eumdem Bassam, qui tum recreationis causa extra castra processerat. Eorum congressum vt viderem, in campum excurri. Cùm Bassa cum quadringentis equitibus reueretur, serico rubeo auro intertexto indutus, equo fusco aliquantùm albicanti insidens, Emir cum suorum ala ad partem consistens, mutuam capitis inclinatione salutem dedit & recepit. Deinde Bassa ad tentorium perueniens, equo descendit, militibus ad vnam tentorij partem consistentibus. Emir verò, violaceo serico Damasceno amictus, ex equo fusci coloris, prope ipsum tabernaculum descendit, equitibus ex aduersa parte in longum exporrectis. Pedites plures & expeditiores quàm ipse Bassa habuit. Colloquium ad vnam horam inter eos habitum. Bassa percunctante cur aduersaretur Imperatori, rationem innocentiæ suæ reddere pluribus verbis conabatur. Sic discessum est posteà. Emiro Czaussius Turcicus semper latus dextrum claudebat, quod partibus in illis pro loco inferiori habetur. Czaussius autem hic vectigalis Tripolitani exigendi curam habebat, cuius pars Cæsari debebatur. Emirus duas vxores habuit, cum neutra benè conueniens, homo planè barbarus & vitæ profligatissimæ. A Bassa digressus, certamen suorum, Mauris vsitatum, iaculis

Emiri cum Bassa Dzaffer congressus.

lis hinc inde iaciendis habuit, in quo agilis & optimi ſeſſoris officio, vt apparebat, perfungebatur. Familiares eius magnam conſuetudinem habebant cum Franciſco Teſtaroſſa, qui Venetorum Agentis, vt vocant, munus ibidem ſuſtinebat: & quoniam mercium curam gerebat, Emiro vectigal obtinente, inde ſatis arcta illis familiaritas inerat. Ego quòd in contubernio Venetorum, cui dictus Franciſcus præerat, hoſpitium habebam, vbi frequenter Emiri familiares accedebant, inde didici, quæ & qualia cum Baſſa colloquia habuerit; Chriſtianis enim ad tabernaculum Baſſæ propiùs accedere nefas. In campo redeuntem Emirum præſtolabamur: cuius domeſtici quodam tempore nos in ædes eius introduxerunt, vbi in eius præſentia, ad luminaria Mauri, turpes & inconditos quoſdam ſaltus nudato ferè corpore edebant, quos noſtri circulatores longè decentiùs peragere ſolent. Aderat ibidem & Turca quidam ſchœnobates, qui per funem extentum incedebat, (quod apud Turcas non inuſitatum) & hæc ſimiliaque ſpectacula per triduum proponebat in domo Emiri; qui lauta conuiuia non ſolùm Mauritanorum primoribus, ſed Turcis etiam ipſis maximo ſumptu & ſplendore exhibebat: quę res Baſſam malè cum primis habuit: & vulgò Tripoli ferebatur, Baſſam Imbraimum Ægypti Proregem, mandata à Turcarum Cæſare habuiſſe, vt inde diſcedens, Tripolim ad opprimendum Emirum copias conuerteret, ob eius potentiam valdè Turcis ſuſpectam. Illud quoque paſſim nuntiabatur, Emirum, ſi cauſſam ſuam iure tueri non poſſet, vel interiturum, vel armis aſſumptis, vltima quæque tentandi neceſſitate adactum, quòd non obſcurè præ ſe ferre videbatur, ſeſe ab oppreſſione vindicaturum: quandoquidem & munitiones egregias haberet, & à patre patrimonium ampliſſimum relictum poſſideret. Perſis quidem cladem Turcis inferentibus, mirificè fauebat: vix tamen ludi cum Cæſare Tur-

carum inchoati felicem cataſtrophen illum habiturum multi augurabantur. Ipſe dubiam belli aleam perpendens, ampliſſimis donarijs præparatis, Imbraimi Baſſæ animum modis omnibus ſibi conciliare contendebat.

Nundinæ Tripolitanæ.

Erant eodem tempore Tripoli nundinæ quædam, Turcarum & Mauritanorum frequentia celebratæ: in quibus partim exercitationes ſaltuum, nullius ferè momenti, promiſcuè fiebant; partim etiam fructus varij, quorum ibi ingens copia, pretio diſtrahebantur.

Druſianorũ religio.

Cùm non infrequens hîc mentio fiat Druſianorum, de quibus plura tradunt Hiſtorici, illud nihilominùs adijciendum putaui; etiamſi Chriſtiani ſint, diſſolutam tamen & paganis magis conuenientem vitam ducunt: quorum religio ferè non alia re differt à Turcica, niſi quòd circumciſionem non adhibent. Habent ſuum particularem Prophetam, Iſmam dictum, qui dempta circumciſione, aliam, quod etiam Mahometes fecit, magis licentioſam & turpem ſuperſtitionem condidit, & pro religione ſeruandam introduxit. Multi ex ijs Tripolim & Damaſcum ſæpiùs accurrebãt, qui Scotorum noſtratium more, in vimineis ciſtellis reculas venales exponentium, per vicos oberrabant, coriaceam quamdam ciſtam collo appenſam deferentes: in qua vnum aut alterum ſtanneum ſcyphum, lagunculas coriaceas aqua frigida plenas, duos vel tres pectines, ſetaceam ſcopam purgandis veſtibus aptam, & ſpeculum repoſitum habent. Horum aliqui in Galilæa, vbi nos obuios habebant, potum nobis ſubitò miniſtrabant. Et quoniam Turcæ caput radunt, & barbam nutriunt, hanc illi pectere ſolent; nobis verò qui capitis & barbæ pilos depreſſos habebamus, pectinem non offerebant, niſi ſi fortè quis caput pectere vellet; ſed oblato ſpeculo, vt in id diligentiùs introſpiceremus efflagitabant. Hanc potus, pectinis, & ſpeculi exhibitionem, pro largitione eleëmoſynæ reputant: quam promiſcuè, non minùs

Io. Thomas in Hiſtoria belli Perſici l. 7. narrat, Imbraimum Baſſam, cùm Cairo è gubernatione ſua reuerteretur, mirabili arte quoſdam è primoribus è medio ſuſtuliſſe, nonnullos captiuos abduxiſſe, regionem illorũ deuaſtaſſe, & ingentem Druſianorum numerũ per fraudem trucidaſſe.

Eleëmoſyna Druſianorum.

Tur-

Turcis quàm Christianis, etiam non postulantibus, vltrò obtrudunt. Quærebam ex illis: cùm aquæ potus sitim extinguat, eleëmosynæ loco præberi possit; speculi exhibitio, quanam ratione eleëmosynæ conueniat? Non habebant ad hæc quid responderent. Vnus tamen, cùm Tripolim Ierosolymis redijssemus, qui Mithridaticum apud Ægyptium quemdam Cairi conficiebat, nobis retulit, quòd hunc exhibendi speculi morem ab Aegyptijs acceperunt: qui in conuiuijs, symposijs, recreationibus, ceterisque occasionibus, quibus victus opulentia, cultus corporis, & formæ elegantia maximè procurabatur, exhortationes ad extremum faciebant, vt homines, se mortales esse, vellent recordari. Nunc etiam antiquiores & prudentiores Aegyptij, sceleta, seu ossium humanorum compagines, naturaliter, aut etiam arte ex ligno vel ebore paratas, vnius & medij cubiti longitudine circumferunt, mutuoque ostendentes, vltimi finis inuicem admonent, qui morte superueniente, formæ elegantiam in horrorem conuertit. Cùm siti, inquiunt, laboras, haustu aquæ refocillaris: cùm barbam pectine demulces, ornaris: (quamquam apud Turcas rarior pectinis vsus) cùm speculum inspicis, formam tuam contemplaris, tibique ipsi fortasse complacebis. Intereà statim in mentem tibi veniet, morte hæc omnia commutatum iri, quæ res te humiliorem reddet. Bona satis consideratio, apud barbaros præsertim, & digna, quam & Christiani nostrates præ oculis semper habeant. Sed ad nostra redeamus.

Ægyptiorum sceleta in symposijs exhibita.

Cùm Apamæam, vulgò Aleppum, propter Aborys, qui Carauanas, vt iam dictum est, infestabat, proficisci non possem; nec etiam inde propter exercitus Turcicos, ex Europa in Persiam commeantes, iter tutum Constantinopolim esset; naues præterea Venetæ, & quæ ad oras Christianorum dirigebantur, nondum essent oneratæ; cumque diligentiùs de me, quis essem, inquireretur (quam

rem

rem nonnulli ex Iudæis diuulgauerant) quod maximè cupiebam, Ægyptum perlustrare constitui. Quamobrem nauigium, Dzerma dictum, mihi cõduxi. Id ad nauigationis celeritatem plurimùm confert, sed tempestate superueniente, facilè fluctibus obruitur: quandoquidem tabulatum, vt naues onerariæ vel Caramusani, non habet; sed apertum vndique, iniurijs cæli & maris est expositum. Die itaque 26. Iulij prandio sumpto, accessi ad Cadium, oblatoque honorario, petiui ab illo, vt mihi Ianissarum securitatis causa adiungeret; quod etiam fecit, deditque mihi egregium quemdam, Achmeten nomine, qui linguam Sclauonicam callebat, & fideliter se mihi seruiturum promisit. Posteà nauigationem apparabamus: & rebus meis dispositis, & in nauim Venetam, quæ nos aduexerat, illatis, cubiculo in ea conducto, vnum famulum ibidem reliqui, qui eas custodiret, & in Italiam deportaret: cui etiam P. Laurentium Pacificum cum socio adiunxi: reliquos qui Ierosolymis vnà fuerant, mecum adduxi.

Nauigatio auctoris in Ægyptũ.

Dederam ad te priores ex Salinis literas, nunc alteras, & quidem satis prolixas, ad te mitto. Neque enim vt facilè potes animaduertere, tempus & occasionem scribendi habere potui, præterquam hîc Tripoli, vnde iam in Aegyptum propero. Vale. Datum Tripoli Syriæ XXIX. Iulij, anno Domini M. D. LXXXIII.

EPISTOLA TERTIA.

ARGVMENTVM.

NVNTIAT se venisse in Ægyptum, & prolixè de illa tractat. Quæ Nili natura, ortus, aquatilia, piscandi ratio; quomodo, & quo anni tempore Ægyptum irriget, qua solennitate inundatio fluuij accipiatur, narrat. De incolis docet sub aquis eos diu latere, Dzermas (ita vocatur nauigium quoddam velocissimum) sæpè euertere, mercatores vita & rebus spoliare. De Cairo antiqua & noua multa: quæ illarum amplitudo, qui numerus domorum, Moschæarum, platearũ, culi-

culinarum publicarum: ciues vt viuant, quàm opulenti, quanta inter illos Iudæorum multitudo, aquæ quo pretio venales, quæ hortorum fertilitas, cæli temperies, conſeminationis & meſſis tempora. Hinc de ſtructura & numero Pyramidum, villarum Ægypti copia, arce Cairi, palatio Ioſephi Patriarchæ, puteoque eiuſdem magnifico, Santonum turpitudine, feminarum amictu, antiquorum Ægyptiorum ſepulchris, deque cadauerum arte medicatorum incorruptione, ex quibus Mumia fit, & alijs rebus varijs à ſe cognitis, diſſerit. Prætereà Alexandriam à ſitu, ædificijs, mercatura, portu ſingulari, carcere & martyrio S. Catharinæ, commendat. Adijcit nonnulla de Dromedarijs, & Arabia deſerta. Tandem concludit Epiſtolam narratione grauiſſimi periculi in mari Mediterraneo, dum Alexandria rediret in Cretam: vbi apparitiones varias, Mumiæ proiectionem in mare, prorſuſque ſtupendam erga ſe Dei gratiam commemorat. Habet hæc Epiſtola quo recreet atque erudiat Lectorem.

POST literas ſuperiores ad te datas, die 30. Iulij, hora 23. diſceſſi Tripoli, ſcapha ad naues onerarias, longiùs à ciuitate diſtantes, vectus, vt nonnullas res quę vſui pro Ægyptio itinere futuræ erant, inde aſportarem: quò cùm peruenisſemus, adeò validus inſurrexit ventus, vt ſcapha ad Dzermam progredi non valente, ibidem noctem ducere coactus fuerim. Ceſſante deinde Septemtrionali vento, & rebus neceſſarijs aſſumptis, ad Dzermam perueni, quã in ipſo diluculo conſcendimus: & quoniam multos in ea reperi, qui conſcendere non debebant, quandoquidem pro me tantùm nauigium hoc conduxeram, quod propter ventorum periculum onerari multùm non potuit, nauclerus Arabs eos abegit; atque ita iam lucescente die, Dzermam in altum mare perticis longioribus protruſit: quo tempore à latere ventus validior inter Occidentalem & Septemtrionalem medius, Italicè *Ponente Maeſtro*, conſurrexit: cumque aliter non poſſemus, curſum verſus Cyprum direximus; & intra ſex horarum ſpatium, nullam ampliùs continentem vidimus. Acceperam mecum Tripoli Maurum, Faietan nomine, pro interprete: & Ianiſſarum quoque vnum conduxeram. Eramus

in naui circiter quadraginta. Dies hæc grauis nobis inprimis fuit,& propter ventum validiorem,& propter rudentes, qui ex cortice arboris dactylorum contorti, & aqua marina aspersi, fœtorem reddebant intolerabilem: vnde hac & insequenti die, quilibet nostrûm, strophiolum aceto madefactum naribus perpetuò, etiam inter dormiendum,admouere necesse habuit. Ventus hic tota nocte, & manè superuenientis diei perseuerauit.

AVGVSTVS.

Cyprum secunda vice. Die prima Augusti, manè conspeximus Cyprum, circa meridiem verò præternauigauimus Famaugustam: quam tamen propter maiorem distantiam, exactè non potuimus contemplari. Ad vesperam, cessante vento, prope littus constitimus, vbi paululùm euagati, nauim repetiuimus. Quoniam autem in hac insula, æstate & 2.
hieme, noctu semper à terra ventus nauigia propellit, hac ipsa nocte nauigando longè progressi sumus, & Larnicam appulimus; quo inloco sal, vt anteà dictum est, colligitur. Sed quoniam in terrã descẽdere minùs tutum videbatur, propter Cadium, qui Maslochus erat, & propter Græcos Mahometismum professos,qui priùs etiam dum eò venissemus, nobis negotium facessebant, mansimus in nostra naui Dzerma, & nocte, vento leni flante, sensim nauigationem continuabamus. Manè verò circa meridiem sub- 3.
stitimus in littore ad quamdam Græcorum Ecclesiã, planè desolatam; vbi ad noctem vsque mansimus, cœnamque ibidem sumpsimus. Nocte deinde Dzerma conscensa, vento propitio ferebamur, & manè circa Solis ortum
Lemissum. Lemissum peruenimus; vbi quòd locus securior esset, & multos mercatores Italos notos haberemus,in terram descendentes,diem integram ibidem posuimus,quandoquidem nullus nobis aspiraret ventus. Intereà manè, antequam nos eò adnauigassemus,appulit nauis Caramusana,

cum

cum viginti peregrinis Ierosolymam contendentibus, qui triduò antè Tripoli discesserant: quorum nonnulli cùm ad nos descendissent, cibum vnà sumpsimus. Aderat ibi quoque & Simon Albimontanus Sacerdos Polonus, de quo suo loco dicetur inferiùs. Post occasum nauem conscensuri perreximus. Et quoniam id in Cypro maximè cauetur, ne quis incolarum ab insula discedat, ea de causa ipsemet Vicebassa in littore præsens aderat. Inde Caramusanus cum peregrinis versus Ioppen soluit; nos verò littus legebamus, vsque ad Felis promontorium, quod Itali *Capo delle Gatte* appellant. Illud hîc non prætermittendum: cùm Caramusanus, circa noctis horam primam loco mouisset, & nos eodem vento, nostra Dzerma littus raderemus, noster nauclerus cum quodam socio suo in contentionem deueniens, vlteriùs progredi noluit. Itaque Ianissaro meo iniunxi, moneret nauarchum, ne tempus frustrà tereret: quod cùm ille faceret, & nauta nihilominùs nauem propellere recusaret, ad verba deuentum est, in quibus Ianissarus pugnum illi in caput tam fortiter impegit, vt tiara illius in terram delaberetur, inde securi arrepta, vix certantes ab inuicem auellere potuimus. Nauta se videns inferiorem (magna enim isthic Ianissari gaudent libertate) vela fecit. Sed cùm animaduertissem, vtrimque illos hostilia meditari, ne contentio recrudesceret, pacem inter eos conciliare sum aggressus: à qua cùm vterque initiò vehementer abhorreret, tandem circa noctis medium vix inuicem sunt reconciliati. Res erat visu periucunda, cùm vterque more suo imprecationes faceret, quòd ex toto corde, offensas alteri condonarit. Mira fuit vultus & frontis mutatio, antequam in gratiam redirent.

Simon Albimontanus Presbyter Polonus.

Antequam Cypro discessissem, illud obseruaui, magnam hîc vim lini gossipini vel xylini (vulgò bombycem vocant) passim conseminari: vnde ingentes annui reditus proueniunt. Siquidem naues nullas alias merces, præ-

Cyprus lini gossipini ferax.

ter sal, de quo anteà mentionem fecimus, & gossipium hinc auehunt: vt & illa Tornelliana, qua primò huc delatus appuleram, arena eiecta, per totum fundum gossipio onerata fuit: atque ita Tripolim profecta, partim panno purpureo (scarlatum vocant) diuendito, partim allata pecunia, sericeas, aliasque vltramarinas merces coëmptas, auexit. De ratione porrò conseminandi & colligendi gossipij, quandoquidem nonnulli scripsêre, ego supersedeo: illud tamen adiungo, cùm semel seminatum fuerit, in tertium vsque annum fructus producit; in quorum collectione, vbi sementis grana, quæ sunt grauia, in terram deciderint, absque alia cultura fructus emittunt, minore tamen & sensim decrescente, per annos sequentes, abundantia: donec quarto demum anno seminatio noua redintegretur. Annotandum & hoc obiter, quòd Cyprus alba vina non producit; vt modo contrario, nec Ierosolyma fert rubea. Quòd siquando in Cypro alba, Ierosolymis verò rubra prouenerint, id perquàm exiguum est: & vuę ad comedendum dumtaxat, non autem ad exprimendum sunt aptæ. Rubea tamen Cypria, & alba vina Ierosolymitana bona sunt, nisi quòd adeò styptica, vt etiamsi aqua diluantur, propter astringendi vim, gutturi minùs gratam prębent potionem: rubra dulciora, sed vehementiora sunt. Et quoniam in Cypro cellaria non habentur, adseruari ad futuram vsque vindemiam non possent (alba, præ rubeis, naturâ suâ faciliùs & diutiùs conseruantur) nisi arte subueniatur. Quamobrem vasa, antequam mustum infundatur, gummi cuiusdam specie, quæ picem redolet, suffumigantur: vnde fit, vt odorem picis ingratum vina eiusmodi perpetuò retineant: quem tamen incolæ multum capiti prodesse affirmant, quòd eo vini grauitatem retundi, illudque in suo vigore extra mutationem conseruari, persuasum habeant. Mihi quidem & meis, vina hæc graueolentia videbantur: odoremque illum tam acutum,

Vinorum in Cypro conditorum ratio.

acutum, magis obesse quàm prodesse capiti, crediderim. Vuæ Rhodiæ, quod anteà innui, maiores & sapidiores sunt. An autem vina eosdem suffitus gummatos habeant, ignoro: cùm ea non degustauerim. Fructuum omnis generis Cyprus habet copiam. Melones nullibi maiores me vidisse recordor: vt in longum, ad tres ferè cubiti quadrantes excreuisse videantur. Sunt autem optimi & delicati saporis.

5. Diem totam consumpsimus nauigantes versus dictum Promontorium *Capo delle Gatte*; ventum hinc inde captãdo, quod nauigio huic Dzermæ perquàm familiare est, & celeritati eius ita percommodum, vt vel aduerso vento, non planè directè tamen, vti possit, nisi quòd turbine ingruente, euersionis periculo valdè sit obnoxium. Circa Solis occasum, Promontorium hoc præteriuimus; hora verò noctis secunda, rectà in Ægyptum, Damiatam versus vela direximus, quæ ab inde octuaginta circiter milliaribus distat. *Dzermæ nauigij commoditas.*

6. Manè vix Cyprum videre, meridie verò ne vix quidem licuit intueri. Die hac & nocte ventum habuimus propi-
7. tium. Postridie post exortum Solis, superuenit malacia, siue omnimoda venti cessatio, ita vt necessariò nauis consistere debuerit. A meridie ventus inter Occasum & Septemtrionem flare cœpit, qui diem & noctem insequentem durauit.

8. Die octaua Augusti, circa meridiem credebamus nos Ægyptum aspecturos, sed longior tamen fuit à continente distantia. Duabus deinde horis pòst, ventus vehementior, nobis percommodus consurrexit: itaque hora circiter decimanona terram à longè vidimus: aqua etiam marina turbida videbatur, ex Nili influxu; quem fluuium turbidum, qui irrigat Aegyptum, diuina Scriptura appellat. *Ægyptus.* Ioſ. 13.

Hora circiter vigesimasecunda ingressi sumus Ostia Nili (id extremum est fluuij ab ortu Solis brachium) ad si- *Nili Ostia.*

nistram maris & fluminis habentes insigne quadrilaterum propugnaculum Damiatæ, turribus excelsis, & muro ex lapide quadrato egregiè munitum: quod ducentorum militum præsidio anteà tenebatur, tunc verò propter bellum Persicum, vix viginti præsidiarios habebat. In ingressu Nili, ad dextram vidimus in mari aliquot naues non adeò magnas. Nec enim maiores huc appellere possunt, cùm nullus sit portus, sed statio quædam ad tempus, dum exoneratis illis, in fluuium securitatis causâ attrahantur. Erant sub ipsa ciuitate tres naues Caramusanæ, id est minores, prout reuera sunt dictæ.

Damiatæ propugnaculum. Damiatã olim Caphtor dictam tradit Beniamin; sed quæ etymologia, non explicat.

Ciconiæ Nili. In Nilo nauigantes, ad ripas ingentem vim ciconiarum vidimus, quæ ex nostris partibus eò conuolant, sub hoc ipsum tempus anni, nempe mense Augusto; quo Nilus exundat, & recedens, passim per campos, ex putre fractione maximam serpentum copiam ad earum victum relinquit. Anatum viridium & punicearum, pedibus oblongis insistentium, quarum vnam Episcopus ille in Ioppe, vt diximus, mihi donauerat, maximus itidem ad ripas numerus. Ad læuam, horti plurimi, fructuum feracissimi, præsertim Orizæ, cuius isthic maxima seritur copia ad margines amnis, vbi per brachia sese in mare exonerat. Propugnaculum vno à ciuitate distat milliari, cuius quarta parte peracta, vidimus equos marinos quatuor in flumine, vris nostratibus forma, pilo, & magnitudine persimiles, nisi quòd cornibus carent: Orizæ magna inferunt damna; vnde fossis altioribus horti præcinguntur; nam cùm pedes depressiores hæc habeant animalia, aggeres conscendere non possunt. Hominem in hortis repertum, facilè morsu conficiunt. Explosimus in eos aliquot longiores bombardas, sed an aliquem interfecerimus incertum, cùm animalia sint magna & robusta, quæ non nisi valido maioris alicuius tormenti ictu confici possint. Nonnulli equos hosce marinos, dici volunt Odontotyrannos,

Anates viridis.

Oriza.

Equi marini.

nos,quaſi dente fæuientes,Græci Amphibia vocant,nempe animalia, quæ partim in aquis, partim in terra viuunt. Scribit Cedrenus,animal hoc tantæ magnitudinis eſſe, vt elephantem deuorare poſſit. Sed id parùm veriſimile videtur. Nam licet vnius præ reliquis magnitudinem admirarentur incolæ, qui nobiſcum eadem Dzerma vehebantur,maior tamen elephante non fuit, niſi quòd longitudine illi adæquatur. Cairi cùm eſſem, allatum fuit vnius equi marini, non procul inde interfecti, ingens & viſu cumprimis horridum caput;cuius faucibus diductis, hiatus ad vnius & dimidij cubiti magnitudinem patebat. Vnde dentes notabili itidem magnitudine prominebant.

Odontotyranni, quos Græci vocãt Amphibia.

Hora vigeſima tertia peruenimus Damiatam,olim Peluſium, ab alijs Heliopolim dictã. Nominatur & Oſtium Peluſiacum. Ciuitas eſt hæc Ægypti prima, ſupra Nilum ſitu eleganti poſita,ad dimidium milliare in longitudinem exporrecta. Quoniam hora tardior erat, conſtitimus vbi vectigal deponitur, cuius Iudæi curam gerunt: ſtatimque telonarius ad nos accurrit, & cùm nos mercatores exiſtimaret (pro quibus etiam nos gerebamus propter maiorem ſecuritatem, cùm negotiatores à quibus ampla vectigalia Turcarum Cæſari dependuntur, tutiores in Aegypto eſſe ſoleant) nobiſcum in eadem Dzerma noctem duxit.

Damiata.

Manè ſarcinæ noſtræ excutiebantur, in quibus cùm nihil mercium eſſet, diximus eas nos in Cairo habere, quò contenderemus. Sic dimiſſi, in terram deſcendimus, & ad Viceconſulem Venetum, qui erat Thomas Candiota Græcus, acceſsimus. Diem totam in perluſtranda ciuitate conſumpſimus:ſed ex antiquitatibus nihil viſu dignum occurrebat. Conduximus deinde minorem aliam nauem Dzermam, Cairum vſque: in quam etiam,paulò ante veſperam, res noſtras intulimus, ibidemque dormiui-

mus,

mus;& propter maiorem in Nilo ſecuritatem,duos Ianiſſaros nobis adiunximus.

Sole iam exorto, aduerſo flumine nauigare cœpimus. Quoniam autem circa hoc tempus, Caurus, Italicè *Maeſtro*, flare plerumque ſolet,& Nilus à meridie labitur,velo expanſo proſperè nauigabamus, niſi quòd in reflexu fluminis in terram exponebamur,vbi nautę funibus nauem aliquamdiu trahebant. Ante meridiem præterijmus ad
Ferchin. læuam,Ferchin ciuitatem cumprimis amplam:pro nocte verò venimus ad oppidum quoddam, (relicta ad dextram magna ciuitate Serbin) ibidemque, quòd iam Sol ad occaſum vergeret, quieuimus: vbi diligenter inſpeximus
Clibani, pullos gallinaceos producentes. fornaces ſeu clibanos, in quibus artificiosè pulli gallinacei excluduntur. Sunt autem ex ſtramine forma rotunda contexti, & argilla vndique obliti, in ſuperiore parte feneſtram paruam rotundam habentes,ne Solis radij per directum, oua intus poſita offendere poſſint, quæ facilè cocta redderentur: quandoquidem à ſole tantum caloris terra concipit, vt in meridie vix aliquis, vnius Orationis
Calores Ægypti. Dominicæ recitatæ interuallo, calceis licet indutus, terræ ardorem ſuſtinere, illi inſiſtendo, valeat. Incolæ tamen nudis pedibus incedunt, & à teneris aſſueti,ita plantas callo obductas habent, vt,quod experti ſumus,ictum mallei non magis ſentiant, quàm equi, cùm illis ſoleæ applicantur: adeò vi Solis plantam habent induratam. Fornaces iſtæ oſtiolum habent à Meridie, à Septemtrione foramen, per quod fimo boum vel bubalorum, fornax pro nocte calefit, ne oua lædantur à frigore. Interdiu Sol per limum temperatum calorem clibano ſuppeditat, in cuius pauimento oua diſtinctè collocantur, ne vnum aliud attingat: atque ita facili negotio,abſque gallinarum incubatione, pulli celeriùs excluduntur. In omnibus oppidis & pagis, eiuſmodi fornaces colonorum ædibus ſunt adiunctæ, quarum nonnullæ ea ſunt magnitudine, vt

tria

tria millia ouorum commodè capere possint. Et quoniam de æstu Ægypti mentio incidit, quàm intensus ille sit, vel hinc non obscurè potest intelligi, quòd cùm Damiata soluissemus, & studiosè contemplaremur loca arenosa, (nam vltra decem & ampliùs à mari milliaria, & per totam ferè Ægyptum, inter villas & hortos, & in ipsis pagis, fundus totus arenosus est, qualem dactyliferæ arbores plurimùm amant) videbantur nobis aquæ cuiusdam ardentis speciem præbere, & adeò resplendere, vt materia vitri in fornace accensa, oculorum aciem perstringere solet. Credebamus initiò lacus aliquos ardere: cumque arena solibus excocta valdè sit leuis & fluida, ad quemcumque leuioris venti afflatum ita commouetur, vt quasi fluctus quidam ardentium vndarum, à longè intuentibus, exsurgere videantur.

Ad oppidum igitur prędictum consistentes, vt Damiatæ, & ab ipso nauarcho præmoniti fuimus, tota nocte excubias agere coacti sumus. Aegyptij namque non tantùm in terris furantur, sed cùm sint vrinatores perfectissimi, etiam sub aquis latitantes, & ad Dzermam peruenientes, quidquid arripuerint, in aquam pertrahunt, & auferunt. Non infrequẽter accidit, quòd hominem in sponda nauis cubantem arripuerunt, & demersum vita simul & vestibus spoliarunt. Quòd si plures latrones vniti fuerint, in Dzermas insiliunt, & dormientes interimunt, quòd paulò ante nostrum aduentum euenit, cùm quatuor Galli negotiatores eo modo interierunt, qui Cairo Alexandriam nauigabant. Quamobrem ne quid simile nobis quoque accideret, tota nocte vigilantes, & bombardas in promptu habentes, in fluuium prospectabamus: quod & ipse nauarchus diligenter præstitit. Post noctem mediam loco mouimus; circa meridiem verò, præteriuimus ad læuam oppidum Talcha, quod inter fossas variè deductas collocatum, à latronibus tantùm & deprædatoribus incolitur,

Ægyptij vrinatores, nauigantes deprædãtur.

Talcha prædonum oppidum.

qui nocte per flumen, & quocumque in loco possunt, exercent latrocinia: cumque assiduè hinc inde mercatores commeent, in tanta hominum multitudine, quanta per totam Ægyptum latissimè diffunditur, difficilè periculum potest euitari. Nam per omnia Nili brachia, ab vtraque ripa, per campos ingens hominum, gregum, bubalorum, boum, ouium, caprarum, & vaccarum multitudo vbique conspicitur, quo fit vt prætereuntes in laqueos facilè incurrant. Hac eadem die vidimus ad centum piscatores, qui in aquam demersi, (quę turbida est) manu pisces capiebant: quorũ aliqui tres simul extrahebant, duos manibus, tertium ore retinentes. Pisces erant vnius cubiti longitudine, alosis seu barbochis nostris, vulgò Mientus, non absimiles. Alij salmonibus seu esocibus nostris poterant comparari. Erat & quoddam genus albi piscis magni. Pisces Nilotici sunt pingues & optimi saporis, minùs tamen salubres, eò quòd Nilus fundum limosum non saxosum habeat; cuius nihilominùs aqua salubris est, quòd longo anfractu voluatur, nempe à montibus Lunæ, vbi sumit exordium, vsque dum in mare influit, trecentis septuaginta duobus milliaribus, insuper per vtrumque Tropicum: quo fit vt immensitate caloris, humiditas noxia in ea absumatur. Est autem turbida, vt suprà dictum est; sed in vase posita, per duas horas purgatur: & si per noctẽ steterit, fit instar crystalli limpida, & potui gratissima. Nili naturam, & eius admiranda, quandoquidem Scriptores multi persequuntur, ad eos Lectorem remitto, attingens ea tantùm obiter, quæ ipsemet vidi. Piscatores quoties respirare volunt, caput ex aquis non proferunt; sed ore ducto halitum emittunt. Certum est, illos per totam diem in aquis posse delitescere, & vbi ad summitatem aquæ enatauerint, capite non prolato, respirare: quos cùm sub aquis natantes conspexissemus, iussit nauarchus bombardas explodere, ne Dzermam subnatando euerterent. Circa

Piscatores demersi manu pisces capientes.

Pisces Nilotici sapidi, sed insalubres.

Aqua Nilotica salubris.

Solis

Solis occasum, præteriuimus ad dextram ciuitatem Abuzyr elegantem,& situ longiore conspicuam. Iactis anchoris, nocte in medio fluminis constitimus. Nam ad ripas accedere minùs est tutum: immò & vrinatores iam ad nos collimabant; sed vt nos vigilare animaduerterunt, nihil attentarunt. *Abuzyr Ægypti ciuitas.*

12. Die tota, prospera sumus vsi nauigatione: post occasum Solis, piratæ scapha in nos incursionem fecerunt, & iaculum intorserunt, quod prope Ianissarum concidit. Sed cùm bombardas aliquot explosissemus, profugerunt. Nocte insequenti conabantur nos vrinatores adoriri, sed vbi nos bombardis oblongis, quas maximè timent, armatos vigilare compererunt, ab incepto destiterunt.

13. Quoniam secundus ventus afflabat, hora vigesima conspeximus Pyramides Cairi: quæ licet vltra ciuitatem sint positæ, propter montes tamen & operis sublimitatem, priùs quàm vrbs ipsa aspectui occurrunt. Apparebat & arx ipsa, in monte quoque posita. Iamque è brachijs, in ipsum fluuium Nilum ingressi sumus, qui tanta est latitudine, quantam apud Linczium Austriæ ciuitatem, si duplicaretur, Danubius efficeret. Quatuor autem circiter milliaribus à Cairo, Nilus vnico alueo præterlabitur, posteà verò bifariàm diuiditur, & famosum illud Δ efficit: quinque deinde milliaribus inferiùs, ipsius Deltæ pars vna in quatuor, altera in tria brachia diuiditur, quibus deinde in mare sese exonerat. Hora vigesima tertia tandem peruenimus ad Bulhach, octuaginta à Damiata milliaribus, vbi è Dzerma in terram iam descenditur. Quoniam autem vrbs hæc ipsi Cairo adiacet, operæpretium est, quanta sit eius amplitudo, breuiter attingere. Affirmatur non solùm à Turcis, sed ab ipsis quoque Europæis negotiatoribus qui hîc commorantur, quòd singulis diebus, intra viginti quatuor horas, in portu hoc, vltra decem & aliquot hominum millia hinc inde com- *Nili latitudo.* *Nili Delta.* *Bulhach ciuitas Cairo adiacet.*

meant: quorum nonnulli intrant, nonnulli egrediuntur: quodque per dies singulos tria millia Dzermarum præternauigant: quarum plurimæ sexcentorum doliorum sunt capaces. Ex antiqua quoque Cairo, superiùs posita (de qua paulò pòst) superueniunt eiusdem generis plurima nauigia, quæ ex regionibus Sait, & peramplis Presbyteri Ioannis ditionibus, triticum, cynocephalos, simias, psittacos, diuersa auium, ceterorumque animalium genera, & merces varias deferant. Nam quæ Mauros vendibiles portant, è Barbaria Rossettum, inde per Nilum Cairum deuehuntur: & posteà ad Bulhach exponuntur: quò cùm tardiùs perueniissemus, in Dzerma noctem duximus, vidimusque vix completo dimidiæ horæ spatio, vltra decem naues aduentantes, & recedentes.

CAIRVS. Manè cùm è naui in terram cum duobus meis descendissem, (reliquos enim in Dzerma dum hospitium inueniremus, manere iussi) statim duo Turcæ vnumquemque nostrûm arripuerunt, vt nobis vincula inijcerent: diligenterque scrutabantur, num aliquid reconditarum mercium in sinu vel alibi haberemus, existimantes nos Gallos esse negotiatores, à quibus, vt nobis Turcæ ipsimet referebant, sæpenumerò decipiuntur. Cumque nihil nos habere eiusmodi comperissent, liberè nos abire permiserunt. Intereà dum nobiscum Polonicè colloqueremur, Iudæus telonij præfectus (cuius iussu nos Turcæ corripuerant) cùm idioma nostrum intellexisset, vt longiùs etiam à nobis Turcæ recederent, iniunxit, dicens se quoque populârem nostrum esse, ex Chelmensi Russiæ ciuitate oriundum. Orauit sibi ignosci, quòd nos parum ciuiliter salutasset. Officia sua prolixè nobis detulit, & sæpiùs nos, quamdiu in Cairo versabamur, humaniter visitauit. Conscensis deinde asinis, inter hortos profecti sumus in Ciuitatem ad domum Consulis Veneti Georgij Emo, cui indicauimus, nos peregrè venisse, petiuimusque vt in hospi- 14.

tio

tio conducendo, nos opera ſua vellet adiutos. Obtulit ſe nobis humaniter, & Miſſæ Sacrificium vnà cum eo audiuimus: & quoniam non ita pridem eò aduenerat, nondumque loci rationes planè exploratas habebat, cõſuluit, vt Galliæ Conſulem Paulum Marianum, qui itidem Venetus erat, adiremus. Hic quoniam viginti & aliquot annos in ea vrbe poſuerat, magnum rerum, & Turcicæ Arabicæque linguæ vſum fuit aſſequutus. Reperimus ibidem in eius domo duos Societatis Ieſu Patres, Ioannem Baptiſtam Elianum, qui (vt anteà meminimus) ſacras veſtes attulerat Maronitis Damaſcum, & Patriarchæ in monte Libano, à Gregorio XIII. Pont. Max. tranſmiſſas; & Franciſcum Saſſum, qui quo tempore nos Venetijs ſoluebamus, Alexandriam nauigaturus, ab eodem Gregorio Pontifice mittebatur. Aderant etiam & tres monachi inſtituti S. Franciſci, quòd in ædibus Conſulis huius Capella Catholicorum haberetur. Marianus igitur prędictus, in altera domo ſua, quam è regione dicti Veneti Conſulis habuit, nobis habitationem conceſſit, in quam diuertimus, vnà cum alijs noſtris è Dzerma euocatis. Aggreſſi deinde ſumus perluſtrare ciuitatem, quæ quàm ſit ampla & populoſa, ille tantùm poterit iudicare, qui ſuis eam oculis inſpexerit. Meo ſanè iudicio, triplo magnitudinem Lutetiæ Pariſiorum in Gallijs excedit: non eam tamen elegantiam in ordine & ædificijs habet. Nam noua tantùm Cairus muro præcingitur, vrbs autem vetus & Bulhach ambitu murorum caret. Noua ciuitas habet multa & magnis ſumptibus erecta antiquitus palatia, recentiora verò moderni quoque mercatores Æthiopes non minore ſumptu & elegantia ædificant: quorum vnum inſigne vidimus, quod licet nondum ſit abſolutum, trecentis tamen ducatorum millibus conſtare perhibetur. Mercator eius Dominus bombycina tantùm interula indutus, tiara tectus, incedebat, vix calceos habens: quo habitu ſimiliter

Cairus, olim Babylon, maxima Ægypti ciuitas.

Mercatores Cairi diuites.

& alij diuites Aethiopum mercatores vtuntur. In Aegypto, Turcę vel Magiſtratu perfunguntur, vel milites ſunt. Aegyptij incolæ, vel agros colunt, vel œconomiam domeſticam exercent: Arabes ex latrocinijs viuunt. Aethiopes ferè mercatores ſunt, vt & reliquum in Ciuitate vulgus.

Multi Europæi negotiatores Itali & Galli, qui à viginti & ampliùs annis hanc vrbem incolunt, pro certo affirmant, quòd nos numerare non potuimus, nouæ Ciuitatis ambitu, triginta priuatarum ædium millia contineri. Adiunctis verò ſuburbijs, veteri Ciuitate & Bulhach, minoribus etiam ædiculis, quarum magnus eſt numerus, ad ſummam ducentorum millium aſcendere. Platearum ſunt millia ſedecim. Fana, ſeu elegantiores Moſchææ, quæ turres habent adiunctas, (abſque ijs quæ turribus & tectis carent, quarum non paruus etiam eſt numerus) ſunt ſex millia octingentæ. In vno ſuburbio, quod ſub arce ad Orientem poſitum eſt, ſunt Moſchææ mille & ducentæ. In alio Meridiem verſus, ſeptingentæ. Inter eas maior earum numerus recenſetur, quas in vſum ſepulturæ, principes eius regionis viri, fabricauerant: quarum tamen præcipuæ à Chriſtianis conſtructæ memorantur, antequam regnum hoc in impias Saracenorum manus deueniſſet.

Aedium Cairi numerus.

Moſchææ.

Mercatoris Aethiopis Cairi vita.

De vitæ ſuæ ratione mercatoris, cuius tam ſumptuoſum palatium mirabamur, nobis per interpretem retulit, quòd vxores albas habeat duodecim, Æthiopiſſas verò decem octo, quarum vnãquamque in ſeparato cubiculo aſſeruat, ipſemet claues ab eiſdem retinens. Nam ſi eas congredi contingeret, inuicem ſeſe ſuffocarent. Cibus illis per feneſtram ſubmittitur. Cùm ad aliquam ingreditur, diligenter poſt ſe oſtium claudit, ne ceteræ intus penetrare poſſint, quæ eum proculdubiò opprimerent, manusque ſibi mutuas inferrent. Inde facilè colligere licet, quàm miſera

sera sit paganorum istorum conditio, quos Deus ob peccatum tanta cæcitate percussit, vt non minùs sibi à semetipsis, quàm à brutis animalibus metuant. Cùm diceremus eum hac ratione in maximo periculo perpetuò versari, respondit, ita quidem esse; proptereáque illas in diligenti custodia se asseruare: quas tamen omnes si vellet, interficere posset; cùm eius sint propriæ, nempe ipsius pecunia coëmptæ: licitum autem esse cuilibet, re pretio comparata vti prout voluerit. Multa sunt alia turpia & enormia, quemadmodum emptis hisce mancipijs abutuntur, quæ, pijs auribus parcendo, reticere præstat.

Illud quoque mirabile nec prætermittendum, quanta sit inter ipsos consanguineos diffidentia. Cùm mercator prædictus palatium suum ostendendo nobiscum esset, seruus eius Æthiops nuntiauit filium eius natu maiorem adueniſſe. Egressus itaque nobiscum ad propylæum, filio in impluuio stante, sic vnà colloquebantur. Dixitque nobis, filium ad se numquam intromittere, sed eo modo cum illo colloqui solitum. Quærebamus quánam id de causa faceret; Non fido, inquit, illi: posset enim me interficere. Sed & ipse mecum ita agit. Cum alio quoque eumdem modum colloquendi seruo. Nam cùm vterque vxores & liberos habeat, non me illis committo. Tertius minor natu filius ad eum ingrediendi facultatem habebat: neque tamen in ijsdem secum ædibus habitabat. Filius hic senior, qui ad eum venerat, triginta circiter annos habebat. Illud passim apud Æthiopes obseruatur, vt etiamsi maximè inuicem sanguine sint coniuncti, alter tamen ab altero sibi caueat. Quamobrem in plateis plerumque vnà colloquuntur: raroque ad ædes alter alterum admittit, nisi diligenti adhibita custodia. Mercator hic tres tantùm seruos domi habebat, qui ibidem dormiebant noctu: quos nihilominùs in conclaui dormiturus priùs occludebat, timens ab eis interfici. Manè verò tres artifi-

ces

ces veniebant, qui operas in palatio ædificando illi præstabant.

Bassa Aegypti Imbraimus. Bassa toti Regno Ægypti præest. Meo tempore fuit Imbraim: quem Turcarum Imperator ad triennium eò miserat, vt dotem pro filia, quam eidem desponsauerat, colligeret, ac vndecumque posset corraderet, demptis redditibus officio annexis, qui victum illi, ex ordinarijs hortorum obuentionibus, potissimùm suppeditabant. Habebat tum is equites mille, pedites itidem mille. Quandoque maximâ pompâ, cum copiosissimo comitatu, per ciuitatem proficiscens, se spectandum exhibebat. Czaussios trecentos, propter negotia & missiones necessarias, sibi habuit adiunctos, Sangiacos verò viginti quatuor, qui administrandæ ciuitati præficiebantur, quę in vigintiquatuor itidem regiones est distributa.

Arabum in Cairum incursiones. Quoniam autem nocte dieque circa ciuitatem custodia est vndique posita propter incursiones Arabum, qui etiam me præsente quater ad ipsam ciuitatis portam penetrarunt (vnde magna fuit in vrbe trepidatio) & pluribus Turcarum cæsis incolumes recesserunt: ideò ad repellendos eorum conatus, anteà sex millia equitum totidemque peditum continuò alebantur. Sed propter expeditionem Persicam tria ex equitatu, totidemque ex peditatu millia fuerunt adempta. Equites habent tres Capitaneos, quorum vnus mille præest hastatis: alter totidem sibi subiectos habet Cerkassios (quos reliquias Christianorum, qui quondam Ægyptum incolebant, fuisse memorant, nunc omnes sunt Mahometani:) tertius mille itidem Turcas, leuioris tamen armaturæ, in sua habet potestate. Ad eumdem modum ordines suos habet compositos peditatus quoque: qui totus è Ianissaris constat. Singulis diebus Veneris aliquot Turcarum centena in campum prope Nilum prodeunt: vbi exercitia militaria faciunt, arundines breuiores in se mutuò proijcientes; adeò tamen

Custodia militaris Cairi.

Cerkaßij Christianorum reliquiæ.

teme-

temerè & confusè, vt semper in eiusmodi certaminibus, vnus aut alter, vel ex militibus, vel ex spectatoribus ipsis intereat. Equis enim ad cursum ita frænos relaxant, vt eos deinceps retinere non valeant, atque ita collapsi miserè colliduntur.

Iudæorum Cairi multitudo.

Iudæorum ingens est hîc numerus: à quibus in capita singula census dependitur. Dicebatur meo tempore, mulieribus & pueris quoque recensitis, eorum ad vnum millionem, & sexcenta insuper millia, numerum ascendisse: quod idem ille Iudæus telonio præsidens nobis retulit. Ex vulgo ad septem milliones recensiti feruntur Assan Bassæ tempore, qui certum incolarum numerum nosse cupiebat. Sed is, propter assiduas mutationes, vix iniri potuit.

Oculis ciuitas Cairi inimica.

In tanta hominum multitudine, vix tertia pars est reliqua, quæ visum integrum habeat. Omnes ex oculis passim laborant, propter esum fructuum, quibus vulgus promiscuè viuit, aquæ potu superaddito. Ad hæc cùm regio sit calidissima, cidarim nihilominùs in capite deferunt, quod integumentum graue satis est: vnde è sudore, oculorum inflammatio prouenit: quam platearum puluis, quæ lapidibus stratæ non sunt, vehementer adauget. Octo millia camelorum, aquam è Nilo ostiatim deferunt, duobus vtribus coriaceis, quorum quilibet dolium nostrum commune capit, ad vtrumque latus appensis. Hæc aqua diuenditur à portitoribus, qui eo nomine Bassæ vectigal pendunt: quidquid superfuerit, per plateas ob sedandum puluerem spargunt. Sunt & plures alij cameli, vtpote Sangiacorum, Czaussiorum, & mercatorum, à quibus nihil dependitur, quorum numerus ad octo millia ascendit. Præterea sunt & baiuli, qui in pellibus hircinis aquam venalem in dorso deferunt, aliquid etiam Bassæ contribuentes. Horum ad triginta millia esse perhibentur. Illud quoque cumprimis est admirandum (vnde magnitudo vrbis perpendi potest) quòd cùm Nilus exundat, & qua-

Aquæ venalis Cairi ratio.

tuor vel quinque canalibus per ciuitatem fertur, ac ciſternas omnes copiosè implet, camelorum nihilominùs & hominum aquam deferentium non minuitur numerus: dicuntque, ea ratione licet aliquantum ex reditibus Paſſæ imminuatur, vix tamen damnum ad dimidiam vel etiam tertiam partem aſcendere. Culinarum publicarum ſunt ad viginti millia. Nam locupletiores tantùm & digniores domi cibum procurant: vulgus è culinis viuit, in quibus maxima copia carnis, agninæ præſertim, pullorum, anſerum, maximè verò orizę & paſtillorum in oleo frixorum, venalis exponitur.

Culinarum publicarum Cairi numerus.

Victus Cairi abundantia.

Rerum ad victum pertinentium, magna eſt abundantia. Bubulæ grati ſaporis, copia. Agninæ ingens vis. Anſerum itidem & pullorum gallinaceorum infinitus numerus, qui arte, prout dictum eſt ſuperiùs, in fornaculis excluſi proueniunt. Vinum Aegyptus non habet, in cuius planitie, propter exundationem Nili, vineæ plantari non poſſunt. Colles autẽ vel montes nulli ſunt. Vnam tantùm vineam cuiuſdam Chriſtiani, Natarеam (de qua inferiùs) proficiſcens, vidi. Quamobrem Chriſtiani vt plurimùm vino Cretico vtuntur. Conſules tamen Europæi, ex Italia vinum ſibi adferri curant. Quoniam autem nonnulli tradunt (quod etiam ad frequentiam ciuitatis pertinet) tempore peſtis intra vigintiquatuor horas, hîc viginti hominum millia occubuiſſe, narrauit nobis mercator Venetus Ioannes Leonardus, qui iam vigeſimumquintũ annũ hîc agebat, quòd ipſius tempore tanta peſtis per duas hebdomadas hîc graſſabatur, vt non modò hunc prædictum, ſed maiorem etiam in dies ſingulos, vigintiquator horarum ſpatio, hominum numerum abſumpſerit. Neque id adeò mirum, quandoquidem Turcæ à peſtifera contagione ſibi præcauere non ſolent, aſſerentes, id neceſſariò fieri, diuinæque vindictæ morem gerendum, quæ cuicumque deſtinato eueniat neceſſe eſt. Itaque Chriſtianos irrident,

Peſtis Cairi.

Turcæ peſtilentiam non fugiunt.

qui

qui tamquam diuinæ ordinationi resistentes, luem pestiferam fugiendo declinare nituntur irrito sæpiùs conatu. Defunctos, non vt Christiani pedibus, sed capite obuersos ex ædibus efferunt. Illud etiam notandum, ferè septenis quibusque annis in Aegypto pestem variare, quæ in tertium annum plerumque durat, hoc modo: Primo anno leuiter inchoatur, cùm Sol Libram ingreditur. Maximè autem sæuit in mense Decembri, Ianuario, Februario, & Martio, quo tempore calores sunt remissiores: vbi verò inualuerint, cùm Sol anno insequenti in Leonem ingreditur, statim cessat pestis, & quidem ita, vt si quis apostema pestiferum intus habuerit, & ad horam prædictam ingressus præfati Signi cælestis superuixerit, omne periculum euadat: quæ res magnam sanè habet admirationem. Quamobrem sub illud ipsum tempus mercatores nostri è secessu redeunt, & ædes apertas habent. Quemadmodum enim apud nos frigora, ita hîc calores pestem profligant: duobusque mensibus securè viuitur. Posteaquam verò Sol Libram fuerit ingressus, rursus sensim pestis inchoatur, & durat, prout superiùs dictum est, ad Solis in Leonem ingressum; non tamen adeò violenter sęuit. Tertiò eamdem rationem seruat, nisi quòd de acerbitate magis etiam ac magis remittit. Posteà si contagio non fuerit alicunde illata, quatuor anni subsequentes à peste sunt immunes: quandoque tamen longiores fiunt induciæ: sed plerumque septennio malum recurrit. Qua quidem in re singularem etiam Dei benignitatem intueri & celebrare licet, qui longè minoribus flagellis Christianos, quàm paganos, castigare & affligere solet.

Pestis in Ægypto septimo quoque anno grassatur.

Calores in Ægypto pestem profligant.

Quoniam autem multi multa de Regno hoc, & exundatione Nili, memorię prodiderunt; visum est & mihi, qui sub illud ipsum tempus ibidem præsens interfui, nonnulla breuiter attingere, quæ ipsemet vidi, & quæ à Christianis isthic commorantibus accepi.

Exundatio Nili.

Conducto minore nauigio in Bulhach, aduerso flumine ad vnum milliare, cum mercatoribus locorum peritis nauigauimus versus vrbem antiquam. Inter quam & insulam Mulchias, vbi Bassa ipsemet, de quo paulò pòst, habitat, nobiliora solent edi spectacula. Ciuitas hæc vetus ripæ Nili adiacet, quando is exundat; ceterùm cùm proprio cõtinetur alueo, ad iactum vnius sagittæ ab amne distat. Nilus itaque non casu & fortuitò, quod multi opinantur, per campos exundat; sed per fossas artificiosè deductas, intra aggeres industria paratos diffunditur, & arua humectat: quod hoc ipso tempore maximè viderelicuit; sed & ex ipso villarum situ, quarum in territorio Delta, demptis oppidis, ad viginti millia esse feruntur, non difficulter intelligi potest. 16.

Nilus non casu exundat, sed arte adhibita.

Delta Nili.

Delta autem vocatur locus, vbi primùm bifariàm Nilus finditur, quatuor infra Cairum milliaribus: deinde, cuius meminimus superiùs, vna eius pars in quatuor, altera in tria brachia diuiditur, & ita septem ostijs in mare influit: cuius vltima pars ab ortu Solis, prope Damiatam exoneratur, per quam nauigabamus; altera ad occasum sub Rossetto, quod antiqui Canopicum ostium appellant, & vigintiquinque milliaribus à Damiata distare volunt. Damiata verò à Cairo octuaginta, Cairus à Rossetto sexaginta & aliquot abest milliaribus. Omnem hunc tractum Delta nominant. Circa duo brachia hæc, per quorum vnum aduerso flumine Damiatam, per alterum secundo amne Rossettum versus nauigabam, tanta est ab vtraque parte villarum multitudo, vt earum numerus iniri nulla ratione potuerit. A pago verò ad pagum agger protenditur, qui tempore inundationis, viam transeuntibus præbet. Porrò aggeres hi, diuturnitate temporis veluti colles quidam à natura facti videntur, sed qui diligentiùs consideraverit, arte paratos facilè animaduertet. Nam & à pago ad pagum ducunt: & pagi ipsi tumulis editioribus,

Canopicum Nili ostium.

ceu

ceu collibus quibuſdam in gyrum formatis, incubant. Prętereà prędicti aggeres ordine certo ſunt diſpoſiti. Nam cùm aqua per emiſſaria (multi namque aggeres hæc habent; plures tamen cùm tempus adeſt, perfodiuntur) dimittitur, fluuius eam partem agrorum & camporum occupat, qui ad Cæſarem vel Baſſam pertinent. Quibus adaquatis, alius agger perforatur: & ſic deinceps per ordinem agri aquas excipiunt. Diligens autem in aggeribus hiſce adhibetur cuſtodia, ne quis eos noctu, vbi minimè deberent, aperiat. Sed & poſt aquæ emiſſionem, terra obſtructis cuſtodes apponuntur, ne furtiuè quis eoſdem perfodiat: vnde in aquæ impetu cohibendo, magna futura ſit difficultas. Cùm igitur Nilus exundat, è regione vrbis antiquæ fit inſula, quam Mulchias, vel vt alij, Mechias appellant; quæ dictiones mẽſuram ſignificant, quòd eo in loco, ſtagnante Nilo, menſura aquæ obſeruetur. Ceterùm cùm Nilus ſuo alueo continetur, ad eam inſulam ſicco pede peruenìri poteſt, cùm nulla ſit hîc aqua, prout ſuprà meminimus. In ipſa quoque ciuitate, per Nili canales, cùm aqua non exundat, equites & pedites hinc inde commeant, non minùs quàm per plateas, quę per ciuitatem in longum protenduntur, niſi quòd profundiores ſunt his, quæ aquis non alluuntur. In extremitate dictę inſulę, parte ſuperiori, eſt amplum & elegans palatium, quod Baſſa tunc temporis inhabitabat: vbi etiam eſt Moſchæa, in qua eſt columna ſeu pyramis erecta, quam aqua per ſubterraneos conductus alluit, in qua notatur, quàm celeriter aqua creſcat & decreſcat. Verùm qua ratione id fiat, haud facilè penetrari poteſt: cùm Chriſtianis eò non pateat aditus. Sed nec ipſis ſæcularibus Turcis, præterquam eorum ſacrificulis Santonibus, Baſſæ, & nonnullis ſuperioribus ad id delectis. Volunt enim hunc locum eſſe ſacratum, quem ingredi nemini liceat, quandoquidem inde exundat aqua, cuius beneficio in vniuerſa Prouincia fertilitas

Mulchias vel Mechias locus, menſura Nili.

Palatium Baſſæ Cairi.

Ad pyramidem menſuræ Nili Chriſtiani non admittũtur.

In Ægypto pluuiæ nullæ.

obuenit, cùm præsertim nullæ sint hîc pluuiæ, nisi mense Decembri: quo tempore ter quatérve vna vel altera hora modicè pluit, idque nullo terræ beneficio, prout inferiùs explicabitur. Versus mare, vbi fluuius prope Damiatam vel Rossettum, aut vbi quinque alijs ostijs in pelagum sese exonerat, fit tamen pluuia, prout cùm essem Alexandrię, vigesimaseptima Septembris decidit mediocris: quæ fuit cumprimis expetita; quandoquidem, vt posteà dicemus, aërem noxium purgat & propellit. Cùm igitur in prædicta insula Mulchias, fluuius incipit crescere, statim aliquot centena puerorum in vrbem mittuntur, qui per plateas proclamant, quantum aquæ, & quàm celeriter accrescat. Nam si augetur incunctanter, bonam spem concipiunt incolæ, breui aggeres apertum iri, vnde anni insequentis vbertas colligitur: sin parciùs exuberat, sterilitas expectatur, vnde caritas annonæ & fames præ foribus adesse dignoscitur; cùm paucitas aquæ agros omnes irrigare, & quidem copiosè, quæ res ibi maximè necessaria, non possit. Quòd si vltra modum aquæ copia prouenerit, ex nimia agrorum humectatione, dum seminatur granum frumenti, in terram altiùs demergitur: neque enim multum, nec in omnibus passim locis hîc aratur: sed vbi copiosè Nilus aquam suppeditauit, ibi leui vomere, vix ad trium digitorum profunditatem terra proscinditur. In locis editioribus, aratio perinde ac in hortis adhibetur. Horti enim arantur, & irrigantur assiduè: quam ad rem boues aquam pertrahunt. Vnde bis in anno fructus proueniunt. Nam in locis tantùm montosis, vbi Nilus non penetrat, horti conseruntur. Vnde autem boues aquam extrahunt, sunt altiores putei, è quibus aqua, rotarum ministerio tubulos habentium educta, in ligneos canales effunditur, vnde horti commodè satis adaquantur. Rotas autem ipsas boues circumagunt, quibus oculi pannis velantur, vt etiam nemine præsente, & stimulos addente, assiduè

Prognosticũ abundantiæ ex Nili incremento.

Hortorum fructus bis in anno prouenium in Ægypto.

assiduè rotationis opus exerceant. Stercorationis in agris vsus hîc nullus. Nam & natura sua terræ gleba pinguis est, & messe finita, ingens iumentorum multitudo per campos oberrat, eosque fecundos reddit. Messis porrò sub finem Martij inchoatur, & ante extremos Aprilis dies perficitur. Nam per Maium venti Meridionales spirant, qui fruges in campis repertas excoquerent, & planè ad nihilum redigerent. Cùm isthîc essem, ex indicio mensurę in Mulchias, dicebatur Nilum viginti vnius cubitorum altitudine exundasse: ob idque annum insequentem fertilem futurum: nam amne ad viginti quatuor, quinque, aut sex cubitos excrescente, nimiùm agros madefieri; rursus verò ad cubitos decemnouem non ascendente, aquæ paucitatem accusari. Numquam tamen minùs quàm ad sedecim vlnas excrescit, quo casu certissima fames expectanda. Exundat autem semper in mense Augusto. Dies certa præscribi non potest: sed plerumque circa medium mensis præfati solet id fieri. Vnde autem tanta aquæ copia proueniat, compertum iam est, eam à pluuijs oriri, quę à primis Maij diebus, ad finem vsque mensis Augusti vltra Tropicum Cancri perseuerant. Nilus autem à montibus Lunæ vltra Æquatorem principium ducit: qui à pluuijs huiusmodi, non à spirantibus Etesijs (qui venti, maris vndas fluuio sese exoneranti obijcere deberent, eumdemque regredi & intumescere faciant: quæ omnia esse fabulosa, & contra rationem conficta facilè iudicabit, qui rem subiectam oculis habuerit) inundationis suæ incrementa sumit. Qua de re, locorum illorum Cosmographi, copiosiùs tractant; præsertim cùm veluti apud nos hieme, ita in partibus illis per quatuor menses prædictos, propter pluuias continuas, & ventos vehementiores, omnis nauigatio conquiescat. Dicunt etiam, & omnino ita se res habet, quòd citiùs aquarum hoc profluuium in Ægyptum descenderet, ni magnus Ioannes Presbyter,

Messis in Ægypto mense Martio.

Nili excrescentis ratio.

per

per ditiones ſuas, quas ex hac Aequatoris parte poſſidet, illas auerteret: quas tamen niſi prædictus Abyſſinorum Rex per agros ſuorum irrigandos deduceret, immenſa earum vi, vniuerſa Aegypti regio tantam humiditatem contraheret, quòd terra nullas ampliùs fruges productura cenſeretur. Atque hinc ſingularem Dei prouidentiam & ordinationem conſiderare licet, qui ineffabili ſua ſapientia vniuerſas mundi partes ita regit & diſtinguit, vt quælibet earum rebus ad vitam neceſſarijs abundè ſit inſtructa. Conſeminatio fit plerumque circa feſtum S. Andreæ, cùm mediocriter Nilus exundat: ſed vbi minor eſt aquæ alluuio, maturior fit ſeminatio, ex qua tamen ſatis ampla prouenit vbertas, propter calorem Solis adeò intenſum, vt vel circa finem Februarij meſſis inſtitui poſſit: quo tempore iam prima vice, ex hortis fructus & olera colliguntur. Cùm minùs copiosè Nilus exundat, non omnes campi adaquantur, nec terra, quod ſatis ſit, madefieri poteſt, quæ per æſtatem adeò induratur, vt ſpeciem petræ duriſſimæ repræſentet: cùm verò aqua ſuperabundat, tardiùs terræ ſemina committuntur, ne granum profundiùs demergatur, atque ita meſſis ad Maium menſem protrahatur, & omnia ventis Meridionalibus, vt ſuprà memoratum eſt, exſiccentur. Illud valdè mirum, quòd licet Nilus in magnam altitudinem apud Cairum excreſcat, vbi tamen eius brachia in mare influunt, ferè ſuis alueis ſolitis continetur: & ſi quid accreſcit, id vltra vnius cubiti altitudinem non conſurgit: quod tamen non niſi rarò fit, quandoquidem aqua quæ ripas ſupergreditur, per campos diffunditur; & in terram incumbit: vnde nulla eius, dum in mare illabitur, acceſſio deprehẽdi poteſt. Ad hæc, vt antè dictum eſt, imber hîc prouenire ſolet, qui agros, vbi Nilus non aſcendit, competenter irrigat. Ita hîc vndique diuinæ prouidentiæ diſpenſatio mirabilis elucet.

Dei prouidentia circa fertilitatem prouinciarũ.

Totam itaque noctem per flumen nauigando duximus,

mus, res visu dignas annotando: vbi etiam ingens hominum multitudo, die nocteque in scaphis vagabatur. Nam hoc tempore, in publica omnium lætitia, veluti quædam Liberalia aut Nundinæ apud illos celebrantur, vbi & viliori pretio omnia distrahuntur, & victus abundantia per nauiculas circumfertur.

17. Manè, tertia ab ortu Solis hora, denuò ad Bulhach peruenimus, & scapha egressi, conscensis asinis ciuitatem ingressi sumus.

18. Summo manè, vna ante diem hora, ex hospitio egressi, ad ciuitatem veterem venimus, quæ à noua, quarta milliaris parte, inter hortos semper eundo, distat. Duabus verò horis post exortum Solis, traiecto Nilo, quinta milliaris parte peracta, rectà ad Pyramides peruenimus: de quibus quoniam ab auctoribus multa produntur, ego quæ ipse-met coràm vidi, breuiter hîc annotabo. Constat omnium testimonio, Memphim ciuitatem sacris & prophanis literis celebratam, hîc olim fuisse: nunc præter exiguas quasdam versus Meridiem ruinas, eius nulla apparent vestigia. Steriles arenæ omnia cooperiunt. Pyramides tamen decemseptem adhuc integræ conspiciuntur: quarum duæ sunt maiores, & tertia à Rhodope meretrice constructa. Plinius lib. 36. cap. 12. formam & architecturam eius describit. Est inprimis elegans, vix tamen sexaginta vel septuaginta cubitorum habet altitudinem. Hæ tres Pyramides sunt planè integræ, & inter miracula mundi connumerantur. Duæ maiores stupenda & incredibili sunt magnitudine; altera tamen excellit, quæ tam in altitudine quàm in latitudine & longitudine, trecentos habere cubitos dicitur. Intrinsecus habet artificiosos & peramplos gradus; quibus æquè vt extrinsecus, ad ipsam vsque summitatem ascenditur. Habet & concamerationes, quarum duę maiores, vna super alteram erecta, quæ sepulchra Regum Ægypti continebant. In inferiore extat etiam ho- *Pyramides Memphiticæ.*

die ſepulchrum ſatis magnum, in quo corpus aliquod fuit repoſitum. Porrò à quibus Regibus, quanto ſumptu, quóve modo vel artificio, & num à Iudæis in Ægyptiaca ſeruitute conſtitutis, (quod omnibus ferè auctoribus placet) Pyramidum hæ moles fuerint excitatæ; vel num ijdem Hebræi aggeres & foſſas, quibus Nilus deducitur (apparet enim non natura, ſed arte facta eſſe omnia) perfecerint, Hiſtoricis, qui pleniùs hæc pertractant, iudicandum relinquo. Illud mirari magnopere conuenit, cùm dictæ Pyramides, in ſublimi monte, qui totus è viuo ſaxo conſtat, ſint erectæ, quantum tamen è lapidum genere colligitur, apparet eas non ex eiuſdem rupis lapidibus eſſe concinnatas: nec facilè veſtigari poteſt, vnde aut qua ratione tanta lapidum congeries eò comportari potuerit; quandoquidem etiam Nilus exundans, tribus milliaris partibus, à fabrica remotus procurrit. Sed nec illud penetrari poteſt, cùm quilibet lapidum tres cubitos longus & latus, altus verò plus quàm vno ſit & ſemiſſe, quo labore & artificio, in tam altum montẽ pertrahi, & in ſummitate collocari potuerit. Maxima omnium Pyramis ex lapidibus eiuſmodi ſectis & quadratis, in formam montis cuiuſdam naturalis, ſingulari quodam artificio eſt fabricata: & licet quadrangulari figura ab ima parte ſenſim in cacumen conſurgat, tamen lapides iſti quadrati, ita inæquali ordine compoſiti arte mirabili videntur, vt moles tota montis à natura formati ſpeciem repræſentet. Aſcenſus propter lapidum craſſitiem grauis & laborioſus, ſecurus tamen eſt: & licet paſſu conuenienti vſus fuerim, vix tamen intra vnam & dimidiam horam, Pyramidis ſummitatem aſcendi, vbi planities eſt quadrata, ſpatium decem cubitorum in qualibet parte complectens. Ab hac maxima Pyramide ad ſequentem procedendo, in dextra parte ſunt habitationes in ſaxo viuo eleganter exciſæ, quarum ſuperior pars, inſtar tabulati, quod apud nos trabibus tranſ-

Pyramides, operis Iudæorum excitatæ.

transuersim appositis sustentatur, est formata; nisi quòd trabes prædictæ non quadrata, sed semicirculari forma effinguntur. Parietes eadem quoque similitudine exsculpti. Volunt nonnulli, Regum hæc conclauia fuisse, aut Sacerdotum Ægyptiorum: quandoquidem, vt dicetur inferiùs, Pyramides istæ vel familiarum vel Parochiarum receptabula fuisse existimantur.

Secunda Pyramis paulò priore minor, ad geminum sagittæ iactum, ab illa distat. Ingressus interior in illam non patet, quem tamen occultum esse volunt. Exteriùs ad medium vsque potest ad illam conscendi, cùm ad eumdem modum, vt prior illa, lapides habeat compositos; nisi quòd paulò planiores & minores sunt. A medio verò lapides ita complanati sursum ascendunt, vt vltrà progredi sit impossibile: quod eo consilio maximè factum apparet.

Inde verò tertia eiusdem Pyramidis pars, vsque ad summitatem lapides habet, quasi neglectim & inordinatè collocatos, vt in parte inferiori; ita vt nisi series illa saxorum plana, quæ ad aliquot denos cubitos eleuatur, impediret, conscendi eius summitas, quemadmodum prioris, facilè posset.

Tertia Pyramis, ad latus secundæ versus ciuitatem, est Rhodopes illius, cuius iam meminimus, tota ex lapide dolato, vt conscendi non possit, fabricata: à qua ad ternum arcus iactum magis etiam versus ciuitatem, est caput collo & brachijs prominens, eiusdem meretricis, septem cubitorum altitudine, habitu mirabili ex vno viuoque saxo exsculptum. Volunt nonnulli, quòd ex illa maiore Pyramide, quam introgressi sumus, per cauernam subterraneam in rupe excisam, quam lapidibus obrutam vidimus, angustus & occultus in caput hoc patebat aditus: atque ita inde oracula edita, vulgo gentilium existimante, per ipsum capitis os illa proferri. Circa caput lapides aliquot

Rhodopes Pyramis.

Bellonius Sphinga caput hoc appellat. sit pro arbitrio Lectoris.

sunt erecti, in quibus sacrificia quædam apponebantur. Nunc, quid fuerit, discerni non potest.

Audiui à quibusdam in Cairo, qui se vidisse id affirmabant, ego tamen non vidi, quòd ad Meridiem, vbi extrema pars vrbis Mempheos fuisse perhibetur, sunt duæ statuæ, seu colossi, viginti cubitorum altitudine; vtraque ex vno ac integro lapide, pulcherrimo artificio sculptæ: quarum vna est cuiusdã Pharaonis; altera Reginæ, vxoris fortassis eius. Vtraque collapsa, integra tamen manet. A dictis colossis Pyramides hæ quinque milliaribus nostris distãt. Vnde quanta fuerit vrbis eius amplitudo, colligi potest: quandoquidem & ipsæ Pyramides, prout ex ruinis appareret, vltra quatuor milliaria protenduntur. Quamobrem si ab hac parte Nili tanta fuit ciuitatis magnitudo, & ipsa Cairus, vt nunc est, ex alia parte illi fuit coniuncta; (cùm à magnis Pyramidibus, quæ propiùs imminent ciuitati, vsque ad nouam Cairum magnum vnum & dimidium milliare numeretur) sequitur necessariò, vrbem hanc aliquot millaria in circuitu habuisse, quam medius Nilus intersecabat. Ac veterum quidem omnium auctoritate constat, hîc omnino Memphim fuisse: sed, vt iam dictum est, vtramque ciuitatem simul iunctam, quod ex ruinis non obscurè liquet. Posteà tamen Sultani Ægyptij, demolita Memphi, iuxta diuinas Prophetarum prædictiones, Ezechielis præsertim, in Cairo iuxta hortos palatia exædificare cœperunt, & sensim ciuitatem frequentem reddiderunt.

Colossi Pharaonis.

Mempheos vrbis prisca magnitudo.

Cap. 30.

Beniamin Hebræus in suo Itinerario cur Pyramidum mẽtionem non faciat.

Miror vehementer, Hebræum Beniamin, qui ante quadringentos annos multas Orbis regiones peragrauit, & quæ vidit diligenter annotauit, (quamuis interdum in ijs, quę auditione accepit, à veritate aberret) nullam Pyramidum huiusmodi in suo Itinerario fecisse mentionem, cùm tamen Cairum adierit; quam, vt antiqui moderniq́ue Iudæi solent, Misraim appellat. Adhæret is eorum opinioni,

qui

qui ciuitatem Balbech ab Asmodæo Dæmone constructam affirmant, quòd propter lapidum magnitudinem, tantas ab hominibus substructiones fieri potuisse non credebant. Sed probabiliùs longè de magica fabricatione fabulam Pyramidibus hisce attribuere potuisset, quæ magnitudine lapidum, structuræ difficultate, & sumptuum impensa, Balbechana ædificia longè superant. Quamuis enim illa sint admiranda; Pyramides tamen in omnibus magis admiratione dignæ, quæ non minùs in latitudinem & longitudinem, quàm in altitudinem, etiam æquali dimensione, summo artificio sunt erectæ. Ego quidem existimo, Beniaminum hunc ex industria Pyramidum mentionem prætermisisse, quòd, vt antè dictum est, per Iudæorum in seruitute constitutorum operas, fuisse suscitatas intellexisset. Hanc itaque suæ gentis ignominiam reticere maluit, quàm Pyramidum mentione iniecta, per quosnam fuerint erectæ, non ponere: quandoquidem ab Asmodæo Balbechi fabricatam ciuitatem affirmauit. Et reuerà in tanta mole suscitanda apparet, incredibili seruitute Iudæos fuisse oppressos. Facit hoc Beniaminus frequenter, vt gentis suæ, vbi sese occasio dederit, honorem impensiùs tueatur. Quam etiam ob causam in hoc suo Itinerario maximè gloriari videtur, quoties in aliqua ciuitate aliquem Iudæorum numerum reperit, quos etiam nominatim recenset.

De hac ciuitate Balbech dictum est superiùs fol. 27.

Inde ad dextram deflectentes, per quamdam villam redijmus Cairum, tribus ante vesperam horis, & traijcientes ad veterem ciuitatem, denuò cum Consule Mariano in eius scapha per fluuium nauigabamus. Intereà Sangiacorum scaphæ frequentiores vndique confluebant, quòd insequenti die Bassa aggerem aperturus, & aquæ partem per ciuitatis canales emissurus esset. Quamobrem & nos cœnam in ciuitate veteri sumpsimus, ibidemque pro nocte mansimus: quamuis nihil ferè quieti

datum, quòd tympana & litui vbique perſtreperent. Hoc etenim tempore, quilibet ſibi Muſicos concentus aggregare ſtudet, maximè viginti quatuor Sangiaci: qui adhuc interdiu in ſuis celocibus hinc inde vagabantur, quas duobus maioribus vexillis adornarant, quæ vnuſquiſque eorum habere debet: vnum Otthomanicæ familiæ rubei & albi coloris; alterum ad libitum. Per ſpondam verò nauiculæ decem & aliquot minora vexilla collocant; & totam tela eleganti acu picta, prout tentoria varijs coloribus diſtincta Turcæ habere ſolent, cooperiunt. Ab vtraque parte nauis, pueri decem & aliquot adſtant, quos militari ſuo cultu & armis quiſque eleganter exornat, ipſe verò Sangiacus in medio reſidet, enſe falcato ſuper caput appenſo. Nauem plures quàm decem remiges impellunt, quam altera minor, longiori fune adligata ſequitur, Muſicam deferens, duo videlicet tympana, cum tribus vel quatuor lituis, quos Æthiopes ſerui plerumque inflant. Primores itidem Turcæ habent ſuas ſimiliter ſcaphas, & pueros eleganter veſtitos; nonnulli quoque Muſicam. Vexilla tamen exponere nulli licitum, præter Sangiacos, qui omnes tunc præſentes aderant, vnico excepto, qui propter morbum intereſſe ſolennitati non poterat, filium tamen minorem ſuo loco miſit, qui in medio ſedens, librum in manibus tenebat, quòd armis deferendis nondum idoneus haberetur. Eius nauis omnium elegantiſſima habebatur. Sangiacis & Turcis alijs, ab vtroque latere aſſident amici vel propinqui, quos in nauim aduocant. Nam qui maiore ſuorum turba ſtipatur, honoratior apparet: adeò vt aliquæ naues, vnà cum remigibus, centum perſonas circumuehant.

Sangiacorũ in apertione Nili pompa.

Baſſæ Imbraimi in apertione Nili maieſtas.

Tertia poſt ortum Solis hora, ipſe Imbraim Baſſa in publicum proceſſit, ex palatio inſulæ Mulchias eleganti triremi vectus, quam per gyrum plurima vexilla minora cingebant; duo verò magna, vbi ſedebat, ad latus erant 19.

poſita,

posita, vnum viride Mahometis, alterum rubeum dimidia alba luna insignitum familiæ Otthomanicæ. Extremitas hastarum, apud vexilla, loco cuspidum caudas equi marini habebat appensas. In eadem triremi erant trecenti Ianissari bombardarij: quorum qui rubeis vestibus induti, capitis integumenta cristis pennatis condecorata gestabant, ij propiùs Bassam stipabant: ceteri remotiores erant albis induti, contis itidem albis insigniti. Czaussij & reliqui primarij Turcæ illi assistebant, ipse solus sedebat, puero propter æstum flabello illi ventum excitante. In prora sex erant maiora tormenta, quæ aliquoties sunt exonerata. Quoniam secundo flumine triremis vehebatur, obuersa fuit puppis, vt temone cursus celeritas cohiberetur. Circa triremem, erant viginti quatuor Sangiacorum Dzermæ, & alia minora nauigia circiter mille. A palatio Mulchias, agger qui perforatur (est autem is sub turri aquæ ductus, qua ad arcem inferiorem itur) distat ad tres sagittæ iactus, triginta & ampliùs cubitos longus, latus tamen, canalem habens subiectum valdè profundum, licet non magnopere latum. Cùm eò adnauigasset, puppi, vt dictum est, obuersa prope ipsum aggerem triremis substitit: vbi ingens hominum multitudo iam vndique confluxerat, adeò vt terra illa tota niue cooperta videretur, propter albicantia capitum integumenta, quæ latissimam aream, quæ ibi est, densissimè complebant. Ego, quamuis anteà Romam, Parisios, & plures populosas ciuitates videram, numquam tamen in omni vita mea maiorem hominum multitudinem, vno in loco congregatam, me vidisse recordor. Et quoniam annuatim hæc cærimonia peragi solet, qui rem exactiùs iudicabant, ex areæ illius capacitate, duos hominum milliones præsentes isthic adfuisse asseuerabant. Bassa signum manu dante, statim vniuersa hominum multitudo, quibus quisque potest instrumentis, aggerem perrumpit, vnde sensim aqua in canalem influit,

Nili apertionis annuum Cairi spectaculum.

influit,& poſteà toto impetu aggerem lambit. Baſſa verò domum reuertitur. Et quoniam aduerſo flumine remigatur,antequam ad palatium,vnde diſceſſerat, perueniat, ad eam partem fluminis, quæ ciuitatem veterem reſpicit, & à ſcaphis libera eſt, ex hac ipſa Baſſæ triremi, ingens vis confectionum ſaccharo conditarum,immò & ſaccharum ipſum rotundis ligneis vaſculis incluſum,paſſim per aquas diſpergitur; quas confectiones vulgi multitudo, circa triremem natando excipit, inuicemque etiam pugnis concertando, ſibi præripit. Itaque totum planè flumen cooperitur, ex parte quidem inſulæ nauibus, ex parte verò ciuitatis natatoribus iſtis, quorum vltra decem & aliquot proculdubiò fuere millia. Finito ſpectaculo,ſcapha noſtra delati ſumus verſus nouam ciuitatem, inde pedibus reliquum itineris ad hoſpitium confecimus: quod quandoquidem ad ipſum maiorem canalem poſitum erat, inſpiciebam qualiter ſenſim aqua accedebat: quam iuxta morem paganis receptum, veluti ſalutando, quòd fertilitatis auctor ſit, magna hominum copia deducebat, vnà per profluentem gradiendo,& in lætitiæ ſignum, clamoribus ciuitatem complendo: cui viciſſim ex ædibus promiſcua multitudo gratulabunda occurrebat. Vbi verò ad menſuram hominis aqua excreuit,quidam egrediuntur induſijs amicti, qui illorum proprius eſt veſtitus, quidam ſupernatant. Deinde nocte dieque ſcaphæ commeant, venalia multa, præſertim verò victui neceſſaria deferendo. Alij recreationis cauſa nauigia conſcendunt, perſonati incedentes, & Muſicam exercentes. Vulgus pro Muſico concentu, complosione manuum plerumque vtitur: alij teſtam teſtæ collidentes, ad numeros quoſdam ſonitus harmonicos edunt. Paſſim tamen vbique homines natant: quidam etiam è tectis ædium, quæ altiſſimas habent ſubſtructiones,in aquas magno impetu deſiliunt; mirum quomodo non collidantur. Habent autem hoc Ægyptij,

quòd

quòd ad miraculum vsque, egregiè & longo temporis interuallo natare possunt: cui rei à teneris assuescunt, non solùm per canales vrbis, sed per Nilum ipsum natantes. Sæpiùs videre est, aliquem puero vnius anni brachijs imposito, & manibus collum amplexante, fluuium tranare. Quòd si puer aliquantum succreuit, huic manum supponens, & aliquando subtrahens, eum natare docet, ipse altera manu aquas sulcare contentus. In profluentibus ergo istis per vrbem, magna semper hominum conspicitur multitudo. Nonnulli ex ædium fenestris, à præternauigantibus necessaria coëmunt, bellaria præsertim, saccharum, & varios arborum fructus, pretio per funem demisso, & merce retracta. Ex ædium itidem fenestris, vrnis alligatis, aqua sursum fune attrahitur, quæ res vulgo magnam oblectationem præbet, cùm aquam inemptam pro domestico vsu habere quisque possit. Dum itaque aquæ fluxus per vrbem continuatur, quod ad dimidium vsque Nouembrem durat, nauiculis omnia complentur. Cetertùm aqua canalium prædictorum, vrbem præterlapsa, in Deltam non influit; sed ad partem dextram Orientem versus, magnum terræ tractum inundat, in quo præcipuæ Cæsaris & Bassæ villæ continentur, quarum aliquot millia esse perhibentur. Nam vltra Deltam, quæ regio viginti millia villarum complectitur, sunt plurimæ in Ægypto infra & supra Cairum villæ, quarum campos & agros Nilus inundat. Earum ad quadraginta millia esse, affirmant pro certo incolæ. Volunt nonnulli, totum hunc circuitum esse terram Gessen, quam Pharao Patriarchæ Iacob attribuerat. Tanta autem rerum omnium hîc prouenit vbertas, cùm annus est fertilis; vt incolæ tributo, quod magnum est, persoluto, & annona pro victu reposita, (nulla autem pars orbis, præter Chinam, quæ à frequentia commendatur, Ægypto est magis populosa: quod nemo facilè crediderit, nisi qui rem oculis habuerit subiectam)

Ægyptij natatores egregij.

Delta Nili.

Villarum in tractu Cairi multitudo.

Terra Gessen.

Gen. 17.

Ægypti vbertas.

magnam insuper partem extra Ægyptum diuendant tritici, orizæ, sacchari, dactylorum, cassiæ, & reliquarum frugum: quarum pretium duobus millionibus æstimatur. Ea nobis ipsimet Christiani negotiatores Europæi retulerunt, qui certam rei notitiam habent, quandoquidem non solùm merces diuersas, sed res etiam ad victum pertinentes, assiduè pertractant.

Obambulabam perlustrando ciuitatem, quòd dies Lu- 22.
næ esset, quâ & die Iouis mercatus publici esse consueuerunt. Plurimæ & diuersæ merces hîc venum exponuntur, animalia quoque omnimoda. Hominum ex omni nationum genere ingens vndique concursus. Non vana de ciuitate hac circumferuntur, quòd propter hominum promiscuam multitudinem, difficilis sit per plateas transitus, quas pedites, equites & iumenta passim complent, meretrices præsertim, cultu elegantiore, facie tamen tecta mulis insidentes. Earum (nam, vt ferè vbique, ab eis vectigal exigitur) numerus ad centum millia pertingit. Mulieres ceteræ, quę viris sunt nuptę, in publicum prodire non possunt, ne ad Moschæas quidem. Nec fenestra illis in plateam prospectare liberum, nisi per craticulas ligneas. Sunt fora publica, in quibus Æthiopes mares & feminæ, iuuenes, mediocres, & senes, prostant venales. Erant ibi tunc viri septingenti, mulieres sexcentæ; omnes nudis corporibus, præterquam quòd adultiores, idque feminæ tantùm, vili aliquo panno pudenda cooperiunt. Omnes aures perforatas habent, quidam & nares, à quibus globulus vitreus dependet. Inter feminas plurimæ sunt, quæ labium inferius perforatum gerunt, cui circulus inseritur, cum annexo globulo, qui si ponderosior est, os adeò diducit, vt dentes appareant: res visui permolesta. Valdè vili pretio mancipia hæc veneunt. Nam decem ducatis aureis, puer vel puella, quæcumque emptori placuerit, comparatur. Christianis tamen, sub pœna capitis, seruos educere prohibitum.

tum. Mauri vel Aethiopes eiuſmodi ex Barbaria aduehuntur: & Algieri vel Tripoli Barbariæ primùm venales exponuntur. Inde mari Alexandriam, vel Roſſettum, poſteà per Nilum Cairum deferuntur. Vno eodemque in mercatu, ad aliquot centena proſtant; illicò tamen diſtrahuntur. Quamobrem ſæpiùs etiam aduehuntur. Qui mancipium marem feminámve emerit, liberum eſt illi, quidquid cum eo adlibuerit, agere, (Hunc, inquiunt Turcæ, ego pecunia mea propria emi) vel ſeruare vel mactare hominẽ poſſunt. prout multi iracundi & furibundi, multos interficiunt. Puniuntur tamen propter facinus. Omnia quæ quis concupiuerit, tam diebus mercatus, quàm extra, venalia in magna copia reperiet. Incidi tunc temporis in vnum, qui Maſlok comedebat, ſedens ad propoliũ, in quo puluis prędictus, qui eſt ſubuiridis, vendebatur: cuius etiam partem, ſi vti vellemus, nobis propola offerebat. Is qui puluerem hunc hauſerat, manibus circa caput aliquid quaſi prendere velle videbatur, oculis contortis, & homini furioſo ſimilibus proſpectans, nihil loquebatur. Quęrebam quidnam hoc eſſet. Reſpondit propola, hominem capitis dolorem maximum habuiſſe, & ſumpto puluere iam conualuiſſe: videri quandoque illi, quaſi ſub arboribus conſtitutus, fructus decerpat; vnde apparet, cum illo iam meliùs agi. Mirum certè. Videbamus omnino, miſerum illum furore correptum, iſte verò conualeſcere illum aſſeuerabat.

Maſlok potus & cibus.

Qui Maſloko vtuntur, in quamdam veluti phreneſim incidũt, præſertim ſi vinum deſuper bibant. Cúmque vina ſint hîc valdè potentia & fumoſa, etiam ex racemorum eſu, Turcæ quaſi capite turbato in furias aguntur.

Magnam ciuitatis partem obequitaui; relicta arce ad lævam, extra portam, ad vnam Moſchæam peruenimus, quæ Magara vocatur: in quam Chriſtianis ingredi licet, dato aliquo honorario, & calceis detractis. Sunt enim hîc veterum Ægyptiorum ſepulchra. Tota hæc Moſchæa in rupe eſt exciſa, antra & cryptas plurimas, quæ longiſſimè extenduntur, habens. Inde profecti, conſcendimus præaltum montem è regione arcis; è quo maior pars vrbis, &

Magara Moſchæa, ſepulchris Ægyptiorum clara.

ſuburbia, in quibus tot Moſchæas eſſe diximus, optimè conſpiciuntur. Res eſt oculis periucunda, præſertim quòd per omnes vrbis partes, & extrà, quàm latiſſimè proſpectus patet, ingens arborum dactyliferarum copia, ædificiorum culmina diuidit, noua ciuitate dumtaxat excepta, quę non adeò frequẽtes eiuſmodi habet arbores, quæ proceritate etiam turrium altitudinem ſuperant. Quanta ſit palmæ arboris elegantia, nullus ignorat. Attollitur enim rectà in altum, comam in cacumine habet: dactylorum autem fructus, non inter folia, ſed ſuis inter ramos palmitibus ad ipſam arborem, tamquam viſcus apud nos, innaſcitur. In hortos etiam proſpectus peramœnus patet, quorum circa ciuitatem ipſam infinitus eſt numerus: in quibus ſaccharum ſeminatur, & creſcit vt arundo, niſi quòd canna media, cui ſuccus ineſt, craſſitiem vnius brachij obtinet. Sunt tamen & graciliores. Horti aſſiduè boum opera, vt ſuperiùs dictum eſt, irrigantur. Saccharum ad maturitatem perducitur ſub finem Octobris, vt & dactyli: quamuis ij maturiùs etiam in Septembre colligũtur: neque pinguiori terra vel rigatione, vt ſaccharum, indigent; cùm in arenoſo ſolo proueniant, & ardore Solis gaudeant, qui radices ſabali calore fouet ac planè decoquit. Quamobrem in Syria & circa Alexandriam dactyli non adeò præſtantes obueniunt, quòd minus Solis habeant. Hîc verò Cairi ſunt planè maturi. Recentes ſunt valdè dulces, habentes modicam nihilominùs acredinem adiunctam, ſapori non ingratam. Ex vna arbore tantum fructuum prouenit, quantum implendo vno cereuiſiario noſtro dolio ſufficeret. Quòd verò nonnulli aſſerunt, palmam non niſi centeſimo ab inſitione anno dactylos producere, mera eſt fabula. Nam vt & ceteræ arbores, in tertio vel quarto anno fructificant, præſertim ſi ſint depreſſiores. Tria ſiquidem ſunt earum arborum genera. Vnum humile, quod dactylos communes profert: alterum

Palmæ arbor.

Saccharum.

rum productius, vt noſtra pyrus, quod dactylos flaueſcẽtes & rotundos gignit, optimi ſaporis, ſed non ita multùm durabiles, cùm facilè marceſcant. Tertium genus in magnam proceritatem excreſcit, oblongos & ſapidos habens fructus: quales ad noſtras regiones non deferuntur: ſed ex primo genere tantùm. Arbores proceræ, in centum vſque annos fructificant, poſteà ſterileſcunt; vnde apparet centum iam annos compleuiſſe, quando fructibus carent. In bonitate arborum, & cura adhibenda, vt & in ceteris, permultum eſt poſitum. In eodem monte eſt parua Moſchæa, quam Sexain vocant: hîc cùm proſpectu ciuitatis oblectaremur, miſit ad nos Santon, vt illi aliquid contribueremus. Erat tunc ibi mecum Chriſtianus quidam, morum regionis peritus, hic vetuit illi dari aliquid initiò, vt nos recrearemus, & videremus quàm libenter Turcæ pecuniæ cauſſa faciant omnia. Cùm itaque nihil illi dediſſemus, miſit ad nos, quòd vellet nos ad Baſſam deferre, tamquam exploratores, qui ciuitatem ex inſolito loco circumſpiceremus. Permiſimus vt faceret. Conſcenſo igitur aſino homuncio ſenex, in viam ſe ſubitò dedit. Nos viciſſim ciuitatem verſus ad dextram progrediebamur, quà ad mare rubrum iter eſt: cumque aliquantulum promouiſſet, ſubſiſtebat, & reſpectabat, ſi fortè illi aliquid mitteremus. Nos per interualla denarios illi aliquot ſubmittebamus, qui cùm pauci illi viderentur, ſubinde aſinum propellebat, & nos ad portam vſque ciuitatis eum venire permiſimus. Tandem aliquot ei groſſis numeratis, gratias nobis egit, & contentus, Baſſam non conueniens, reuerſus eſt, ſuccuſſione ſenex, ſatis, vt apparebat, fatigatus.

Turcæ pecuniæ cupidi.

Santones eiuſmodi, qui nudi incedunt, quos anteà quoque Damaſci me vidiſſe ſcripſi, in Cairo ſunt quàm plurimi: ſunt & alij diuerſi; ſed ij ceteris turpiores, qui pudendis planè detectis obambulant. Manè quodam tem-

Santones nudi incedunt.

pore cùm extra ciuitatem essemus, incidimus in quemdã ex ijs iuuenem, qui deuotionem suam turpiter & mirabili ratione peragebat. Nam quandoque versus Solem stando, eum inspiciebat, expansis brachijs: interdum sese inclinabat, & motus quosdam, vt mente captus, edebat. Vidimus deinde & alium paulò pòst: cumque hominis insaniam (quod isthîc non satis tutum) rideremus, quòd circa ventrem & femora turpiter manibus complosis luderet, ipse quoque nos intuitus cachinnum sustulit, & nos præterijt. Hi more pecudum per ciuitatem vbique oberrant, & quidquid illis placuerit, pro victu quotidiano liberè auferunt, vtpote panem & fructus vbi venduntur. Aquam etiam obuijs eripiunt, si longiùs absit. A quo verò victualia eiusmodi rapiunt, is factum pro singulari gratia & felicitate reputat, quòd vir sanctus tale quid ab eo postulauerit. Et quoniam per Cairum, in lagenis coriaceis, aqua venalis circumfertur, videre mihi contigit, Santonem eiusmodi nudum, à quodam lagena accepta, aquam bibisse (quod & alibi vidi;) venditor verò aquæ caput inclinabat, manus complicatas attollebat, quòd illi tanta felicitas oblata esset, exultabat. Narrarunt nobis Christiani, qui à multo tempore in partibus illis degunt, idipsum & Turcę affirmabant, quod hîc apponere libuit, nempe Santones istos nudiuagos in propatulo cum mulieribus coire, adhibitis quibusdam turpissimis superstitionibus; quas, ne honestæ aures offendantur, prætermittere satius fuerit.

Incipiens à suburbio, quod versus mare rubrum porrigitur, totam ciuitatem in longum pertransiui: & quamuis asino calcaria superadderem, qui gradarij in morem passu laxiore ferebatur, vix tamen duabus horis finem nouæ ciuitatis attigi; inde per vrbem veterem, & postremum suburbium vsque ad sepulchra Iudæorum, integra hora equitando consumpta. Quater longitudinem vtriusque

que ciuitatis, & ſuburbiorum, emenſus ſum trium horarum ſpatio, idque adproperando: vnde comperi illam ad tria noſtra milliaria extendi, quandoquidem non rectà ſemper proficiſci, ſed quandoque propter plateas, circumitione vti oportuit. In ſupradicto ſuburbio, quod verſus mare rubrum tendit, extat theatrum, per quod via publica protenditur; ſed longè alia ratione, quàm in Europa vidi, conſtructum. Nam in latitudine vix centum habet cubitos: in longitudine, vt qui menſurarunt fatentur, tria cubitorum millia obtinet: vnde apparet hippodromum olim fuiſſe, vbi curſus equorum & curruum inſtituebatur. Gradus ab vtroque latere, in quibus ſpectatores conſidebant, pauci, nec ij ſublimes. Moſchææ omnes turrite, quarum maximus, vt ſuprà dictum eſt, habetur numerus, in ipſo cacumine tholos erectos habent: vna tantùm in tota ciuitate, quæ theatro huic vicina eſt, tholo caret: cuius rei cauſſam hanc adferunt: Ædificium hoc, prout videre eſt, antiquiſſimum, ſepultura Ægyptij cuiuſdam Magi fuit: qui ſub ipſo dictæ fabricæ tholo, intus hieroglyphicis Ægyptiorum literis, ſenſum hunc inſculpi fecit; Caput cerebro carens, nullius eſt valoris. Multis annorum centenis præterlapſis, delubrum hoc integrum permanſit, donec Selimus Primus Regnum & ciuitatem hanc occupauit: quo tempore Magus quidam Moſchæam hanc ingreſſus, & ſenſu characterum intellecto, Selimum adijt, ſibique fanum eiuſmodi donari petiuit: quod cùm ab Imperatore, victoria tanti Regni potito, non difficulter obtinuiſſet, tholum eiuſdem Moſchææ diruit, ſub quo ingentem auri reconditi vim reperit: cuius pretio, domos, hortos, & alia id genus coëmit, potensque & prædiues euaſit. In cuius beneficij monimentum, tholum delubri apertum reliquit, quod in hanc diem eo etiam ſolum in omni ciuitate caret. Res conſideratione digna, quòd cùm omnia fana, eamdem ſtructurã tholo ſuperimpoſito obtineant,

Cairus ad tria milliaria noſtra protenditur.

Theatrum hippodromicum.

Moſchææ abſque tholo.

vnicum

vnicum hoc eo sit destitutum. Habet fenestram inferiùs versus plateam, intus aspectum admittentem. Non adeò magnum quidem, sed lucidum est, portam semper clausam habens. An aliquas hîc Turcæ superstitiones suas peragant, incompertum est. Nec enim, vbi sepulturæ sunt, libenter ingrediuntur, sed Santones tantùm: vulgus aut rarò aut numquam.

Manè summo, cum Consule Mariano, conscensa scapha, per canalem maiorem, qui hospitium meum alluebat, secundo flumine ferebamur ad dimidium extra ciuitatem milliare. Apud palatium Gaurea conscendimus asinos; indeque non adeò magno milliari confecto, peruenimus ad villam satis frequentem, quæ vocatur Natarea. Hæc autem eadem est illa, in qua beatissima Virgo mater, cum filio puero Saluatore nostro, cùm in Ægypto esset, Matth. 2. per annos septem, vt Theologi sentiunt, habitabat. Est hîc antiquissima domus, in cuius parte nunc etiam visitur in muro receptaculum quoddam, instar armarij, longum & latum cubitum vnum, in quo Deipara Virgo filium Redemptorem nostrum recondebat. Sub quo est paruum altare, vbi Sacrificium Missæ celebrari solet. Nam quamuis Turcę locum etiam hunc plurimùm venerentur, habeantque Moschæam in vicinia; nihilominùs, singulari quadam ordinatione diuina, Catholicis Sacerdotibus, ab immemorabili tempore Sacra hîc peragere licet: & eadem die, quæ fuit Dominica, celebrauit ibidē in nostra præsentia Franciscus Sassus, Societatis IESV Theologus. Non procul à prædicto loco, est ibidem fons aquæ viuæ, & quidem vnicus hic in tota Ægypto, aliquot vlnas latus & longus, ac satis profundus, valdè frigidus & limpidus. Paulò pòst, aliquot cubitorum spatio interiecto, rota per tubulos eamdē aquā irrigandis hortis ministrat, quorum in hac villa non exiguus est numerus. Quoniam aqua huius loci est optima & clara, eius potu Bassæ & Sangiaci dele-

Natarea villa.

delectantur, ob idque per camelos sibi deferri eam procurant. Ad bonum iactum lapidis ab eadem domo, est ficus agrestis crassa & procera, quam ficum Pharaonis appellant. Hæc arbor, diuino quodam miraculo, ab ipsis radicibus vsque ad summitatem fissuram habet tam notabilem, vt si constringi posset, aptissimè in vnum coïret & coniungeretur. Nam vbi in vna parte eminent extremitates; in alia concauitatem proportionatam retinet. Ad radices in ipso arboris trunco, est quasi conclaue quoddam paruum, quod nulla arte humana, in tam vasta arbore præsertim, fabricari potuit. Ad eam cùm beatissima Virgo peruenisset, repentè arbor miraculosè dissiliens nouæ hospitæ stupendam mansiunculam præbuit, in qua cum cælesti puerulo tamdiu lateret & quiesceret, dum pius & solicitus Ioseph habitationem aliquam in pago inueniret. Intuentibus certè magnam arbor hæc præbet admirationem: intra cuius concauitatem, Turcæ lampadem habent appensam. Locum enim in magna habent veneratione; & fatentur, id quod cuiuis intuenti liquet, miraculosè fissuram eam fuisse apertam, in quam, Dei Spiritus (sic enim illi Christum appellant) vnà cum matre diuerteret. Arbor hæc sita est in * horto, in quo balsamum proueniebat, cuius etiam exstant plantulæ duos circiter cubitos altæ, sed exaruerunt omnes. Nam Assan Bassa, prædecessor Imbraimi huius, qui meo tempore prouinciam administrabat, Æthiopem quemdam qui curam balsami habebat, quòd magnam pecuniæ vim collegerat, præfocari iussit: quo factum est, vt nullo, qui arborum eiusmodi curam gerere nosset, reperto, penitus deperirent. In Felici tamen Arabia, Imperatore Solimanno procurante, balsamum in copia prouenit, ex hoc horto, vt plurimùm, transplantatum: quod etiam Mechâ per Carauanam aduehitur, cuius mecum bonam quantitatem asportaui.

Ficus Pharaonis.

Historici nonnulli Hortos eiusmodi, Natareenses proprio nomine vocant, vt Augerius Gislenius Busbequius legationis Turcicæ Epist. 4.

Balsami arbores.

Redijmus deinde pro prandio ad palatium Gaurea, & ad læuam conſpeximus Carauanam cum aliquot centenis camelorum progredientem verſus ciuitatem Sues, quæ ſupra mare rubrum eſt poſita. Palatium hoc ideò Gaurea vocatur, quòd à Sultano Gauro, potentiſſimo Ægypti Rege, magno ſumptu exædificatum fuerat, vnà cum eleganti Moſchæa, duobus præaltis tholis conſpicua, in qua etiam ſepulturam accepit: quæ poſt Moſchæam Aromele (de qua dicetur inferiùs) pulchritudinis primas obtinet partes. Palatium hoc cumprimis elegantes porticus habet, magnis & pulchris columnis ſuſtentatas. In medio eſt piſcina quinquaginta cubitos lata & longa, ſex profunda: quam prædictus Rex, quoties aulæ ſuæ & populo ſolenne epulum exhibebat, quod ſæpiùs fiebat, aquâ ſaccharo conditâ implere conſueuerat; vt inde quilibet quantum volebat, biberet. Quamobrem ex omni parte, gradus marmoreos habebat, per quos aqua decreſcente, ad hauriendum & bibendum deſcendebat populus: cui ſub porticibus cibus apponebatur, ipſo Rege ex habitatione ſuperiori proſpectante, quam modernus Baſſa Imbraimus quandoque inhabitare ſolet, cùm per foſſam Nili commodè nauigio huc peruenire poſſit.

Palatium Gaurea.

Caſſiæ arbor.

Apud prædictum palatium, eſt procera Caſſiæ arbor: qua in tota Ægypto celſior non habetur. Tiliæ magnæ ſimilitudinem habet, proceritate & craſſitie ipſius conſiderata. Sub veſperam aduerſo flumine in ciuitatem reuerſi ſumus, perluſtratis aliquot palatijs & hortis elegantioribus, qui profluenti adiacebant. Diebus deinde ceteris, loca ciuitatis obibamus, quæ aſpectui ſemper aliquid nouum obijciunt. Circumſpiciebamus inſigniores Moſchæas, eas tamen non ingredientes: quarum ſunt hæ primariæ. Vna eſt, veluti apud nos Cathedralis, Giamalaſar nuncupata: vbi Turcicus Patriarcha & Santones habitant. Habet areas octo, quarum duæ ad aliquot cubito-

Moſchæa Cairi celebriores.

Giamalaſar.

rum

rum centena extenduntur. Eam, quòd aliquoties circumiuissem, intus per feneſtras aciem oculorum diligenter dirigens, magnitudine ciuitatem Lublinenſem excedere, auſim affirmare. Habet enim in circuitu vnum bonum milliare Italicum. Patriarcham hunc illorum, ſæpiùs per ciuitatem mulâ furui coloris obequitãtem vidi, quam Aſſan Baſſa duobus Cecchinorum millibus emerat. adeò mulæ hîc magno pretio venduntur: quandoquidem magnitudine cum Italicis Curſeris certant. Septem eius filij illum comitabantur; quatuor, iam canis aſperſi, antecedebant; tres verò eum ſequebantur. Omnes autem Santonum dignitate præfulgebant. Ipſe ſtatura parua, benè compacta, humeris vltra modum latis. Cidarim gerebat magnitudine incredibili, quæ extra vtrumque humerum, ad quartam cubiti partem protendebatur. Mirum quomodo tantum pondus in capite ſufferre potuerit. Veſtem exteriorem oblongam ex panno violaceo deferebat. Vidimus & Vicepatriarcham eiuſdem, adeò ſuæ perfidiæ zeloſum, vt in Chriſtianos prætereuntes exſpueret, tacitè aliquid obmurmurans; &, vt exiſtimabatur, maledicta & execrationes in Chriſtianos iaciens.

Mulæ Cairi magni pretij.

Patriarcha Turcarum.

Altera Moſchæa magnitudine notabili, verſus arcem progrediendo, eſt ea, quæ Zuele nominatur: cui porta adiacet Bab dicta. Sed coniunctis duobus vocabulis Babzuele porta vocatur: in qua Selimus Primus Turcarum Imperator Sultanum Campſonem, aliàs Tombeium, laqueo ſuſpendi fecit, anno milleſimo quingenteſimo decimoſeptimo, die Aprilis vndecima: in cuius rei memoriam, etiam nunc fontes, magna ex parte, quod ſæpiùs vidimus, ibidem ſuſpendio afficiuntur. Et quamuis aliquis ſupplicio eiuſmodi affectus dependeat; ſubtus nihilominùs per eamdem portam pertranſeunt homines. Nam & latro ſtrangulatus, altiùs alligatur; & portam tranſituris, circuitus remotior permoleſtus eſſet.

Zuele Moſchæa.

Sultanus Tombeius ſuſpenſus.

Saraffia Moschæa. Tertia vocatur Saraffia: in qua per portam introspicientibus apparet in pariete affixa peruetus galea: quæ fuisse traditur Iacobi Regis Cypri, in bello quodam ab Ægyptijs prærepta. Antiquitus, num ratione huius galeæ, vel aliquo alio iure incertum, Reges Cypri annuatim Sultanis Ægypti duodecim Cecchinorũ millia pro tributo pendebant. Et eo nomine à Venetis Turca pecuniam hanc exigebat: tandem lupino iure, ipsum Regnum occupauit.

Galea Iacobi Regis Cypri.

Cyprus quo prætextu Venetis erepta.

Aromele Moschæa. Quarta Moschæa Aromele, quæ etiam Czerkassiorum appellatur, est ante ipsam arcem, magnitudine & elegantia ceteras omnes exsuperans, quam Assan Sultanus exædificauit. De modo, quo fuerit constructa, Annales Ægyptiorum hæc habent: Assan tyrannus, vir callidus & auaritiæ deditus, cogitans qualiter fanum aliquod ædificij magnificentia conspicuum, nomini suo, absque sumptu grauiore consecrare posset, hoc consilium adinuenit. Proclamari vbique fecit, se constituisse Deo templum augustissimum cõstruere: quod opus vt tanto feliciùs perficiatur, velle se publicam eleëmosynam, omnibus vndecumque venientibus, abundanter erogare: cui contribuendæ locum & diem certam præfixit. Est area ingens sub arce ad læuam, quæ muro tantùm à dicta Moschæa distinguitur; in qua nunc Carauana Mecham perrectura colligitur, magnæ hominum multitudinis capax, in qua meo tempore ad duodecim aduenarum millia congregata, iter Mecham versus adornabant. Huc infinitus hominum numerus, ex tota Ægypto, illiq́ue adiacentibus Regnis & ditionibus, confluxerat. Asanus autem induſiorum & tunicarum ingentem vim parari curauit. Ab hac igitur tam vasta area, per muri aliquot portulas, ad aliam in qua nunc est dicta Moschæa, homines eleëmosynam accepturos, singillatim transire præcepit: quam vt quisque ingressus, & ab aliorum conspectu auulsus erat, statim omnibus indumentis suis spoliatus, ea ibidem relinquere, atque ita indu-

Id Turcæ pro certo affirmant, sibiq; credi volunt.

induſium & tunicam nouam pro eleëmoſyna accipere cogebatur. Ad eum modum ex priore illa area, in poſteriorem tranſibatur, ignorantibus interim, qui in area remanſerant, quid cum illis, qui aliam ingreſſi erant, ageretur: quos amplam ex liberalitate Regia eleëmoſynam accipere arbitrabantur. Et licet quilibet, noua tunica reſtituta, ſuos veteres pannos libentiùs retinuiſſet (cùm vſitatum ſit iſthîc pecuniam induſio aſſutam, vel ſub cidari inuolutam, deferre) compellebatur tamen veteribus relictis, noua veſtimenta induere, & abire. Quamuis autem vulgus illud, eiulatus & clamores inconditos in Sultanum ederet, vbi tamen omnes in aliam aream tranſierant, indumentis ſuis exſpoliati, mox igne iniecto eadem illa concremari iuſſit: quibus abſumptis, tantam auri & argenti vim reperit, quanta ad excitandam illam ædificij molem ſufficiebat: ex cuius fabrica apparet, magnam tunc illum pecuniæ ſummam per fraudem collegiſſe, qua quod conſtituerat, egregiè perfecit. Sit fides penes illos, qui hæc ita ſe habuiſſe affirmant.

Id ea de cauſa Turcę faciunt, quòd ſibi parum fidunt. Tenuiores verò, qui certas ſedes non habẽt, nec arcas, vbi ſua recondant, pecuniolã, ſi quæ illis eſt, neceſſariò ſecũ ferre coguntur.

Quinta eſt Moraſten, vbi eſt pro infirmis Xenodochium, perampla itidem, rubeo alboque colore exteriùs depicta. *Moraſten Moſchæa.*

Sexta Igamaliſſen, vaſta ſatis & conſpicua. *Igamaliſſen.*

Septima Giamachiſon, quæ altiorem præ ceteris omnibus turrim habet adiunctam. *Giamachiſon.*

Cùm omnes hæ Moſchææ, verſus plateam, feneſtras habeant apertas, crate tantùm ferrea communitas, equo vel aſino vectis, quid intus agatur, facilè patet proſpectus. Sæpiùs vidimus iſthîc Santones cum alijs, prandium vel cœnam, humi pro more ſedendo, ſumere: interdum ſericum, rotæ circumactione, vbi oblongior eſt Moſchæa, diduci; & fimbrias pro ornamentis veſtium, & cetera eiuſmodi parari, quę abſque maiore aliquo ſtrepitu perfici poſſunt.

SEPTEMBER.

Prima die Septembris, Ioannes Scholcz, chirurgus excellens, quem habebam mecum, postquam in morbum, cùm Damasco exiremus, incidisset; & podagra aliquamdiu vexatus, cùm non eam, quam debebat, valetudinis suę curam gereret, in dysenteriam prolapsus esset, hora circiciter decimaseptima mortuus est. Vixdum spiritum exhalauerat, subitò Iudæus accurrit, vt à mortuo, Cæsari vectigal persolueremus: cumque quid moris esset ignoraremus, à Consule Mariano edocti sumus, solui à defuncto debere. Iudæus volebat, vt tamquam à negotiatore Cecchini sex numerarentur. Sed cùm constaret eum mercatorem non fuisse, tres tantùm Cecchinos accepit. Sepultus est extra ciuitatem, in parua Cophtorum seu Chaldæorum Ecclesia. Nam cùm non esset Catholicus, non potuit, vt alij, in Ecclesia beatæ Mariæ in veteri Cairo sepeliri: quod templum etsi quoque Chaldæorum sit, habent nihilominùs & Catholici ibidem ad læuam magnam Capellam, vbi sepeliuntur, & Missa celebratur. Mos igitur talis hîc inualuit, quòd à quolibet homine vita functo, iuxta conditionem eius tributum pensitatur, à nostris præsertim Europæis. Si Consul mortuus fuerit, quindecim Cecchini soluuntur. A quolibet Iudæo, grossi aliquot: à Chaldæis itidem, quorum magnus est hîc numerus, penditur etiam aliquid. Habitat enim hîc illorum Patriarcha, qui idem est & Abyssinorum. Mirum autem est, cùm in religione dissideant, quòd nihilominùs vnum Patriarcham agnoscant. Vtraque natio die octaua circumciditur, quinquagesimo verò à natiuitate sua die, vnusquisque eorum baptizatur. Circumcisionem quidem adhibent, quòd eam seruare Deus Hebræis mandauerit; Baptismum verò, quòd post resurrectionem Dominicam, hac ipsa die Spiritus sanctus in Apostolos descenderit. In summa,

A defunctorum sepultura tributum datur.

Patriarcha Chaldæorũ & Abyssinorum idem.

ſumma, ab omnibus mortuis, ſolis Turcis dumtaxat exceptis, tributum Cęſari dependitur: quod ingentem pecuniæ ſummam efficit, vt quidam affirmant, & veriſimile videtur, propter tantam hominum ex diuerſis nationibus multitudinem.

4. Fui in arce, quæ in monte ſatis alto poſita, muro valido ex lapide quadrato vndique præcingitur; habetque turres rotundas per circuitum. In medio eius ad læuam eſt propugnaculum, in area non ita magna erectum, habens in angulis turres quatuor rotundas ex lapide ſecto: foſſa murata circumdatur. Paulò vlteriùs eſt palatium, quod Baſſa inhabitat, ſatis elegans, & habet aream ſpatioſam. Ad læuam, in arcis ingreſſu, prope ipſam portam eſt longa porticus, quę ad parietem ſcamnum habet prealtum, cum ſcabello ex lapide quadrato. In hoc ſuperiore ſcamno, ſub pœna capitis, nemini ſedere licitum; eò quod Selimus Primus, anno Domini milleſimo quingenteſimo decimoſeptimo, die vigeſima quinta Ianuarij, occupata Cairo, arcem hanc cum triumpho ingreſſus, equo deſiliens, in hoc ipſo ſcamno primùm ſedit. Ob cuius rei memoriam in veneratione habetur. In ſcabello tamen ſemper magna hominum ſeries conſidet. In eadem arce eſt itidem elegans Moſchæa, deforis expolita, quam Solimannus quidam Baſſa, cùm Cairo præeſſet, conſtruxit: in qua ſucceſſores eius ſuas ſuperſtitioſas deuotiones peragere ſolent. Arx hæc cum propugnaculo, quod pro arce itidem reputatur, eſt magnitudine cumprimis notabili: quam Itali ciuitati Treuiſanę, in Foro Iulij, parem faciunt in circuitu.

Arx Cairi.

Selimus Primus Cairum occupat.

Fui iterùm in arce. E regione ſupradicti propugnaculi, ad dexteram eſt peruetus palatium Ioſeph filij Patriarchæ Iacob, ab eodẽ dum Ægyptum gubernaret conſtructum: nunc non inhabitatur, patetque per illud aditus ad vlteriores habitationes. Columnis magnis ex vno lapide integro formatis ſuſtentatur. Structuram habet mirabilem,

Palatium Ioſeph.

varia

varia ſculptura exornatam, omni ex parte adhuc integram. In omnibus Cairi ædificijs ea ratio fabricæ ſeruatur, vt in ſumma ædium parte, magna rotunda vel quadrangularis feneſtra, ad vitandos æſtiuos calores, habeatur: infra quam aliæ itidem feneſtræ eo ordine diſponuntur, vt ventus liberè hinc inde perflare poſſit. Simili modo & palatium hoc, habet quidem ſupernè in medio eiuſmodi rotundam feneſtram triginta circiter cubitorum magnitudine, ſed in angulis concamerationum, aliæ feneſtræ, quibus admittitur ventus, adeò mirabili artificio ſunt apertæ, vt etiamſi extremi calores incumbant, habitatio tamen illa ſemper ſit frigida. Ab eodem palatio ad ſiniſtram ſuperiùs procedendo, prope habitationem Baſſæ, eſt puteus, quem idem quoque Ioſeph fabricarat, adeò ſtupendo & admirabili opere, vt nunc tale quid à quoquam extrui poſſe, ſit prorſus impoſſibile. Eſt forma quadrangulari: cuius latus quodlibet viginti cubitos complectitur. Profunditas verò ipſa trecentorum cubitorum eſt. Centum & quinquaginta cubitis, videlicet ad medium vſque, non ſolùm commodè inferiùs deſcendere, ſed iumento quoque vehi licet. Nam cùm puteus totus in rupe ſit exciſus, curritoria in rupe ſunt itidem exciſa; quæ puteum ambiunt, & per decliue in profundum, per quadrilatera deducunt, vt ſecurè & nullo negotio, equo inſidendo, ad imum deſcendi poſſit. Curritoria eiuſmodi ſunt quatuor cubitos lata: habentq; lumen copioſum, quandoquidem feneſtræ ſunt exciſæ verſus puteum; qui cùm ſit tanta latitudine, ſufficiens lumen, per curritoria deſcendentibus, miniſtrat. Itaque boues ad medium hoc putei deſcendũt, qui ab ipſo putei fundo, centum quinquaginta cubitis, vrnis ad funes alligatis aquam ſurſum extrahunt. Puteus autem ipſe ex quo aqua educitur, non quadrangularem, vt ſuperior illa, ſed rotundam formam obtinet, habetque per diametrum, latitudinis cubitos decem. Porrò aqua

Puteus Ioſeph.

ex

ex puteo isto interiore extracta, in receptaculum seu castellum, quod instar piscinæ ad latus putei, in eadem rupe magnis impensis excisum, decem & aliquot vlnas in longitudine, totidemque in latitudine habet, infunditur. Ex piscina verò, centum & quinquaginta cubitis, per superiorem quadrilateram putei partem, à bobus suprà trahentibus, educitur, & in lapideos canales exoneratur, per quos deinde ad arcem superiorem, vbi Bassa habitat, in cubicula, & vbi necessitas exigit, per aquæ ductus opportunos commodissimè deducitur. Ad aquam huiusmodi extrahendam, sunt assiduè quadraginta boum paria destinata, quæ die nocteque huic operi alternis vicibus incumbunt. Viginti paria inferiùs deducuntur: vbi quodlibet par quatuor horis laborat: viginti alia superiùs, per horas totidem, attrahunt. Non cuiuis autem passim puteus hic videndus obijcitur, cùm superstitione quadam hîc Turcæ ducantur, quòd aqua hæc Bassæ, & aulæ ipsius vsibus deseruiat. Credunt enim, quòd Christianorum oculis eæ res fascinentur, quibus illi libenter vtuntur. Vnde & equum, quem in delicijs habet Turca, Christiano videndum non priùs exhibet, nisi nugas illi quasdam applicuerit, quibus fascinationem depelli posse arbitratur. Ego quòd putei huius Magistro honorarium quoddam obtuleram, videre miraculum hoc permissus sum: descendique ad putei dimidium, vbi boues aquam eductam in piscinam siue castellum effundunt.

Turcæ à Christianis fascinari se credunt.

Scapham ingressi, per fossam principalem hospitio meo adiacentem aduerso flumine ad eum locum delati sumus, in quo Bassa aggerem perruperat, qui in veteri vrbe, vt iam diximus, erat. Ibidem in ripa ad læuam extat magna turris rotunda ex lapide quadrato, non quidem alta, sed crassitie notabili tumescens: in qua rotæ ministerio per tubulos artificiosè aqua sursum educitur, educta, in aquæductus ex quadrato itidem lapide factos, quales etiam Ro-

Turris aquæductus.

Aquæductus.

mæ habentur, infunditur: qui ad medium milliare protracti, aquam ad arcem inferiorem, prout puteus Ioseph ad superiorem, in qua Bassa moratur, conducunt. Inde per Nilum prospero vento nauigantes, confectis quatuor magnis milliaribus, circiter horam vigesimamsecundam peruenimus ad quemdam magnum & valdè populosum pagum Mamymir dictum. Habebam mecum tres Ianissaros: & quia pro nocte nobis hîc manendum erat, conduximus præterea duos notos Arabes, qui in ripa excubias agerent. Scapha exeuntes, deambulauimus per pagum; posteà in eadem scapha cœnauimus, propter securitatem, vt moris est, nauicula ad vlnas aliquot à ripa deducta, & iactis anchoris, Arabes custodes in ripa fluminis constituimus. Cùm obdormissemus, circa tertiam noctis horam, duo tympana Turcica cum duobus lituis perstrepere audiuimus. Musicam sequebantur ferè centum Ægyptij, cum facibus multis, & telis seu iaculis longioribus, quibus in bellis vti consueuerunt, versus nos progredientes. Ianissaris quidnam hoc sibi vellet ignorantibus, nos quoque bombardas longiores arripuimus, quas nouem, minoribus exceptis, habuimus: quibus nos armatos, interdiu deambulantes, quòd iam anteà viderant Ægyptij, paratos nos esse considerantes, per nostros illos custodes, qui in ripa remanserant, significari nobis fecerunt, ne bombardas in illos exploderemus; quandoquidem ad ripam accessissent, vt spectaculo exhibito nos recrearent. Quòd enim hac nocte quidam ex illis vxorem ducturus esset, agilitatem suam demonstraturus, saltationes edere debebat. Permisimus itaque vt ripæ propiùs appropinquarent. Cœpit igitur sponsus ille ad Musicos numeros saltare, mirabiliter sese huc illuc contorquens ad tripudij Moscouitici similitudinem, quandoque etiam terræ adlabens, vt nostri Haidones solent. Sponsum propinqui simili ratione saltantes imitabantur. Durabat hæc chorea illorum

Mamymir pagus.

Ægyptiorũ sponsorum chorea.

illorum per dimidiam circiter horam. Misimus posteà illis decem & aliquot grossos; quibus cum gratiarum actione perceptis, ad villam sunt reuersi, in qua totam ferè noctem choreas duxerunt, nec nisi sub diluculum sponsus vxorem traditam accepit. Nam quò in saltando se magis agilem & expeditum præbuerit, hoc citiùs sponsam accipit, iuxta morem vulgi receptum: qui, ratione feminarum, mirabilis hîc apud illum obseruatur. Nam in decimum vsque ætatis annum, puellæ agrestium, in villis incedunt nudæ per totam Ægyptum, posteà indusio bombycino amiciuntur, facie panniculo simili velata, foraminibus pro oculis excisis: qui vento facilè commouetur, vt facies non difficulter conspici possit. Faciunt & hoc feminæ agrestes, quod etiam in vrbibus nonnullæ è vulgo obseruant; quo tempore adhuc nudæ incedunt, aqua quadam corrosiua, in corporis cute, florum quamdam speciem depingendo effingunt, cui deinde diuersorum colorum varietatem superinducunt: qui adeò corpori adhærent, vt nulla deinceps arte ablui & deleri possint. Mirabile est videre, corporis pellem floribus depictis variegatam, & colores perpetuò retinentem.

Feminarum agrestium in Ægypto habitus.

Post saliorum sponsalitiorum discessum, cœperunt nobis latrones regionis insidiari: sed cùm aduigilarent custodes, & nos ad bombardas confugissemus, tacitè dilapsi & dispersi sunt.

11. Primo manè, conscensis asinis quos Cairo præmiseramus, progressi sumus ad vnum bonum milliare, inter Pyramides ad Meridiem positas, penes quas sunt antra plurima subterranea in petra excisa, quæ vel Parochiæ olim fuerunt, vel familiarum diuersarum sepulchra. Nunc omnia sunt arenis oppleta; quibus amotis, per funes in cryptas illas descenditur. Quamobrem & nos, apud Pyramidem quamdam altiorē, in foramen decem & ampliùs vlnas profundum, nos eadem ratione demisimus: vbi in

petra reperimus plurima alia antra in longum excisa: in quibus multa hominum cadauera erant sepulta: è quibus Mumia, quam vocant, petitur. Affirmant, ea corpora siue balsamo, siue alijs diuersarum herbarum vnguentis condîta fuisse: quæ qualia esse potuerint, discurrant Medici. Apparet certè aliquid egregium & singulare fuisse: quandoquidem à tribus annorum millibus, absque minimi alicuius membri putrefactione, eiusmodi corpora integra in hanc vsque diem conseruantur. Quotquot igitur hîc cadauera reperiuntur, (quorum magnum numerum inueni, cùm eò me demisissem cum Arabibus, qui ea vendere consueuerunt) omnia intus, quandoquidem exenterari more Anatomico solent, idola quædam reposita & circumcircà etiam collocata habent.

Mumia quid, & eius extrahendi ratio.

Idola Mumiarum.

Idola hæc sunt ex argilla, cærulei vel violacei coloris, ad vnius digiti longitudinem; quædam etiam minora, formam infantuli fasciolis circumligati, adiectis multis Ægyptiorum characteribus, exprimentia. Qualia autem sunt idola, tali modo & ipsa corpora linteis sunt inuoluta, quæ ob antiquitatem adeò sunt marcida, vt papyrum combustam, quæ nigrescit & facillimè diffluit, imitentur. Singula autem membra, separatim tela obuolu untur. Tumbę siue lapideæ, siue ligneæ, in quibus apparet nobiliorum corpora fuisse reposita (aliorum enim vulgarium sine ordine in terra simpliciter proiecta iacent) eadem ratione sunt paratæ, qua corpora inuoluta, & idola recondita. Sunt ibidem & alia idola maiora; quorum nonnulla vnius cubiti habent magnitudinem, & defunctorum cadauera circumdant, ex lapide vel ligno, diuerso formarum genere efficta. Nam alia hominum, alia auium, alia reptilium, alia dæmonum, prout apud nos depinguntur, simulacra retinent. Corpora, quæ in tumbis deposita reperimus, habebant in facie personas coloribus vel auro depictas: ex quibus apparebat, lineamenta faciei eorum qui depositi

Personata defunctorum facies.

siti ibidem fuerant, ea ratione ad viuum fortassis expressa fuisse. In tela verò, qua corpora sunt inuoluta, veluti limbi & cinguli, passim ex minutis vitreis diuersorum colorum orbiculis, assuti vbique conspiciuntur. Sunt deinde zonæ, materia quæ gemmis (non sunt tamen) assimilatur, vbique punctatim refertæ: quibus supernè, linteamina illa fimbriata, præcinguntur. Inter masculorum & feminarum cadauera discrimen nullum: vnde colligere est, mares barbæ pilos non nutriuisse, nisi quòd eorum corpora vastiora sunt, & diuersam à mulieribus personarum formam, & capitis ornamentum retinent. Tanta autem est in eiusmodi cauernis horum cadauerum multitudo, vt qui ea perlustrare vult, pronus perrepere necesse habeat; qua de causa, pauci sunt qui fastidium hoc perferre valeant. Ex eiusmodi igitur corporibus, vt antè innuimus, Mumia conficitur: quæ aromatum & vnguentorum pinguedine adeò condensantur, vt in modum picis indurata, resplendeant; cerebrum præsertim, musculi & scapulæ carnosiores. Nam pectus, manus & pedes, cùm modicum carnis habeant, & in modum membranæ extendantur, huic rei non deseruiunt. Odor ex eiusmodi corporibus proueniens, non est adeò grauis, vt facilè tolerari non possit: propter aromata tamen acutior est: & quantum ex narium iudicio colligi potest, myrrhæ multum vnguentis hisce admisceri debuit. Nam vbique per cauernas, illius odor acriùs spirabat. Ossa eiusmodi corporum sunt candidissima: quibus vnguentorum illorum compositio candorem mirificè conseruat. Tum & hoc non caret admiratione, quòd circa eadem antra extrinsecus magna vis talium ossium proiecta iaceat, ingenti varietate, à quibus Mumia ablata. Inter quæ non obiter nec breui tempore contemplabamur caluarias & inferiores maxillas, vbi dentes fixi: nullam autem inuenimus omnino, quæ vel vnum dentem carioſum, aut aliquam euulsionis notam habuerit, ita

Ægyptiorum in exornandis & condiendis defunctorum corporibus diligentia.

in omnibus maxillis erant pleni, ſinceri, & candiduli dentes inſtar oſſium aliorum. Apparet homines fuiſſe benè ſanos, & expertes doloris dentium. In nonnullis caluarijs, & oſſibus manuum atque pedum, vulnera cæſione fractionéve in viuis inflicta cognoſcebantur, ſimul quomodo vulnerum oræ ſe glutinarunt. Sed hoc mirabile prorſus fuit, in tanta oſſium multitudine (ferè enim aliquot centurias maxillarum inferiorum & capitum colluſtrauimus, ad extremum manibus tractauimus ac verſauimus) nullam maxillam fuiſſe, quæ dentium aliquo vitio laboraret. Fuerunt multæ ſeniles, quibus dentes breues & eroſi extabant (quales in ſenibus videntur) at quæ dentem vllum putridum, cauum, foraminoſum, aut ſignum elapſi haberet, fuit nulla. Emeram tunc temporis ab ijſdem Arabibus duo corpora maris & feminę duobus Cecchinis, quæ ibidem in tumbis repoſita inueneramus: de quibus quid actum ſit poſteà, cùm Alexandriâ nauigaremus, dicetur inferiùs.

Hæc quæ de Mumia ex ipſo viſu certiſſimè didici, hîc referre libuit: idque ea de cauſa maximè, quòd aliter à multis ea narrari audiui. Affirmant enim, quòd Mumia ſit ex ijs corporibus, quę in partibus illis arena obruuntur. Sed meræ ſunt fabulæ. Nec enim Mumia fortuitò fit, ſed ex corporibus, ab immemorabili tempore vnguentorum commixtione conditis, ita vt dictum eſt, coaleſcit. Fabula eſt itidem, quòd arena aliquem obruere & præfocare debeat; niſi fortè quis ex induſtria ad eum effectum ſeſe compoſuerit: quod vel in ipſis partibus noſtris, vbi terra eſt arenoſa, euenire poſſet. Quamuis enim per arenas illas (quas noſtrates Arenoſum mare vocitant) dùm validior eſt ventus, iter peragi non poſſit, & neceſſariò ſit ſubſiſtendum, quoad ventus conquieſcat: nullus tamen ſtantium arenis obruitur, niſi fortè, ſi quem mori ibidem contingeret, non ſepeliatur: quod non rarò euenit. Tunc enim

Mumia non fortuitò ſed arte conficitur.

Arenarum Arabiæ incommoda.

enim corpus eiusmodi, maximo Solis ardore in arena ita decoquitur, vt nigredine carbonem exsuperet: Mumia tamen ex eo non fit, nec vsibus aliquibus prodest. Profecturi igitur per arenas illas, expectare propter ventum coguntur ijs de causlis, quòd vias cumulis arenarum, quæ fluidæ sunt, imperuias reddat; quodque puluerem oculis inimicum excitet; tùm quòd signa quædam itineris auferat, quæ profecturi necessariò debent obseruare, cùm diebus aliquot transeundum sit, vbi ne minima quidem arbor, vel rupes videri potest. Ad hæc cameli quoque puluueris molestiam tolerare non valentes, miserè sese contorquent. Quamobrem dum considat ventus, vt dictum est, meritò expectare viatores debent; neminem tamen viuum arena obruit.

Cùm in subterraneas cauernas illas, conductoribus Arabibus, nos cum Ioanne Emo Veneto demitteremus, præmoniti fuimus, vt si non pugiones, saltem cultros nobiscum intrò deferremus: sæpiùs enim accidere solere, quòd Christiani ibidem interficiantur; haberemus in omnem euentum, quo nos defendere possemus: sed vt ne simul quoque omnes descenderemus; vtque aliqui è nostratibus in superiori parte, cum bombardis pro custodia remanerent: contigisse aliquoties, quòd superuenientes Ægyptij, vel Arabes deprædatores, eos qui intus descenderant, terra obruebant, rebus eorum quas superiùs reliquerant, ablatis: quandoquidem indusio tantùm, & quodam ex tela simpliciore amictu retento, descendendum intus est, propter puluerem, & aërem inclusum ac suffocatum, qui antris includitur. Cùm iam cryptis prædictis appropinquaremus, accurrit Arabs quidam eques, quem Ianissari & Arabes nostri exploratorem iudicabant. Sed vbi nos bombardis armatos aspexit, illicò discessit. Igitur cùm me in subterranea demitterem, familiares meos bombardis armatos cum duobus Ianissaris, ad

os antri reliqui. Tertius enim apud ſcapham, ne nobis eriperetur, remanſerat. Poſtquam ex antro ſumus extracti, ad ſcapham reuertebamur, per ruinas, quarum nonnullæ eo in loco exſtant, vbi antiquitus Memphis erat: cuius tam amplæ, vt diximus, ciuitatis veſtigia, præter Pyramides nulla planè conſpiciuntur. Villas etiam aliquot pertranſiuimns, per quarum aggeres aperto exitu, Nilus maximo impetu ferebatur, campos, qui ſupra Cairum ſunt, inundans. Paulò poſt meridiem, ad ſcapham peruenimus, & aſinis Cairum remiſſis, ſecundo flumine trium horarum ſpatio ad veterem ciuitatem delati ſumus: quam, naue egreſſi, obequitabamus, ruinas eius conſiderantes, in quibus egregia quondam conſtructa fuiſſe palatia appareret: prout etiam nunc plurima, magnifico ſumptu ſuſcitata conſpiciuntur. Fuimus & in duabus, quæ ibidem ſunt,

Eccleſiæ Chriſtianorum Cairi.

Chriſtianorum Eccleſijs; vna eſt beatiſſimæ Virginis, in qua ſunt Moniales Chaldææ, quæ eamdem cum Abyſſinis obſeruant religionem: altera S. Georgij, quam itidem Sanctimoniales Chaldææ obtinent. Huic eſt adiuncta perampla Catholicorum Capella, cuius ſuperiùs meminimus. Poſteà ad nouam Cairi ciuitatem, circa occaſum Solis, redijmus.

Tertia vice arcem ſum ingreſſus: vbi Baſſa iudicia ex- 15.

Baſſæ iudicia.

ercebat. Habebat ad latus Sangiacos viginti, Czauſſios circiter ducentos. Atrium maximum, omni hominum genere fuit refertum. Indutus erat veſte talari ex raſo ſerico onychini coloris contexta, aureis confibulationibus anteriùs exornata. Puer flabello ventum ei faciebat. Iudæorum litigantium magnus erat numerus. In area inferiori ſexcenti ſtabant Ianiſſari: vbi etiam vltra decem &

Struthiones.

aliquot paria ſtruthionum cicurum obambulabant: inter quos, duo ſtupendæ magnitudinis, etiam ipſis incolis, quibus eiuſmodi animalia videre non eſt inſolitum, erant admirationi.

Moris

Moris est, antequam Bassa Senatum ingrediatur, vel caussas iudicare incipiat, vt priùs caussa deuotionis Moschęam adeat, prout eadem die hanc in arce adiuit, quam Bassa Solimannus fabricauerat, cuius superiùs mentionem fecimus. In reditu ex Moschæa, occurrerunt ei propinqui cuiusdam occisi, conquerentes de cæde sui consanguinei. Erant verò circiter viginti, qui potu quodam, etsi non vino, sed quod tamen caput peteret, inebriati, insontem hominem interfecerant. Respondit Bassa, iuris esse, qui ebrius hominem mactauerit, eum fustigationis pœnam subire debere; quandoquidem non ille, sed potio rationis impos, homicidium perpetrauerit: quoniam autem viginti essent, & quidem ebrij, homicidij istius nomine accusati, qui vnicam tantùm personam interemerunt, neque constaret quisnam eorum plecti deberet, iniquum esse, propter vnum occisum in viginti pœnam extendere. Pronuntiauit igitur, frustrà propinquos occisi conqueri: cùm non adeò magnum censeri debeat, vnum à viginti ebrijs interemptum. Adhæc in corpore occisi non vulnera, sed liuentia tantùm signa percussionis apparere; vnde liquet, potationem potiùs, quàm malam illorum voluntatem, caussam homicidio præbuisse. Ita caussâ decisâ, accusatores discesserunt. Tres tamen vel quatuor, quibus præ ceteris homicidium hoc imputabatur, malè sunt fustibus à Ianissaris excepti. Cùm ex arce discederem, in area maiore ad sinistram, Carauana Mecham profectura congregabatur. Nam propter calores nimios, non nisi mense Octobri in viam se dare consueuit. Et iam tunc vltra duodecim hominum millia congregatum iri existimabantur; quandoquidem omnes catalogo Bassæ inscribuntur, qui eò proficisci constituerunt.

Ebriorum Turcarum fustigatio.

Manè sacrosancto Missæ sacrificio audito, & diuinissimo Sacramento susceptо, Cairo discessi, circa quintamdecimam horam Dzermam conscendens, & per Nilum se-

Turcarum ieiunium Septembri mense.

cundo flumine vectus. Appropinquabat Turcarum solenne ieiunium, quod illi seruare consueuerunt, noua Luna Septembris conspecta, & durat quousque noua vicissim Luna mensis Octobris conspiciatur. Octiduo antequam discederem, suas iam cærimonias peragebant, quæ ieiunium hoc ipsorum antecedunt. Nam omnes Moschæarum principalium turres, post occasum Solis, lampadibus ad ipsam vsque summitatem, per totam noctem accensis vndique collucebant: quæ in tanta delubrorum Cairi multitudine, elegantissimum præbebant intuentibus spectaculum. Diem hanc & noctem absque intermissione nauigationis continuabamus, eamdem cautionem propter latrocinia adhibentes, quâ, cùm Cairum deueheremur, vsi fuimus.

Die insequenti ventum minùs propitium habuimus. 17.

Crocodili Niliaci.

Ostendebatur nobis Crocodilus fluuium tranans: sed quòd maior erat distantia, rectè considerare non potuimus; quandoque tamen tergum natantis ex aquis prominebat, ad morem Delphini in mari colludentis. Videbatur is non magnus fuisse, ad mensuram mediocris hominis vtroque brachio expansi. Minùs frequentes hîc habentur, propter villarum multitudinem & hominum frequentiam. Sed supra Cairum versus Sait, multi & magni reperiuntur, ad ternam brachiorum hominis expansionem. Vidi vnum, non viuum tamen, decem cubitorum magnitudine. Vesperi peruenimus ad ciuitatem Fua, ripæ Nili adiacentem, non adeò magnam illam sed elegantem. Turris Moschææ, ob prædictam instantis ieiunij Turcarum solennitatem, lampadibus accensis erat vndique condecorata. Inter fructus ceteros, ciuitas hæc malorum granatorum vbertate excellit: quæ nullibi maiora, vt ipsemet vidi, reperiuntur. Eadem nocte tribus milliaribus confectis, sinistrorsus fossam fluminis arte paratam ingressi sumus, quæ Alexandriam vsque pertingit.

Fossa Alexandriam Cairo ducēs.

git. Computatur autem pro octauo Nili brachio.

Tota die hac, inter villarum frequentiam nauigabamus per hunc canalem, qui triginta cubitos plùs minùs habet in latitudine, profunditatem verò tantam, quanta Dzermis maioribus ſufficit: aqua tamen caret, quando Nilus non exundat, totuſque planè deſiccatur. Vbi verò fluuius intumuit, per eumdem aqua Alexandriam perducitur, & omnes ciſternas ciuitatis implet, quæ aliunde dulcem aquam habere non poteſt, ac ne puteos quidem ſimilis aquæ. Atque hac ipſa de cauſa foſſa hæc deducta eſt. Ciuitas enim hæc ſitum depreſſiorem habet, nec propter maris vicinitatem bonam aquam poteſt habere: vnde hæc deductitia, in ciſternis per totum annum diligenter aſſeruatur, quoaduſque Nilus exundet. Ciſternarum eiuſmodi publicarum, & quæ priuatorum ædibus continentur, ingens eſt numerus: in quibus, ſi quando caſu aliquo fortuito aquam deficere contingit, propter eius penuriam, multi incolæ Alexandria excedere coguntur. Cùm Imbraimus Baſſa, propter Ægypti gubernationem, Alexandriam cum triginta & ampliùs triremibus peruenisſet, aquam adeò conſumpſit, vt propter eius inopiam, quamuis diutiùs manere in ciuitate conſtituerat, ſexto tamen die, Roſſettum proficiſci, inde verò per Nilum, Cairum peruenire neceſſe habuerit. Diſtat autem Roſſettum octo ab Alexandria milliaribus, vbi extremum Nili brachium verſus Barbariam in mare influit: per quod è Cairo benè oneratæ naues Roſſettum deferuntur: quandoquidem per canalem Alexandriam deductum, nauigia maiora commeare non poſſunt. Septem nihilominùs Nili brachijs, in ſuis alueis permanentibus, maioribus Dzermis commodè nauigatur; præcipuè tamen duobus, quorum vnum Damiatam, alterum Roſſettum ducit, etiam maiores & oneratæ naues rectè deferuntur, quòd duo hæc oſtia latiora ſint & profundiora. Roſſetto, mari-

Alexandriæ dulcis aquæ defectus.

tima nauigatione, Alexandriam vsque, circiter decem milliaria numerantur. Quoniam eadem die noua Luna Septembris oriri debebat, Ianissari, quos tres habebam, & nautæ Arabes viginti, integram diem à cibo abstinebant, Nouilunium sub occasum Solis accuratissimè obseruantes: quod cùm videre non possent, petiuerunt à nobis, vt Lunam exorientem ipsis indicaremus: quam paulò pòst, vbi magis tenebrę inualuerant, aspeximus. Nam cùm tertia esset ab eius ortu dies, difficulter dignosci poterat. Visam tamen, mox eis denuntiauimus: qui, cùm nobis gratias hilariter egissent, Luna conspecta, defixis in eam oculis, & manibus expansis precationum suarum cærimonias inchoarunt. Posteà statim carnes, pisces, & quidquid illis apponebatur, comedebant: totamque noctem sedentes cibis infarciebantur dum illucesceret, asserentes interdiu comedere peccatum esse, nocte non item: & vt Alexandriæ vidimus, opulentiores & primarij, vsque ad meridiem somnum protrahunt: inde Moschæas precum fundendarum caussa frequentant: quod dum fit, è summitate turris vexillum maius appenditur (Alexandriæ ex serico violaceo prominebat) vix per quartam horæ partem; quod finitis precationibus statim demittitur. Sic quilibet redit ad propria, post occasum Solis cibum sumpturus: vtque nobis Christiani nostrates, qui Cairi habitant, retulerunt; cùm hora comedendi appropinquat, paulò ante Solis occasum, quibus id negotij incumbit, cum tympanis per ciuitatem discurrunt, subinde vociferantes, licitum iam esse comedere, bibere, & quæuis minùs honesta operari. Alexandriæ tamen, eiusmodi cum tympano proclamationes non audiui.

Ecce Turcarum ieiunia.

Quatuor circiter nostra milliaria progressi inter ruinas amplissimorum palatiorum & palmarum dactyliferarum, vtramque aluei ripam præcingentium, Sole iam exoriente, peruenimus ad portã ciuitatis Alexandrinæ, quæ ante 19.

Alexandria.

antè Alexandri Magni tempora vocabatur Racaſta,& abeſt ab ipſa ciuitate, quarta milliaris parte, vbi è canali in terram deſcenditur. Significaui de aduentu meo ſtatim illis, cum quibus iamantè Cairi notitiam contraxeram; qui cùm adueniſſent, conſcenſis aſinis, verſus ciuitatem profecti ſumus. Non longè à porta vrbis, ad ſiniſtram in monte ſublimi, eſt columna Pompeij elegãs & mirabilis. Baſis cui inſiſtit, eſt alta cubitos ſexdecim, habens in qualibet quadranguli parte cubitos nouem. Columna ipſa in rotundum ex lapide formata, habet ſexaginta cubitorum altitudinem: latitudinem verò tantam, quantam homines quatuor paſſis brachijs complecti poſſent. Capitellum cum abaco quadrangulari, decem cubitos altum. Tota itaque columna, cum ſuis membris, ad altitudinem octuaginta ſex cubitorum conſurgit. Color marmoris eſt cinereus, qui in ipſa columna ad rubedinem vergit, adeò vt baſis & capitellum diuerſi generis eſſe videantur. Mirum qua ratione lapides tanti ponderis, in montem adeò altum pertrahi,& pertracti erigi potuerint. Narrant Hiſtorici, qualiter à Iulio Cæſare erecta, & cur Pompeij columna ſit dicta: ego ſuperſedeo. *Columna Pompeij.*

In ipſo portæ ciuitatis ingreſſu, Turcæ perluſtrabant, ſi quid mercium haberemus. Sed cùm Hebræus interpres, quem Conſul Venetus iſthîc alit, nobiſcum eſſet, dixit res noſtras in ſcapha eſſe, quæ aſinis impoſitæ nos ſequerentur. Quamobrem idem cum ſeruitoribus meis ibidem remanſit, dum vectigal perſolueretur. Nec enim à mercibus tantùm, ſed à minutiſſimis quibuſque rebus, & à pecunia ipſa, Alexandriæ telonium numerare oportet. Ego intereà ad Caruaſeriam ſeu Contubernium Venetorum profectus, ibidem ſum hoſpitatus. Prandio ſumpto, iui ad videndum portum, cum mercatore Veneto mihi noto Hieronymo Vitali, qui, cùm notitiam haberet cum Turcico Capitaneo, qui paulò ante aduentum meum,

Rhodo cum decem triremibus Alexandriam appulerat, voluit cum eo colloqui. Petiui itaque vt me pro socio secum acciperet, quò triremem huius Capitanei, qui primus post Occhialum habebatur, videre possem, qualiter sit milite & bellicis tormentis instructa. Nec enim aliter, quàm sub mercatoris specie, eò patebat accessus, Turcis id sedulò cauentibus. Conscensa igitur nauicula, deuenimus ad triremem. Capitaneus tum præsens non adfuit, in ciuitatem profectus. Expectabamus dum veniret, plusquàm dimidiam horam. Triremis erat elegans, tota deaurata, minor tamen quàm quibus Christiani vtuntur: Turcicæ namque omnes sunt minores. Serui omnes erant Christiani, quini ad remum alligati, vsque ad mediam nauis arborem, deinde tantùm quaterni. Homines ad bellum apti vix quadraginta, tormenta bellica satis multa. Cùm rediisset Capitaneus, postulauit à mercatore, vt pannos diuersorum colorum, de quolibet quinque frusta, ex Europa illi procuraret. Deinde iussit nobis dari vuæ Rhodiæ racemos, qui tantæ erant magnitudinis, vt ad tres vlnę partes extenderentur. Grana verò singula talia, qualia pruna solent apud nos esse. Facta Capitaneo reuerentia, conscensa nauicula redijmus ad littus, & inde ad ciuitatem, cùm iam Sol in occasum vergeret.

Rhodij racemi notabilis magnitudinis.

Inter admiranda, quæ in hunc vsque diem habet Alexandria, est amplissima & spatiosissima ante portum maris area: quam cùm arte factam scribant Historici (Pharus enim insula olim vocabatur) non est cur pluribus agam. Apparet enim, humana industria, magno sumptu & artificio paratam. Quoniam autem in ciuitate, vt inferiùs dicetur, aër est minùs salubris, in hac area incolæ libentiùs ædificia construunt: quin & Sangiacus ibidem habitat: vnde ciuitas desolata, maioribus etiam ruinis oppletur: quandoquidem suburbia securiùs inhabitantur.

Area portus Alexandrini.

Causa aduentus triremium fuit, quòd deducebant tres mini-

miniſtros Aſſan Baſſæ,qui anteà Cairi cum poteſtate ver- *Aſſan Baſſæ miniſtri ſupplicio affecti.*
ſabatur,nempe Cancellarium,Notarium,&Secretarium: qui Conſtantinopoli Rhodum, inde Alexandriam miſſi, poſteà per Nilum deferebantur Cairum, vt ibidem ex illis ſupplicium ſumeretur,quòd ij auctores exercendæ crudelitatis eſſent, qua prædictus Baſſa prouinciales auariſſimè depeculabatur. Id quomodo ſit actum,breuiter commemorare operæpretium eſt. Aſſanus hic Baſſa Eunuchus, cùm non paruo tempore Cairi verſaretur, valdè *Aſſani Baſſæ auaritia.*
mercatores expilabat, quod & in hanc vſque diem videre licet : quandoquidem propter eius inexplebilem auaritiam,merces ex Indijs & Mecha non importabantur. Ne autem loco, ſuæ cupiditati peropportuno, decedere iuberetur, maxima munera matri & vxori Cæſaris Amuráthi clàm ſubmittebat. Illi verò qui ab ipſo opprimebantur, propter loci diſtantiam, & difficilem ad aures Principis aditum,quem Baſſa ſtudiosè procurabat, de iniurijs illatis conqueri Cæſari non poterant. Hic idem Baſſa cùm intellexiſſet,Æthiopem illum,qui balſami curam gerebat,non contemnendam vim pecuniæ habere, eumdem abſque aliqua culpa in carcerem coniecit; & vt de pecunia fateretur,quæſtionibus adeò crudeliter in eum deſæuijt,vt paulò pòſt moreretur: quo mortuo, cùm inſpector deeſſet, balſami quoque liquor ibidem deperijt, prout ſuperiùs meminimus. Erat & alius Æthiops mercator ditiſſimus, quem ipſemet vidi. Hunc,confícto crimine,carceri mancipauit, & miſerrimè afflixit, vt merces, quæ ducentis aureorum millibus æſtimabantur,illi,redimendo vitam,tradere cogeretur : quæ res licet parùm veriſimilis videatur, vnum hominem tam grauem mulctam deponere potuiſſe,& eò magis, homuncione viſo qui cidari tantùm & bombycina interula tectus, nudis pedibus obambularet: ſed cùm palatium Cairi tam elegans habeat, quod etiam vidi, vt ſumptu & ſplendore, cum primario illo, quod me

inſpexiſſe

inſpexiſſe iam anteà ſcripſi, non obſcurè certare poſſit; affirmant conſtanter omnes, eum tam incredibilem mulctam Baſſæ depoſuiſſe. Cùm igitur is de tanto ſuo infortunio paſſim conquereretur, quidam illi ſuaſit, vt Conſtantinopolim profectus, de tam inſigni iniuria ad Cæſarem referret. Deterrebat mercatorem à ſuſcipiendo itinere, & eius longitudo, & periculi metus: ad extremum dixiſſe fertur; Ego quidem non ibo Conſtantinopolim, ſed libenter reliquorum omnium bonorum meorum impendium faciam, dummodò Imperator Aſſanum Baſſam capite mulctare velit. Tum conſultor: Da mihi, inquit, pecuniam: ego, quod cupis, breui tibi effectũ dabo. Fertur igitur ſeptuaginta Cecchinorum millia Conſtantinopolim miſiſſe. Quinquaginta millibus empti ſunt lapides pretioſi, Cæſari pro honorario tribuendi. Viginti millia Baſſæ Viſiro donata: quibus cùm iam ſibi facilem apud illum aditum conciliaſſet, dixit ſe itidem pro Cæſare munus luculentum habere, & quòd eidem prætereà rationem conquirendi non contemnendi theſauri eſſet indicaturus. Eum itaque Cæſar ad ſe accerſiri iuſſit: qui ingreſſus, lapides pretioſos eidem obtulit, inter quos fuit adamas valoris octodecim millium ſcutatorum, quem ego Venetijs anno octuageſimo vidi apud mercatorem, qui anno ſequenti eumdem Conſtantinopolim tranſmiſerat, & emptus pro Cæſare dicebatur. Eodem tempore conqueſtus eſt de Aſſano Baſſa, oſtendens iam à multo tempore eum ditiores quoſque expilare: vnde ingentem pecuniæ vim compararit. Vlciſceretur miſerorum iniurias, deprædatorem caſtigaret, pecuniamque illius omnem fiſco ſuo attribueret. Placuit ea res Cæſari: & profectionem in Cairum Imbraimo Baſſæ iniunxit, filiam ſuam in matrimonium eidem daturum pollicitus. Literas inſuper ad Aſſanum dedit, mandans eidem, vt primùm Cairum Imbraimus perueniret, vt Aſſanus caput proprium Imperatori

tranſ-

transmitteret. Literas eiusmodi Cæsar manu propria scribere consueuit, quas holoserico vel raso nigro inuolutas mittit. Imbraimus Imperatoria mandata delaturus, in viam se statim dedit. Intereà mater & vxor Cæsaris, postquàm didicerunt qua de caussa Imbraimus Alexandriam proficiscereturr, considerantes cum suo cliente malè actum iri, per cursus publicos magnis itineribus illi significarunt caussam aduentus Imbraimi, hortatæque sunt, vt eo non exspectato, quamprimùm Alexandriam appelleret, statimque Constantinopolim versus cum thesauris suis proficiscereturr : se interim curaturas, vt iram Cæsaris aliqua ratione mitigare possint. Antequam igitur Imbraimus cum triginta sex triremibus Alexandriam peruenisset, Assan premonitus, iter cum duobus hominum millibus adornare cœpit : quod cùm Cairo significatum Imbraimo fuisset, Assanumque aduẽtus sui caussam ignorare arbitraretur, scripsit illi, vt ne se loco moueret : habere namque se quædam ardua Cæsaris negotia, quæ sibi cum illo communicanda essent. Sed Assanus sibi præcauens, se cum suis omnibus iam in viam dederat. Nec nisi quartodecimo ab ipsius abitu die (non enim citiùs poterat) Imbraimus Cairum peruenit. Scripsit tamen Alexandriâ Constantinopolim, Assanum Cairo profugisse. Mater verò cum vxore Cæsaris de reconcilianda gratia diligenter laborabant: & res iam eò deducta ferebatur, vt thesauros, qui ad duos milliones cum dimidio æstimabantur, Cæsari traderet, eiusdemque gratiæ & fidei sese totum permitteret. Tandem in arce carceri mancipatus, ibidem non multò pòst, fractis clàm laqueo ceruicibus, iustas auaritiæ pœnas dedit. Ministros autem eius prædictos Cairum deferri præceptum, vt ibi gratum extremi supplicij spectaculum populo exhiberent.

Vidi Obeliscum quadrangularem in ciuitate, qui est ex lapide rubeo porphyrite, characteres hieroglyphicos *Obeliscus porphyreticus Alexandria.*

insculptos vndique habens. Est cumprimis elegans & altus; licet inferior eius pars terrâ sit cooperta, quadraginta cubitis tamen, aut circiter, adhuc eminet: latitudo ad terram cuiuslibet anguli, sex vel paulò plus vlnas complectitur. Non procul ab eius latere, versus mare, extant sub terra non parua vestigia elegantis palatij, magno sumptu olim exædificati. nam parietes marmoreis tabulis tecti, similibus columnis sustentantur. Erat & aliud palatium superiùs, sed totum iam prostratum. Subterraneum illud, etsi ruderibus oppletum, forma tamen eius benè internoscitur. Sub ipso ciuitatis muro, & eius quadam rotunda turri, extant itidem elegantes marmoreæ habitationes, sub quibus & alia ampla & pulcherrima ædificia conspiciuntur, in quibus nonnulli Cleopatram habitasse volunt, quæ sibi vltrò mortem consciuit.

Montes ciuitatis Alexandrinæ.

Conscendi duos montes, qui sunt in ipsa ciuitate, satis altos. In primo est Turris excubiarum, non adeò alta, ex qua tot vexilla minora explicantur, quot naues portum ingrediuntur. Alter mons est eminentior Rossettum versus, ex quo ciuitas ipsa optimè conspicitur, & vsque ad muros vrbis extenditur: subtus sunt peramplæ palatiorum elegantiorum ruinæ, in quibus pulcherrimi marmoris copia reperitur. Hoc ipso die, & posteà sæpiùs, in longa & principali ciuitatis platea, vidi carcerem in quo S. Catharina detinebatur. Est paruus & depressus fornix: à quo non procul distant duæ altæ & crassæ columnæ, ex rubeo & integro marmore excisæ, inter quas dicta Virgo sancta martyrij coronam percepit.

S. Catharinæ carcer & martyrij locus.

In eadem platea longa & eius medio, quà Rossettum itur, est lapis quadrangularis, in quo S. Marcus Euangelista Alexandrinus Episcopus, capite fuit plexus. Locum hunc ipsimet Turcæ habent in veneratione: ob idque lapis eiusmodi, alia petra latiore ex industria parata contegitur, ne martyrij huius sancti viri locus, quem genui-

num

num esse affirmant, pedibus prætereuntium conculcetur.

22. Visitaui Ecclesiam sancti Marci, quæ non procul ab Obelisco distat. Est parua & obscura, quam Cophti seu Chaldæi obtinent. Eundo ad altare maius ad dextram, est fornix peranguſtus sub alio altari: vbi post martyrium, multo tempore corpus S. Marci repositum iacuit, donec à Venetis clàm surreptum (cuius rei recordatione, Cophti prænominati magno dolore & pudore afficiuntur) Venetias delatum est: de quo cùm extet Historia, ego scribere prætermitto.

25. Sangiacus Alexandrinus ciuitatem est ingressus: qui ab Imbraimo Bassa accersitus, è Cairo redierat. Habuit equites viginti, pedites Ianissaros totidem. Reliqui dies perlustrandæ ciuitati sunt impensi, quam pulcherrimis fuisse ornatam ædificijs apparet, quorum vastæ ruinæ supra & subtus terram conspiciuntur. Nunc omnia sunt desolata. Meo quidem iudicio, vix quinta ciuitatis pars, sparsim tamen, ab hominibus incolitur. Balneum nihilominùs est hîc amplum & elegans, à Solimanno Cæsare magnis sumptibus exædificatum, in quo nos quandoque abluebamus. Ex palatijs subterraneis facilè liquet, antiquitus aliam ciuitatem sub terra constitutam fuisse: in qua æstatis tempore, vitandi caloris causa incolæ habitabant; hieme verò ad superiores mansiones commigrabant. Ex multis subterraneis habitationibus nunc cisternæ sunt paratæ, in quibus ex Nilo aqua conseruatur, quæ per canalem in ciuitatem deriuatur. Sunt quædam cisternæ publicæ; quædam in priuatorum ædibus exædificatæ: in quibus aqua per totum annum pro vsu domestico seruatur: quæ si quando deficit, vt antè dictum est, nouem milliaribus, per mare, Rossetto aduehitur.

Balneum Solimanni Alexandriæ.

Alexandriæ subterraneæ ciuitas.

Aër Alexandriæ à mense Maio vsque ad primas Autumni pluuias (habentur enim hîc pluuiæ, & meo tempore parua quædam die vigesima septima Septembris decidit)

Alexandrinus aër insalubris, & cauſſa.

cidit) insalubris, & propemodum pestilens est. Quamobrem primarij ciues, & negotiatores illis diebus ab vrbe discedunt: nonnulli in suburbia ad maris portum commigrant. Qui verò in ciuitate degunt, sunt semper pallidi, & ægris colore persimiles. Caussam mali aëris, quidam ad palatia illa subterranea referunt: quæ desolata & humida varia serpentum & reptilium genera copiosè producunt. Humiditas igitur reptilium fœtori & veneno (sunt enim in Ægypto passim reptilia venenosa) permista, aërem inficit. Nonnulli paludem Mareotidem, seu Araæpoten, quæ vno & dimidio milliari abest à ciuitate, caussam mali existimant: in quam cùm Nilus sordes omnes, ex agris & campis, qui sunt ab illa Alexandriæ parte, collectas exoneret, multaque venenosa animalia comportet, spirantes per æstatem Etesiæ (quem ventum Caurum vel Maestrum vocant Itali) aërem putredine corruptum, in ciuitatem propellunt; quoadusque pluuiæ superueniant, quæ vento salubriore aspirante, pestiferas illas exhalationes dissipent & amoueant. Lacus siue paludis huiusmodi meminerunt, qui res Alexandri Magni scriptis consignarunt.

Mareotis palus.

Sed quæcumque tandem caussa sit, constat pessimum hîc aërem esse, noctu præsertim: quamobrem feneſtræ tabulis benè claudi & obstrui solent, ne aër in conclaue nociuus penetret, alioquin vita periculo exponitur: id quod & per me aliquoties deprehensum est. Nam statim vt quis, vel ad modicum, domo nocte prodibat, illicò capitis immensum dolorem, & debilitatem totius corporis contrahebat. Quamobrem incolæ ipsi, nocturni aëris deuitandi caussa, diligenter pannis quibusdam se, caput præsertim, inuoluunt.

Alexandriâ Turcis imminere periculum, & Terrâ sanctâ à Christianis occupatum iri.

Illud quoque hîc obiter annotandum, vnde cæcitas paganorum deprehendi possit. Habent Turcæ in Prognosticis (valdè enim magiæ & superstitiosis obseruationibus sunt dediti) Terram sanctam in potestatem Christianorum

rum redactum iri, die Veneris, scilicet Feria sexta, vbi in suas Moschæas ad deuotionem conuenerint. Quamobrem Damasci, vbi Palæstina principium sumit, Feria sexta, noctu diligens adhibetur custodia; & ciuitas vna hora, quàm ceteris diebus, maturiùs clauditur. Arcem Ierosolymitanam, de qua superiùs, nullus Christianorum ingredi permittitur: immò eam vel à longè contemplari non satis tutum. Et quoniam in suis vanis augurijs habent, per Alexandriam Christianos ad occupandam Terram sanctam transituros, veterem portum (qui à nouo, vt dictum est, & Historici attestantur, iniectione terræ ab Antonio separatus est) vel minimæ Christianorum naues ingredi prohibentur: quòd per eumdem, quamuis propter cautes & scopulos sit periculosus, Christianos irruptionem facturos persuasum habeant. Ad hæc cùm Feria sexta, quod circa meridiem fit, Moschæas ingrediuntur; contubernia seu Caruaserias Christianorum (quorum duo habent Veneti, Galli vnum, Genuenses, Ragusæi, ceteræque Europææ nationes) deforis suis serraturis claudunt. Ad quod munus, deputatos habent ministros, qui singulis Ferijs sextis, nos per mediam horam, tantum enim illorum superstitiosa deuotio durat, claudebant. Christiani quoque ijsdem diebus & hora per ciuitatem non ambulant, sed ad sua domicilia, antequam claudantur, se maturè conferunt; ne in quam suspicionem deueniant, vnde illis periculum creari possit. Noctu quoque prædicta contubernia à Turcis obserantur, ne calumniari possint, Christianos conuenticula facere vel aliquid moliri. Studiosè namque caussas perquirigant, quibus mulctas emungere possint. In ipsis etiam Caruaserijs semper est aliqua Turcarum custodia, quæ obseruet, nihil tale Christianos moliri, vnde calumnia strui possit. Mos hic ab antiquo, propter maiorem negotiantium securitatem, Alexandriæ receptus, diligenter obseruatur.

Alexandriæ negotiatorũ frequentia.

Quandoquidem ciuitatem hanc, vt nobiliſſimum Orientis emporium, non pauci accuratè deſcripſerunt, ego diutiùs hîc immorari nolo: illud vnum addam, ex omnibus Chriſtianorum nationibus, maximam hominum, diuerſorumq́; nauigiorum hîc frequẽtiam reperiri. Erant meo tempore quindecim ſpectandæ magnitudinis Galeones, quorum vnus mille quingenta dolia capiebat. Alterum ſimilem, cum centum Cecchinorum millibus, duæ Melitenſium triremes in poteſtatem redegerunt, non procul ab Alexandria. Vnus itidem, proſpero vento adiutus, impetum duarum ſimilium triremium euaſit, ictu tormentorum bellicorum valdè perforatus. Nam quatuor Melitenſium triremes, duos Galeones inuaſerant.

Bis in æſtate ſimilium Galeonum Carauana, quæ quandoque vicinas naues comprehendit, Conſtantinopoli Alexandriam appellere ſolet. Galeones autem eiuſmodi ad Conſtantinopolitanos mercatores pertinent, qui merces quidem paucas, pecuniæ autem non contemnendam vim aduehunt, pro qua orizam, ſaccharum, triticum, dactylos, & alias merces, quæ Mecha, & ex Arabia Felici Cairum importantur, in magna copia coëmunt. Nam etſi Conſtantinopolis ſit in loco fertili ſita, maiore tamen ex parte, quæ ad victum pertinent, ab Ægypto mutuatur. Prima vice Galeones eiuſmodi Conſtantinopoli menſe Martio ſoluunt, in Iunio reuertuntur; altera vice menſe Auguſto prodeunt, ſub finem verò Octobris redeunt. Semper autem, ſiue Alexandriam, ſiue Conſtantinopolim petant, tempus obſeruant, vt vento proſpero Rhodum primò adnauigent; inde habita itidem temporis ratione, quò volunt curſum inſtituunt, & mira celeritate abſoluunt. Propter ſecuritatem verò, Turcarum triremes quæ in Archipelago verſantur, ſex & viginti circiter, eoſdem Galeones deducunt. Cùm eſſem Alexandriæ, Generalis Occhiali cum eiuſmodi triremibus indies expectabatur. Iam enim

Conſtantinopolis ab Ægypto victum mutuatur.

Galeo-

Galeones vela facere debebant, nisi quòd tempus exspectabant, futurę tempestatis metu, quam signis quibusdam nauticis præuidebant, & nos nauigando, vt dicetur paulò pòst, experti sumus. Duo igitur Galeones prædicti, quorum vnum Melitenses prehenderant, seorsum ab illis, qui à triremibus deducebantur, nauigabant; quòd Rhodo tardiùs discessérant, in tormentorum bellicorum copia spem reponentes. Et certè si ventum propitium habuissent, non erat cur à Melitensibus sibi metuerent. Vbi verò nauis oneraria vento caret, etiamsi validissima sit, tribus vel duobus etiam triremibus resistere non potest. Illa igitur vna, vento adiuta, periculum euasit. Quatuor ante meum inde discessum diebus, trecentæ Dzermæ cum tritico simul appulerant: è quibus frumentum eiusmodi, in Galeones qui erant in portu, comportabatur.

Nec illud prætermittendum, portum Alexandrinum eo priuilegio gaudere, (cuius immunitatem etiam nunc Turcæ, limitatè tamen, conseruant) vt liberum sit quibuscuis, etiam inimicis nauibus, illum ingredi & egredi cùm adlibuerit. Hispani tamen huic concessioni non fidunt, nec eorum naues huc commeant. Florentinæ naues portum nihilominùs frequentabant, in quo tutum receptum habebant; sed cùm ad viginti milliaria in altum mare processissent, Turcarum triremes illis occurrerunt, & vnam ceperunt, duæ vel tres reliquæ fuga sunt elapsæ. Eas ideò Turcæ infestabant, quòd triremes S. Stephani Florentinę, excursiones maritimas facientes, non exigua damna Turcis inferre soleant: quod etiam paulò antè quàm Cyprum appulissem, acciderat, vt suo loco dictum est. Excursiones istæ eiusmodi propè sunt, quales nostrates Kosaci in campos effusi exercere consueuerunt: quibus si res feliciter successerit, benè est; sin minùs, damnum vel interitum non magni æstimant. *Alexandrini portus priuilegium.*

Portus Alexandrinus, est valdè capax & apertus; ideóque

que hieme parùm ſecuras habet ſtationes. Quamobrem naues Turcicæ, vt & Galeones ſupradicti, apud arcem maiorem ſubſiſtunt, quę eſt ad dextram in ipſo portus ingreſſu; ibi enim rupes in mare procurrunt, quæ venti violentiam cohibent. Eſt in extremitate vna ſatis alta, quæ propter diducta in ipſo vertice cornua, Garyophyllus vocatur. Ad hanc naues vento adactæ ſæpiùs alliduntur; quandoquidem verſus arcem alteram, quæ in portus ingreſſu ad dextram eſt poſita, acceſſus propter rupes minùs tutus eſt. Sed & in medio quoque portu non deſunt ſcopuli, qui naues ſæpiùs diſſipant, & tranquillo ac ſereno mari è ſuperioribus locis facilè conſpiciuntur. Arx ab arce iuſto diſtat ſpatio: naues tamen per medium ingredientes, ab vtraque miſſilibus tormentorum globis attingi poſſunt: quo argumento, quanta ſit portus in ipſo oſtio latitudo, facilè deprehendi poteſt. Arx, quæ eſt ad dextram, magna ſatis & munita eſt: altera ad læuam minor eſt, & quòd ſcopulis pluribus ſit præcincta, artificioſam munitionem non habet. Circa portum veterem, quem Chriſtianis ingredi nefas eſt, duo ſunt parua propugnacula; vnum verſus ciuitatem, verſus mare alterum, non procul ab Arſenali, quod huic eidem portui adiacet. Triremes hîc ſtationem habent: quarum quatuor tantùm pro cuſtodia portus Alexandrini, meo tempore erant, neque ſatis benè (vidimus enim ſæpiùs) inſtructæ.

Garyophylli rupes Alexandriæ.

Erat Cairi Ianiſſarus quidam mediocriter canis aſperſus, natione Heluetus: qui ante triginta annos in quodam Italiæ littore à piratis captus, ſeruitute adactus, Mahometiſmum ſuſceperat. Is libenter mihi ibidem in Cairo inſeruiebat, de pecuniaria mercede non adeò ſolicitus, dummodò cibo, quem parcè ſumebat, vinum adijceretur, quo ſe aſſiduè ingurgitabat. Nam in tanta hominum multitudine, non facilè vitium hoc deprehendebatur: nec tanta, vt alibi, fit in illud animaduerſio. Totum namque hoc

Heluetus Ianiſſarus.

nego-

negotium ab ipso Bassa dependet: qui si sobrius fuerit, in ebrios inquirit, eosque castigat; si verò libenter & ipse vinum bibat, in peccantes pœnam hoc nomine non extendit. Conscientiâ igitur Ianissarus ille stimulatus, clàm petiuit, vt in Europam abduceretur, & hac intentione Alexandriam nobiscum venerat. Vnde antequam solueremus, diebus aliquot, cum ijs qui rerum ibidem vsum habebant, consilia communicabam, qualiter iste miser iuuandus & educendus foret. Nam palàm simile quid attentare non licet; occultè verò perpetrare, plena res periculi, propter exploratores, qui diligentiùs obseruant, num eædem illæ res quæ ad portum deferuntur, in nauim inferantur: insuper & nauem è portu iam iam soluturam, liberum est illis ingredi, & euoluere: in qua si Turcam educi repertum fuerit; & nauis cum mercibus fisco adiudicatur, & omnes qui in eadem fuerint, absque omni remedio, in perpetuam seruitutem abducuntur, ex religionis ipsorum præscripto. Quamobrem nullus suadebat, vt in tantum periculum, hominis istius caussa, me conijcerem: cui cùm hoc renuntiassemus, flebat miser ille, nobis valedicens tenerrimè: & mihi lacrymas excussit, qui libenter ea in re gratificaturus illi eram. Habebam autem ibidem & duos Italos, quorum vnus Ascanius erat, ex territorio Romano, in littore quodam à piratis abreptus, anno primo Pontificatus Pij eius nominis Quinti: qui cùm in seruitute per decemseptem annos apud Sangiacum quemdã versatus fuisset, quorum quindecim in triremibus exegerat, pretio se in libertatem vindicare conabatur, ad quod persoluendum, cùm illi residuum deesset, petiuit id à me suppleri. Alter fuit Andreas Siculus piscator, per celoces ex Barbaria excurrentes ibidem in Sicilia captus; quem centum & aliquot scutis aureis redemi, cùm decem & aliquot annos in carcere delitescens, iam canitiem contraxisset. Vtque Ascanius ille

Vini vsus apud Turcas à Bassis dependet.

Christianos Turcas factos educendi ex Turcia difficultas.

Christiani ab auctore redempti à Turcica seruitute.

vir bonus & pius, sic iste pessimus & impius fuit. Nam in mari nauigans, semper blasphemabat; & adeò terribilem ferocemque se ostentabat, vt palàm iactare non dubitarit: Vbi primùm, inquit, in Siciliam rediero (habebat autem vxorem & liberos) si vxorem alteri nuptam inuenero; statim illam, post salutationem, cum liberis & secundo marito interficiam. Cumque eum hoc nomine reprehenderemus, indignissimè ferebat. Duos itidem alios egregios iuuenes Italos redemi, quos Cairi reliqui, vt eos Consul Marianus in Italiam remitteret. Nec enim rationibus meis expedire iudicabant aliqui, si innotesceret, tot me simul redemptos circumducere: vnde verisimiliter conijci potuisset, nos multum pecuniæ habere. Hi, tamquam Christiani, poterant omnes redimi in Cairo, consensu tamen Bassæ accedente, qui emolumentum etiam inde percipit. Nam is qui pretium serui redempti percipit, aliquid etiam Bassæ contribuere tenetur, à quo literę patentes eliberatis dantur: alioquin è portu Alexandrino non dimitterentur. Ceterùm huic, qui Mahometismum professus est, discedere non liberum, nisi clàm; quod cum maximo periculo coniunctum anteà diximus.

Pridie quàm Alexandria discederem, venit ad me Italus quidam Ioannes, cum duobus alijs qui mercatoribus inseruiebant; loquebatur Hispanicè satis expeditè; prouolutus ad pedes orauit, vt eum à seruitute Turcica redimerem. Erat autem is ex vna triremium, quæ semper sunt in portu propter custodiam. Deferebat compedes, vt serui solent: miseriam suam enarrabat: dicebat se esse Chirurgum, & in rebus ad medicinam spectantibus satis benè versatum, promittebat se fore fidelem, & meum perpetuum seruum, dummodò à Turcarum iugo, triremi præsertim, eliberaretur. Professio medica, qua se imbutum iactitabat, non tanti apud me erat, vt mihi, quod postulabat, persuaderet, maximè quòd iam haberem Chirurgum bonum

num Antonium Genuensem Italum, quem in locum demortui assumpserã; nec tutum videbatur, homini ignoto curam valetudinis concredere. Sed calamitas tamen & miseria ipsius me permouit, vt eum redimerem. Et quoniam habebam leopardos, capricornos, ceteraque animalium & auium exoticarum genera, eorũ curam eidem in naui demandaui. Benè se gessit, coactus, nempe quamdiu fuit in mari. Sed posteaquam Cretam perueni, duas hebdomadas commoratus, vbi res nonnullas furto abstulisset, profugit; quod non nisi quarto die à meis compertum est. Et quoniam minutiora quædam desiderabantur inter familiares meos, res mihi sensim innotuit: nam cum quatuor meis in palatio Ducis habitabam; ceteri in Monasterio S. Francisci erant. Quamuis non vrgerem, missi sunt, qui eum perquirerent: mihi quidem satis erat, quòd à Turcis eliberatum, ad Christianos aduexissem. Repertus tandem est, ex illa parte montis Idæ versus Barbariam: & mirum cur se eò contulerit, vnde exitum nullum habiturus erat: quidnam in animo haberet, non constabat. Comprehensum volebant extremo supplicio afficere: sed eum etiam denuò non solùm à morte, sed etiam à triremi eliberaui, ad quam omnino condemnandus erat. Duplici namque dolore cõflictari me oportebat; tum ob mortem hominis, tum quòd per me centum aureis redemptus, laqueo suspendendus erat. Restituit igitur ea, quæ meis furto abstulerat: pecuniæ modicum quid consumpserat. Denuò mihi volebat inseruire: sed reieci. Conscenso deinde Galeone nouo, qui in Italiam expediebatur, abijt: nec quid posteà cum illo sit actum, intelligere potui.

Mercator quidam Venetus, qui Cairi multis annis mansit, non dubitanter affirmauit, quòd redemptitij isti, vix ad aliquam bonam frugem perueniunt. Quod equidem sciret, ad duo millia seruorum eiusmodi fuisse liberata suo tempore: è tanto verò numero vix quinquaginta

Christiani redemptitij à Turcis rarò bonæ frugis.

vel sexaginta bonos euasisse; reliqui furabantur, latrocinia & cædes perpetrabant: vnde & extremo supplicio affecti fuêre. Nonnulli ex illis, quod horrendum est, in libertatem vindicati, impio Mahometi nomina dedêre. Id quod valdè probabile est. Nam non habentes vnde viuerent, neque modum ad suos in Europam redeundi inuenientes, degustata libertate, ne iterùm in seruitutem deuenirent, hac ratione sibi prospectum voluerunt. Adducebat etiam idem, morales, at non Catholicas rationes. Quem Deus, inquit, in seruitute & captiuitate versari permiserit, is faciliùs à peccatis abstinebit. Sed rationes eiusmodi subsistere non possunt; quandoquidem de captiuorũ liberatione diuersum extat Christi Saluatoris præceptum.

Animalia multa & varia reperiuntur Alexandriæ venalia; quorum & ego aliqua coëmeram, & mecum in Europam adduxeram: leopardos duos; glires Pharaonis duos, quorum similes per ædes priuatorum Alexandriæ, & per campos, præsertim in Syria, multos videre mihi sæpiùs contigit: felem Zibetum odoriferum, quem cùm essem Tripoli, curaueram Apamææ pro me emi: cynocephalos marem & feminã, pilo subrubeo, à ceteris diuerso; femella, quoties puer aliquis paruus aut femina occurrebat, statim eosdem morsu petebat; viris adultioribus parcebat: simiolos varij generis decem & aliquot, quorum potior pars aquis obruta, cùm apud insulam Carpathos tempestate iactaremur. Psittacos etiam elegantes habebam. Capricornos tres eduxeram; quorum duo in mari expirarunt. Animal hoc incredibili pedum pernicitate plurimùm valet; qua per asperrimas rupes, licèt pedes graciles cumprimis habeat, cum spectantium admiratione dexterrimè vtitur.

Est & altilium genus in maxima copia circa Alexandriam, illi non absimile, quas Parduas vocamus, quæ volare non possunt, sed adeò velociter currunt, vt à canibus prehen-

prehendi nulla ratione possint, nisi in retia præparata incidant. Cibo alio non vtuntur, præterquam glareis ex arena depromptis. Est auis præpinguis,& optimi delicatiq ue saporis, sed ad vescendum valdè periculosa, si recens sit. Nam vbi aliquoties ex eo genere aliquis comederit,moritur. Caussa rei adfertur, quòd cùm alites eiusmodi lapillis pro cibo vtantur, vbi ijsdem aliquis intemperanter vescitur, in hydropisim incidit, atque ita mortem sibi accelerat. Deplumatæ igitur sale primùm asperguntur,& per noctem ita asperſæ asseruantur: posteà assantur, & in acetum imponuntur; quo maceratæ valdè sapidæ & salubres redduntur. Idem fit & cum alijs paruis auiculis, similibus nostris quas Cize dicimus. Volant, & sunt pingues. Harum in Cypro etiam habetur copia: sed aceto similiter macerari debent. Qui Arabiam Felicem peragrarunt,narrant Parduas eiusmodi ibidem reperiri. nonnulli easdem illas esse volunt, Iudæis in deserto cælitus missas, quas sacra Scriptura coturnices appellat.

Circa montem Horeb in territorio Sinai, manna quoque veluti in Calabria prouenit, minùs tamen candida,ad rubedinem vergens. Vidi eamdem Cairi,quæ etiam vim purgandi habet. Talem è cælo Iudæis datam affirmant nonnulli:vtrumque tamen comprobare non possunt. *Manna mõtis Sinai.*

In deserto illo arenoso,versus mare rubrum,ingens habetur struthionum multitudo: quos Arabes conspicati, quandoq; in modum coronæ à longè cingunt,& in vnum globum coactos inuadunt & occidunt.Sed quoniam Arabes carnes non comedunt,nec pennas, quarum ingentem vim mercatores aliàs distrahunt,facilè diuendere possunt, rariùs eiusmodi venationes exercent, cùm vix inde lucri aliquid,lassitudinem verò equorum notabilem reportent. Nam struthio celerrimè currit,alarum beneficio adiutus: vt apud nos maiores illæ aues, quas *Dropy* dicimus, facere solent,currentes antequam altiùs euolent. *Struthiones & eorum venatio.*

Dromedarij & eorum celeritas.

Cùm ſpectaremus Cairi Turcarum certamen equeſtre, quod, vt ſuperiùs diximus, ſingulis hebdomadis die Veneris à prandio, exercitationis cauſſa inſtituitur, venit eò Æthiops nudus inſidens dromedario. Cameli genus id cumprimis expeditum, paſſu gradarij adeò celeriter currens; vt equus etiam citatiore greſſu, illum æquare non poſſit. Hic per poſtas, vt vocant, Mechâ aduenerat. Curſus autem ratio talis adhibetur, vt quintadecima die Mechâ Cairum perueniatur. Curſor vnus dromedario per continuos quinque dies inſidens proficiſcitur: rurſus alius alium dromedarium conſcendit, & quinque alios dies progreditur: tandem tertius, quinto itidem die, tertio iumento vectus, Cairum defertur. Idem profectionis ſeu curſus publici mos, Cairo Mecham redeuntibus obſeruatur. Curſor vicem ſuam obiturus, tantum comedit, quantum in quinque dies ſufficiat, nec cibum alium præterquam paucos dactylos ſecum defert. Panis etiam nullus reperitur in illis locis deſertis, arenoſis, & petroſis: ſed nec aqua, niſi quinto demum die. Dromedarius quoque, aquę potum in ſextum vſque diem differre poteſt: cibus eius paſtilli è farina triticea confecti, quos non adeò multos curſor deferre poteſt, ideoque parcè illum reficit. Aquam nec in ſuos quidem vſus circumfert: quam etſi haberet, dromedario danda non eſſet. Nam vt quidam affirmant, ego non auſim, ſi in vaſe aliquo deferretur, eam odoratu deprehenderet, ſitimq; ſtatim contraheret, propter quam, præfixam quinque dierum itineris continuationem proſequi non poſſet. Quies illi perquam exigua. Nam per viginti quatuor horas, ter tantùm ſubſiſtit curſor propter opus naturæ. Dromedarius eundo vrinam emittit. Cùm deſcendendum eſt, bacillo pedes percutit ſeſſor, atque ita dromedarius in terram procumbens, deſcendendi facultatem commodam illi præbet; qua modicum vſus, cœptum iter proſequitur.

In-

Incolæ Arabiæ desertæ, numquam pane aut carnibus, sed dactylis tantùm vescuntur: lacte caprino valdè salubri sustentantur: aqua illis potus est: atque hac de causa vitam producunt, & plerumque centesimum ætatis annum attingunt: valetudine prospera vtuntur: forma sunt corporis egregia. Equis pro pabulo carnes caprinas offerunt; quas primò in sole desiccant, & deinde in minuta frustula concisas, equis præbent: quæ & magnum nutrimentum vescentibus administrant, & paruo negotio in capsula coriacea, equo alligata, per deserta loca, circumferuntur: de quibus si tantum sumatur, quantum duo pugilli capere possunt, id per viginti quatuor horas, vni equo pro pabulo affatim sufficit. Carnes insuper eiusmodi, sitim equis non excitant, in illa aquæ penuria, eosque validos & agiles conseruant: quos à teneris ita educant incolæ, vt non nisi ad nonum diem materna fugant vbera; postea lac illis camelorum apponitur, ne materno debiles efficiantur. Ita & formam naturalem cumprimis elegantem retinent; & vires cameli, eorum lacte hausto, acquirunt: quod etiam à siti mirificè præseruat, cùm in partibus illis aqua, thesauri instar, æstimetur. Cùm inhabitantibus Cairum & Alexandriam narraremus, nos Europæos vbique aqua abundare; respondebant, nos immortales haberi posse, qui aqua recenti & dulci semper abundaremus. Cùm Cairi panem illis obtulissemus, quem illi *Chops* vocant, eo vesci recusabant; sed panno inuolutum asseruantes, dicebant se ad suos perferre velle, vt ostenderent, quid nos manducaremus: quòd si panem itidem & illi manducarent, eos facilè morituros. Vidi & Alexandriæ vnum dromedarium, cui Arabs Rossetto adueniens insidebat. Boni velocis gradarij passum habet animal hoc, & ad iter accelerandum plurimùm valet: sella namque illi imponi potest; cùm vnum tantùm gibbum habeat, non duos; vt ceteri cameli, qui onera deferunt.

Arabiæ desertæ incolarum victus.

Equi carnes comedentes.

Reliquis

Reliquis Septembris diebus, quæ in ciuitate, extra, & ad portum digna viſu occurrebant, inſpiciebam. Neque enim diſcedere celeriùs potuimus, propter Sangiacum, qui à noſtris quatuor nauibus, quæ ſimul vela facere conſtituerant, multum pecuniæ exigebat. Conuenerunt ad extremum cum illo mercatores, non exigua illi ſumma numerata: cumque ventus eſſet contrarius, non niſi nona die Octobris inde ſoluere potuimus.

OCTOBER.

Nona die Octobris conſcendimus Saitiam noſtram na- 9.
uem, hora circiter decimaquinta: decima verò ſexta è portu promouimus: ſub veſperam hora vigeſimatertia, littus Barbariæ conſpiciebatur. Die inſequenti nihil continentis apparebat, quam non niſi die decimaſeptima menſis eiuſdem, manè tandem conſpeximus. Quatuor ſimul vno eodemque die naues è portu ſoluerunt. Vna fuit Gallica noſtrâ maior, quæ primò in Siciliam, inde Maſſiliam petebat. Hæc parum aberat, quin portum egrediendo, ad ſcopulum ſeu rupem Garyophylli allideretur. Nam vela, citiùs quàm in hoc portu oportuit, ſunt expanſa, vento inter Boream & Aquilonem acriter ſpirante, quem Itali *Græco Tramontana* vocant. Vix decem cubitorum tractu nauis aberat à periculo. Iamque voces periclitantium, miſerabiliter clamantium, audiebantur. Nauis enim gubernator, rerum peritus, periculosè decumbebat: qui verò vices eius gerebant, minùs cautos in præternauigando ſcopulo periculoſiſſimo ſe præſtiterant. Altera nauis Galeon Peraſto vocabatur; in qua ego nauigare debebam. Sed quoniam eius Patronus, alia naui pro ſe empta, nautas peritiores in eam tranſtulerat, illa verò multùm onerata, nuſquam diuertere debebat, diſſuadebant aliqui ne me eidem committerem. In Galeone hoc quòd mercatores erant prædiuites, Capitaneo honorarium dederunt, & effecerunt,

fecerunt, vt duæ Turcicæ triremes, è portu eos in altum extraherent. Posteà nauis hæc tempestate Cyprum delata est. Tertia nauis erat Patroni, qui rectà Venetias cursum dirigebat. Hanc itidem vna triremis Turcica extra portum deducebat. Quarta nauis erat nostra Saitia Gallica non adeò magna, quam conduxi, vt me Cretę exponeret, quòd inde triremibus in Europam deferri poteram, per ditiones Venetorum, in quibus etiam subsistere commodum erat, si propter instantem hiemem nauigatio periculosior incideret; maximè, quòd cùm priùs isthîc essem, multorum notitiam mihi conciliauerim. Conueneram cum nauclero, vt in portu deserto, qui nunc Callolimioni vocatur, cuius etiam diuus Lucas meminit, exponeret, propter ipsius commoditatem, & quòd minùs ab Alexandria distet: tum quòd in Archipelagum ingredi, ad exponendum me in aliquo portu, non auderet; quòd iam hiems appropinquaret, neque ex mari Mediterraneo eò vela dirigere tutum esset. Sed omnia hæc posteà fuere in-
15. uersa. Nam die quintadecima Octobris, circa vigesimam secundam horam, tempestas atrox consurgens, quatuor hasce naues, quæ eumdem cursum tenere debuerant, per mare hinc inde disiecit, nostram præcipuè Saitiam, quæ minor ceteris erat, terribilem in modum ventis iactitauit; donec circa medium noctis S. Germanus nobis illuxit, quem hac eadem nocte sexies vidimus, atque ita tempe-
16. stas conquieuit. Die insequenti etiam iam adueſperascente, ventus validissimus superueniens, nos tota nocte in
17. maximum periculum coniecit. Die verò decimaseptima, paulò ante vigesimam secundam horam, adeò procellosus turbo nos concutiebat, vt spem euadendi omnem abijceremus. Nam duo venti contrarij Africus & Aquilo (Italicè *Garbino* & *Græco*) inuicem horrendum in modum deprœliantes, validissimo flatu & imbre, nauem adeò in gyrum versabant, & in ima deprimebant, vt fluctus intu-

Callolimioni portus. Actor. 27.

Tempestas atrox.

meſcentes ſuperior arboris pars attingeret. Euacuabamus nauem quantum licuit, lapides videlicet eijciendo, cùm nullę nobis eſſent merces: ſed neque, propter turbinis violentiam, ea res adiumento nobis fuit, cùm nihilominùs fluctus in nauem tanto impetu inſilirent, vt iam iam ab illis abſorbendi videremur. Cumque nox eſſet obſcuriſſima, & tonitrua ac fulgura ſubinde terribiliter coruſcarent, viderunt nautæ inſulam geminis rupibus in altum conſurgentem: qua viſa exiſtimabant nautę nos in Archipelagum delatos ad inſulas duas deſertas, quæ non adeò magno interuallo à ſe diſiunctę, paſſim Diuonię appellantur. Cùm igitur in extrema neceſſitate ſe conſtitutos viderent, quòd Saitia parua eſſet, depoſitis velis, in medium nauem deducere ſatagebant, vt in tam atroci tempeſtate, ſibi quacumque tandem ratione conſulere poſſent, naui inter duas inſulas conſtituta, vbi minùs à ventis impeteretur. Cumque iam non procul inde abeſſemus, ſingulari quadam diuina ordinatione, nauta, ex ſummo nauis malo, quòd coruſcationes perſeuerarent, animaduertit, vnam tantùm eſſe inſulam, quæ propter duas rupes eminentes, duarum illarum, inter quas nauem adducere conſtitutum erat, ſimilitudinem exprimebat. Quamobrem velis omnibus demiſſis, vnum tantùm appenſum remanſit, Trinchiettum vocant, vt inſulam præternauigare liceret. Ceterùm cùm iam Saitia vi tempeſtatis propemodum demergeretur, & ventorum violentia concuſſa, ita rimis fatiſceret, vt aſſiduè aquam è ſentina exhaurire fuerit neceſſe; nauarchus omni præſidio deſtitutus, palàm enuntiauit, nullam ſpem ſalutis reliquam ſupereſſe, & nos naufragio ibidem perituros. Quo triſti nuntio, quilibet de anima ſua ſolicitus, Deo ſeſe permittens, extremam horam exſpectabat.

Diuoniæ inſulæ.

Inter-

IOB CAP. XXXVI.

Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum, et fulgurare lumine suo desuper, cardines quoque maris operiet.



PSALMO CVI.

Qui descendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis:
Ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia eius in profundo.
Dixit, et stetit Spiritus procellæ: et exaltati sunt fluctus eius.
Ascendunt vsq; ad cælos, et descendunt vsq; ad abyssos: anima eorum in malis tabescebat.
Turbati sunt, et moti sunt sicut ebrius: et omnis sapientia eorum deuorata est.


PSALM. CIII.
Quàm magnificata sunt opera tua Domine! omnia in sapientia fecisti: impleta est terra possessione tua.
ESAIÆ CAP. XLIII.
Noli timere, quia ego tecum sum: ab Oriente adducam semen tuum, et ab Occidente congregabo te. Dicam Aquilonì; Da: et Austrò; Noli prohibere: affer filios meos de longinquo, et filias meas ab extremis terræ.
IEREM. CAP. X.
Ad vocem suam dat multitudinem aquarum in cælo, et eleuat nebulas ab extremitatibus terræ: fulgura in pluuiam facit, et educit ventum de thesauris suis.
NAHVM CAP. I.
Dominus in tempestate et turbine viæ eius, et nebulæ puluis pedum eius: Increpans mare et exsiccans illud, et omnia flumina ad desertum deducès.
ECCLESIASTICI CAP. I.
Arenam maris, et pluuiæ guttas, et dies sæculi quis dinumerauit? Altitudinem cæli, et latitudinem terræ, et profundum abyssi quis dimensus est?
ECCLESIASTICI CAP. XVI.
Et vias illius quis intelligit, et procellam quam nec oculus videbit hominis?



PSALMO CVI.

Et clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur: et de necessitatibus eorum eduxit eos.
Et statuit procellam eius in auram: et siluerunt fluctus eius.
Et lætati sunt quia siluerunt: et deduxit eos in portum voluntatis eorum.

PSALMO LXXVI.

Deus in sancto via tua: quis Deus magnus sicut Deus noster? tu es Deus qui facis mirabilia.

SAPIENTIÆ CAP. XIIII.

Tua, PATER, PROVIDENTIA gubernat: quoniam dedisti et in mari viam, et inter fluctus semitam firmissimam, ostendens quoniam potens es ex omnibus saluare, etiam si sine arte aliquis adeat mare. Sed vt non essent vacua sapientiæ tuæ opera: propter hoc etiam et exiguo ligno credunt homines animas suas, & transeuntes mare per ratem liberati sunt.

PSALMO LXXVI.

Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ: et timuerunt, et turbatæ sunt abyssi.

ISAIÆ CAP. XL.

Quis mensus est pugillo aquas, et cœlos palmo ponderauit? quis appendit tribus digitis molem terræ, et librauit in pondere montes, et colles in statera? Quis adiuuit Spiritum Domini? aut quis consiliarius eius fuit, et ostendit illi? Cum quo iniit consilium, et instruxit eum, et docuit eum semitam iustitiæ, et eruditit eum scientiam, et viam prudentiæ ostendit illi?

PSALMO LXXVI.

Illuxerunt corruscationes tuæ orbi terræ: commota est et contremuit terra.

Intereà plus quàm media nocte transacta, S. Germani sidus conspeximus, statimque Aquilo impetum aliquantùm remisit, vt Africus iam validiùs Saitiam propelleret, quæ hac ratione insulam præterijt. Septies nobis S. Germanus apparuit, & ad vicem quamlibet, Aquilonis vehementia magis ac magis imminuebatur: atque ita dies appropinquare cœpit: cumque illuxisset, deprehendimus insulam, ad quam vela direxeramus, fuisse Casso dictam, totam desertam, & rupibus arduis horridam: quam si attigissemus, in scopulos & cautes nobis incidendum cum extremo periculo erat, qui noctu videri & vitari propter fluctus consurgentes haud poterant: iuga tantùm præcelsarum rupium, per coruscationes, aspectui sese offerebant. *S. Germani sidus.* *Insula Cassus.*

18. Die decimaoctaua conspeximus insulam Rhodum: & per integram hanc diem, & noctis partem, maximo vento iactati sumus: qui S. Germano apparente statim conquieuit, & noctis residuum tranquillitas occupauit. Sequentem diem totum oberrando consumpsimus inter Rhodum & Carpathum insulam (Italis *Scarpanto*) in qua Palladem natam & educatam Poëtæ fabulantur. Cumque nauclerus situm loci perspectum non haberet, appropinquare, naufragium timens, non audebat, donec vesperi in quodam promontorio ignes insulani accenderent (moris enim est, vbi incolæ nauem erraticam conspexerint, igne suscitato nautis signum dare, quo loco tutò accedere possint) quibus visis tota ferè nocte insulæ oras legebamus. Circa horam quartam noctis, densissima nube, absque pluuia, prorepente, S. Germanus comparuit: statimque & ventus cessauit, & nox serena esse cœpit. *Rhodus insula.* *Carpathos.*

Sunt nonnulli qui affirmant, cùm naturalis sit eius luminis prouenientis causa, illud non apparere, nisi quando pluit. Itaque hîc annotandum putaui, etiamsi hoc tempore nulla fuerit pluuia, lumen tamen hoc resplenduisse, & ventum subitò consedisse.

Manè

Manè vigesima Octobris, accedentes ad insulam, par- 20.
Portus Agata. uum portum tenuimus, anteà dictum Portum Agata, qui minores tantùm naues admittit. Fixis anchoris, rimas nauis obstruere, & pice obducere cœpimus, affirmantibus nautis, si per duas horas tempestate iactata fuisset, nauem Saitiam vnà nobiscum fuisse interituram. Descendentes in littus victui necessaria à Græcis coëmimus. Nam pulli gallinacei quos habebamus, fluctibus in naui suffocati fuerunt. Quamuis hæc insula Turcarum sit, & Capitaneum eiusdem gentis habeat, Græci tamen homines, vt & in ceteris Archipelagi insulis, arua & vineas excolunt.
Turcæ à Græcis vasallis sibi cauent. Turcæ verò de commeatu prouisi, in præsidijs arcium se continent, nec vsquam Græcorum metu prodeunt. Cùm verò pendendi tributi tempus aduenerit, aliquot triremes cum Ianissaris insulas eiusmodi accedunt, & ab incolis census exigunt. Oppida aliquot exigua in hac insula ad latus conspiciebantur, ad quæ tamen naues non accedunt, cùm portu careant. Ab eo loco, vbi descenderamus, non procul aberat villula Lare dicta.

Die sequenti manè, cùm Aquilo seu *Græco* potiùs in- 21.
surgere cœpisset, cui obstaculum nullum erat oppositum, extractis anchoris, mare ingressi sumus, credentes nos rectà Cretam delatum iri. Sed vento denuò mutato, hac & insequenti vigesima secunda Octobris die, circa insu- 22.
lam Cassò prædictam ventos inaniter captabamus. Tan-
Creta secunda vice. dem vigesima tertia die manè Cretam appulimus, ad Pro- 23.
montorium Salomonis, antiquitus Samnium: de quo in
Cap. 27. Actis S. Lucas. In monte, iusto interuallo, est turricula, in qua excubiæ propter piratas aguntur. Vt primùm anchoras iecimus, relatum nobis fuit, quòd vno die antè, Saitia illa, quæ nobiscum Alexandriâ soluerat, & Siciliam versus discesserat, tempestate quoque eò delata fuerit, adeò conquassata, vt rimas quoque obducere nautę fuerint coacti. Nauarchus verò, qui æger Alexandriâ discesserat, in mari

mortem

mortem accelerauit,& hîc in littore ſepultus eſt. Hæc eadem Saitia, quòd non procul Venetorum ciuitas Sitia abeſſet,ad littus accedens,indicauit me eò venturum. Antonius namque Barochi mercator hac de cauſſa ad Gubernatorem, quem iſthîc Rectorem vocant, acceſſerat. Itaque aduentus meus exſpectabatur.

Quoniam ſæpiùs commemoratum eſt, Saitias naues ventorum impetu conquaſſatas propemodum interijſſe, nemini mirum id videri debet. Certum etenim & comprobatum eſt,nauigia,quæ vel vetuſtate, vel artificum incuria debilitatem aliquam incurrerunt, exorto turbine, fluctibus grauiter contundi ſolere;eoque tempore in prę-ſentiſſimo periculo verſari. Nam vbi nauis in arenam vel ſcopulum impegerit, ex littore propinquo faciliùs enatandi ſubſidium miniſtratur,& tabularum confractarum natatu multi euadunt. Sed naue in alto mari diſſipata, quæ euadendi ratio? etiamſi quis tabulæ adhæſerit,fluctibus à turbine agitatis,opprimitur;vel vbi à terra remotior eſt,fame & frigore moritur.

Antonij Veneti nauigatio.

Antonius hic, cuius ſuprà meminimus, multas orbis partes peragrauit. Nam bis in Orientali India fuit, rerum illarum partium vſum non mediocrem conſecutus. Vtraque vice Apamæâ, ad Euphratem primùm, inde ſecundo flumine ad mare Perſicum, anteà *Elcatiff* dictum, poſteà ad Ormus & Goam peruenit. Cairum tandem per mare rubrum reuertebatur: expoſitus ad ciuitatem Tur, quæ ad littus eiuſdem maris eo in loco ſita eſt,vbi Iudæi fugiendo Pharaonem,ſicco pede mare tranſierunt. In ſecunda ſua peregrinatione fuit captus à Baſſa, qui curam gerebat maris rubri, quod infrà poſitum eſt, antequam ad fines, vbi Felix Arabia incipit, perueniatur.

Tur ciuitas ad mare rubrum.

Mare rubrum Chriſtianis non licet nauigare.

In eo nauigatio Chriſtianis eſt interdicta: in quam à Turcis maximè inquiritur. Nam non procul à Mecha nauigatur (cùm mare cumprimis anguſtum ſit, cuius vtrum-

que littus maiori ex parte nauigantibus apparet) & quæ naues ex India Orientali adueniunt, eò deflectere solent. Antonius tamen isthîc non fuit, quòd eius nauis rectum cursum propitio vento tenens, locum hunc præternauigauit. Narrauit is quòd Bassa prędictus ab eo valorem decem millium ducatorum in varijs mercibus perceperit; prędertim in lapidibus, qui in certis illarum regionum animalibus reperiuntur, nec hactenus in partibus nostris visebantur, & in vnionibus ac margaritis pretiosis. Captum Bassa ille, qui de principalioribus non erat, secum Cairum perduxit, eumque ad carceres Imbraimi, tamquam supremi Ægypti Gubernatoris, tradidit: vnde Consulis Veneti (quoniam Venetus erat Antonius) fide interposita eliberatus, nostro tempore facultatem in Europam redeundi impetrauit. Nauigatio autem eius in Hispaniam erat potissimùm instituta, quandoquidem Catholici Regis iussu, quod etiam ipse non diffitebatur, peregrinationem hanc obeundam susceperat, vt quænam per mare rubrum nauigandi commoditas, & quod nauigationis emolumentum ediscceret. Vir hic fuit mihi apprimè notus: à quo multa, quæ ad naturam & mores nationum quas peragrauit pertinebant, edidici. Sed quandoquidem ea Scriptorum industria sunt euulgata, non est, quòd in his immoremur. Posteaquam domum redijssem, plures ab eodem literas, partim ex Hispania, partim ex Italia scriptas accepi: in quarum vltimis significauit, se in Syriam, & inde in Indias Orientales iam tertiò nauigationem instituere.

Factum autem est singulari diuinæ gratiæ beneficio, quòd dum circa Rhodum, & in faucibus Archipelagi oberraremus, in classem Turcicam, cui Occhialus præerat, non incidimus. Nam vigintiquinque triremes è Nigroponto Rhodum versus velificabant, quibus obuias naues diripere non est insolitum. Quoniam tamen Saitia hæc Gallica fuit, cum quibus Turcæ societatem colunt, poterat

Occhialus pirata.

rat mitius aliquid ab hoſtibus exſpectari: ſed vel pecuniæ numeratione, vel captiuitate res tranſacta proculdubiò fuiſſet: quod itidem paulò antè ipſi Galli ſunt experti, prout nauarchus Gallus nobis retulit. Euaſimus itaque per Dei gratiam manus impij Occhiali, qui valdè tunc exacerbatus erat, quòd Veneti Melitenſium milites illi tradere nolebant, quos cum duabus triremibus non ita pridem in poteſtatem redactos, Corcyram perduxerant. Eos Occhialus inſequebatur: cumque ſeptem Venetæ triremes inde Cretam reuerterentur, vbi cuſtodiam Philippo Paſqualigo præſidente poſuerant, Occhialus in portu Nauarino præſtolabatur, vt eos adoriri poſſet: qua de re, cùm Zacyntho triremes Venetæ notitiam accepiſſent, denuò Corcyram ſunt reuerſæ, cùm reſiſtere ſe non poſſe viderent Occhialo, qui ex vigintiquinque ordinarijs delectu habito, decemocto triremes benè inſtructas habebat. Sed vbi vidit conſilium ſibi præmeditatum non ſuccedere, in furias actus, obuios quoſque inuadere decreuit, Cæſarem veritus, quòd parùm cautè egiſſet. Incidit igitur in aliquot mercatorum Chriſtianorum naues, quas, hominibus in captiuitatem abductis, in poteſtatem redegit. Euaſimus itaque Deo opitulante, manus ipſius, qui Carpatho verſus Rhodum curſum tenebat; nos verò à Rhodo itidem vehebamur. Mirabantur omnes inſulani, quòd Occhialum obuium non habuimus.

Si cui mira vel impoſſibilia videbuntur, quæ hîc de ſancto Germano à me ſcripta ſunt, me vera retuliſſe quilibet affirmabit, qui nauigando in periculoſas tempeſtates incidit. Nullus enim eſt, qui hæc non oculis aſpiciat, in extremo procellarum irruentium periculo conſtitutus. Siue igitur S. Germanus, vt multi credunt, periclitantibus appareat; ſiue à naturali cauſſa, quod plerique autumant, luminis eius ratio proficiſcatur, ego temerè affirmare non auſim. Illud certiſſimum eſt, lumen hoc nauigantibus ap-

S. Germanus tempeſtatum ſedator.

parere: quod non solùm ego, sed & omnes qui mecum erant in naui, toties vidi, quoties me vidisse superiùs annotaui. Apparet autem specie sideris lucentis, vel accensæ facis, interdum plùs, interdum minùs coruscans. Fit quandoque splendor eius planè lucidus & albicans veluti stella: considet sępè vel in medio arboris, vel alibi; semper tamen editiore in loco. Si quis attingere velit, sursum mox eleuatur, & refugit. Frequentiùs tamen in ipsa arboris summitate, & cruce, quæ ibidem defigi solet, cõsidet, permanens eodem in loco, quantum temporis in recitanda Oratione Dominica consumeretur: quandoque per dimidiam quadrantis horæ partem, quandoque quadrantem integram lucescit. Sed in magna illa tempestate, per dimidiam horam durauit, in modum accensæ candelæ ardens. Vbi apparuerit, certum & indubitatum est, ventum notabiliter subsidere: & quò frequentiùs emicuerit, eò magis ac magis turbinem diminui. Vnde ad ipsius ortum, homines ab interitu tuti, certam spem salutis concipiunt: quod pluribus exemplis confirmari posset. Illud quoque nautæ affirmabant; quòd pluribus nauibus in vna eademque tempestate simul constitutis, in quibus sidus eiusmodi conspiciebatur, eæ euaserunt; in quibus non, naufragio perierunt. Narrarunt ijdem quoque, quando duo sidera coniunctim apparent, quod rarò admodum fit, nauem omnino interituram. Cùm autem duo fuerint, dicunt spectra seu Dæmones esse, qui numquam vniformem, sed geminatam speciem in apparendo retinent. Quæ de Castore & Polluce scriptores Ethnici tradunt, ea non attingo: quæ verò hîc adiunxi, ea ex fida eorum relatione accepi, qui naufragijs eiusmodi præsentes interfuerunt.

Sed nec illud hîc prætermittendum putaui, quod nautæ certò se didicisse affirmabant. Quacumque in naue Mumia fuerit deportata, eam vel in maximum periculum adduci, vel certissimum naufragium subire oportere.

Mumia in naui deportata tempestatem ciet.

Quam-

Quamobrem diligenter admonentur ij, qui res in nauem inferunt, ne Mumiam ſecum accipiant: cuius rei ea redditur ratio. Quandoquidem Mumiæ, Ethnicorum ſunt cadauera, in quibus idola, vt dictum eſt ſuperiùs, reconduntur: dubium non eſt, quin in cura & poteſtate Dæmonum, prout & animæ ipſorum, ſint conſtituta: qui numquam ab eis, etiamſi de loco in locum transferantur, recedere ſolent. Cùm Cairi in antrum, vbi eiuſmodi cadauera ſunt condita, me demiſiſſem, duo integra corpora, vt iam diximus, maris & feminæ, pretio empta acceperam; eodem modo, prout ibi aſſeruabantur, inuoluta: quę vt commodiùs deferri poſſent, quodlibet in tres partes diuulſum, in capſas maiores ex corticibus arborum ſiccatis confectas, imponendum curaui: ita vt ſex eiuſmodi capſas Mumia refertas haberem: in ſeptima verò erant idola fictilia ijſdem illis corporibus copulari ſolita. Cùm igitur de periculo deportationis ex nautis intellexiſſem, conſului negotiatores mihi notos, quid mihi agendum ſuaderent, & num vera eſſent, quæ nautæ dicerent. Multi affirmabant rem ita ſe habere: multi pro fabulis hæc ducebant, affirmantes, quòd ipſimet in Italiam ſæpiſſimè Mumias per mare deportarunt, neque tamen in vllum periculum hoc nomine inciderunt. Perſuaſione igitur illorum adductus decreui corpora hæc mecum aſportare, vt in Europa oſtenderem, qua ratione condîta reperiantur; maximè quòd ad partes noſtras, à quoquam integra delata fuiſſe numquam anteà intellexeram. Quamobrem nihil ea de re cum nauclero communicans, ſeptem capſas illas Mumiarum, cum rebus alijs in nauem inferri iuſſi. Sed parum abfuit, quin ſtatim in magnas difficultates incidiſſem. Nam cùm Turcæ, res meas inſpecturi, in Alexandria nos conueniſſent, vt telonium ab illis perſolueremus, habebant in comitatu Iudæum, qui eorum interpres & Notarius fuerat. Hic quoniam Chriſtianis vtcumque fa-

uebat, quòd Christianorum merces assiduè pertractaret, à quibus non parum emolumenti, & honoraria frequentiora percipiebat, cùm in capsis Mumiam repositam animaduertisset, statim easdem capsas claudi, & funiculis ligari præcepit, & Turcis quibus vinum propinabamus, retulit, nos in capsis illis nihil aliud habere, præterquam cochlearum testas & conchas, quales in maris littore legi solent: cuius relationi fidem Turcę adhibuerunt, quòd & eorum minister esset, & quòd è conclaui, in quo vinum hauriebant, pedem efferre minùs festinarent. Caussa cur Mumias Turcę prohibeant efferri, hæc esse perhibetur. Quandoquidem ipsi magicis superstitionibus valdè sunt addicti, persuasum habent, Christianos eiusmodi Ethnicorum cadaueribus ad Magiam abuti. Verentur itaque ne per incantationes aliquas damnum ipsis, & eorum ditionibus, non facilè recuperandum inferant: idque diligenter præcauent. Difficulter igitur integra Mumia extrahitur à mercatoribus: qui clàm & minutatim eiusmodi merces auehere solent. Iudæo itaque illi bonum honorarium dedi: qui si Turcis de Mumia aperuisset, non paruum discrimen nobis imminebat, quod ingenti aliqua pecuniæ summa redimendum erat. Cùm itaque priori tempestate iactaremur, nullus nostrûm de Mumia hac meminerat. Erat mecum in eadem naui Sacerdos Polonus Simon Albimontanus, qui patentes Regis Stephani literas habebat, & sepulchrum Dominicum visitauerat. Eum primùm Ierosolymâ reuertens, Tripoli videram, & denuò Cypri cùm in Ægyptum proficiscerer, obuium habui; qui Ierosolymam tendebat. Postremò venit Alexandriam Sabbato hora vigesima: ego verò sequenti die circiter quintamdecimam horam nauem conscenderam. Hic igitur cùm pecunia destitutus esset in extera regione, nec consilium reperiret quidnam agere deberet, petiuit à me, vt illi opem ferrem; quod potui, non inuitus eidem obtuli. Sed

Mumias cur Turcæ efferri prohibent.

cùm

cùm animaduerterem, illum breui ad neceſſitatem redactum iri; nec, viſitatione S. Sepulchri abſoluta, cur in Ægypto moraretur, cauſſam eſſe: inſtante eo vt eum mecum in partes Chriſtianorum reducerem, acquieui libenter; quòd bonum virum & pium Sacerdotem viderem, & meum quoque popularem, cui deeſſe non liceret. Hic de Mumiæ cadaueribus hiſce nullam planè notitiam habuit: nam antè quàm Alexandriam perueniſſet, triduo res meæ in nauem illatæ erant; ipſe interim in ciuitate degens, venti & nauigationis commoditatem operiebar. Cùm igitur in priori tempeſtate verſaremur, Sacerdos hic Preces horarias recitans, conquerebatur duo ſibi ſpectra magnum impedimentum adferre, & quocumque tandem loco in naui conſiſteret, ſemper ſe comitari. Hęc cùm primùm audiremus, mirabamur: poſteà verò (vt hominibus inuſitatum non eſt, in communi calamitate, ad fortuitos proximi caſus, riſu potiùs quàm compaſſione commoueri) tempeſtate ſedata rem in iocum vertimus, exiſtimantes has imaginationes è metu proueniſſe, vt plerumque nauigantibus, in periculis obijci ſolent. Sed cùm in altera tempeſtate, denuò de ſpectris eiuſmodi vehementer conquereretur, afferens, ſe virum & mulierem nigram, tali & tali habitu indutos videre: qualem nec mei quidem ſeruitores, duobus tantùm exceptis, in Mumijs illis viderant, nec de illo Sacerdoti indicare poterant, mirari accuratiùs cœpimus. Certiſſimum enim erat, neminem ſeruitorum de cadaueribus iſtis ſciuiſſe, præter duos illos, qui ſecretum hoc nemini proculdubiò, extraneo præſertim, aperuerant. Sed nec tunc quidem Mumia nobis in mentem venerat. Poſtremò totus conturbatus, pallidus, & tremens Sacerdos ad me accurrit, expoſuitque quàm horrendum in modum à ſpectris hiſce inter orandum exagitetur, immò laceretur. Tandem incidit mihi, fortè illum hæc pati occaſione corporum iſtorum Mumiaticorum.

Spectra duo Simoni Presbytero apparent.

Miſi

Misi itaque ad nauarchum, vt inferiorem Saitiæ nauis partem nobis recludi iuberet, causſam tamen reticendo: volebam ſiquidem capſas illas Mumiarum clàm in mare proijcere. Sed nauarchus reſpondit, ſe id facere non poſſe propter ingentes fluctus, qui Saitiam ita operiebant, vt omnes madefieremus. Exſpectaremus modicum, ſtatim nos omnes interituros, nec eſſe cur inferiùs deſcenderemus, mox in ipſo gurgite futuri. Et videbamus quidem apertè periculum maximum inſtare, ſi nauis aperiretur: ex alia parte Presbyter de ſpectrorum vexatione mirum in modum lamentabatur. Neſciebamus itaque quid nobis agendum eſſet.

Vbi verò S. Germanus apparere, & ventus contrarius ſubſidere cœpit; cùm iam illuceſceret, nauem aperiri iuſſi. Et quamuis, vt paulò ſuperiùs ſcripſi, apparente eiuſmodi ſidere, nauis extra periculum eſſe ſoleat, ſpectris nihilominùs Sacerdoti moleſtiam inferentibus, ſeptem capſas illas in mare proijci iuſſi. Quod vbi factum, nauarchus ſtatim ad me accurrit, percunctans quidnam abieciſſemus: numquid Mumiam? Faſſus ſum. Expauit illicò vehementer; ſed poſteà ſe recolligens erat recreatus; & certò promittebat, nos tempeſtatem ampliùs non habituros. Et non fruſtrà hæc prędixit. Nam licet apud inſulam Carpathos inſurrexerat, minùs vehemens tamen fuit, & S. Germano ſemel apparente, ſtatim ceſſauit. Dixit mihi poſteà nauarchus, quo tempore ad eum mittebam vt nauem aperiret, etiamſi illi dictum fuiſſet, id propter Mumiam fieri, numquam tamen aperturum fuiſſe, propter vndarum inſurgentium impetum: & quod iam certò nos interituros credebat, momentum tantùm demerſionis expectans. Quærebat & Sacerdos, quidnam in mare proiectum fuiſſet. Cumque illi dixiſſem, maiore etiam timore correptus, tamquam vir Eccleſiaſticus arguere me cœpit, quòd Ethnicorum corpora circumferre veritus non fuerim,

rim, propter quæ tantum vexationis pertulerit; nec aliam ſpectrorum apparentium cauſſam fuiſſe. Ego reprehenſionem boni Sacerdotis grato animo ſuſcepi: ne tamen ſiniſtri aliquid de me ſuſpicaretur, reddidi cauſſam facti, me Mumiam, cuius in medicinis frequens & neceſſarius eſſet vſus, propter iuuandos infirmos aſportare voluiſſe; neque ab Eccleſia prohibitum cuiquam eſſe, ne Mumiam in partes Chriſtianorum deferret. Cretam cùm deueniſſemus, quærebat Theologorum de Mumia ſententiam: qui docuerunt, eius importationem Chriſtianis non vetari. Atque ita demum me purgatum & excuſatum habuit. Apparuit & hinc, nihil illum de corporibus iſtis cogitaſſe: de quibus, ſi notitiam aliquam habuiſſet, non intermiſiſſet profectò, & metu periculi, & officio Sacerdotali adductus, quin me commoneret: maximè quòd iam nos morituros credebamus, & ipſemet Orationes in periculo recitari ſolitas, nobis ſubſequentibus, inchoabat.

Neque hæc ideò ſunt hîc à me commemorata, quaſi pro certo comprobare velim, propter Mumiæ corpora, quod multi volunt, naufragia eiuſmodi prouenire: ſed vt doceã, iſta nobis in hac nauigatione contigiſſe. Certè Sacerdos hic valdè pius & vitæ exemplaris fuit. Nam Corcyram vſque mecum nauigauit. Poſteà cùm ego me in Italiam conferrem, & Hydrunti ex naue deſcendiſſem, ipſe cum famulo & rebus meis, in triremi Venetias nauigauit, & aduentum meum ibidem exſpectauit. Poſteà Compoſtellam, voti exſoluendi cauſſa, perrexit: vnde Romam, & deinde in Poloniam redire cõſtituerat. Vbicumque mecum loca Chriſtianorum attigit, ſingulis diebus Miſſam deuotiſſimè, cum lacrymarũ profuſione, celebrauit. Domi verò minima quæque obſequia, pueris conſueta, cum tanta alacritate obibat, vt admoneri per nos neceſſariò debuerit, ne ſe ad viliſſima culinę miniſteria, ollarum cacaborúmve ablutionem, vel ſcoparum purgationẽ, demitteret. Admi-

Reuerſus eſt in Poloniam, & Cracouiæ in hanc vſque diẽ degit, in Eccleſia B. Virginis deſeruiens.

rationi fuit omnibus,tanta pij Sacerdotis huius humilitas.

Illud operæ pretium fuerit hoc loco inſerere, qualem Sacerdos hic poſt magnam illam tempeſtatem, qua apud inſulam Carpathos, cùm nobis S. Germanus ſemel tantùm apparuiſſet,iactabamur,viſionem oblatam habuerit, quam ſtatim mihi, qui proximus illi eram, deinde ceteris omnibus reuelauit. Nam cùm in oratione poſitus eſſet, videbatur ſibi videre Saitiam noſtram nauem in partes ruptam, & nos per mare natantes demergi. Interea beatiſſima virgo Maria, pallio ſuo nos cooperiens, nauis partes recollectas in vnum compoſuit,& dixit;Ecce in quanto periculo fuiſtis. Atque ita veluti è ſomno quodam experrectus ſe proripuit:quod apertè videbamus.Nam ſubitò conſiſtens, & hinc inde aſpiciens, nauem & nos omnes ſaluos reperit,quos in viſione mari iam obrutos crediderat. Hæc obiter hîc annotanda putaui,quæ coràm ipſemet intuitus, & magna ex parte ſum expertus. Certum eſt, ſi tẽpeſtas in duas horas,vt attigimus anteà, protracta fuiſſet, Saitia vim eius ſuſtinere nulla ratione potuiſſet: id quod euidenter deinde apparuit,cùm apud inſulam prędictam Carpathos,per continuas viginti quatuor horas, nauem reficere, & pice obducere coacti fuimus: quæ adeò vndarum violentia concuſſa fuit, vt per vices nautæ continuò aquam exhaurire neceſſe habuerint.

Simoni Presbytero Virgo beatiſſima in tempeſtate apparet.

Cùm igitur ad prædictum Promontorium delati eſſemus,quod in ipſo diluculo fuit (nam noctu eò appropinquare nauta propter ſcopulos nõ audebat)iactis anchoris, & Saitia ad rupem longis funibus alligata (fundus enim hîc non adeò ſtabilis, & vel ad modicum ventum anchoræ mouentur: vnde niſi nauarchus ſit peritus,ſæpenumerò naues periclitantur, quæ vt tutiorem habeant ſtationem, funibus prælongis ad rupem alligari nautarũ induſtria ſolent) ſtatim famulum Sitiam, quæ tribus inde milliaribus diſtabat, miſi, qui Rectori Conſtantino Rinero

de

de aduentu noſtro ſignificaret. Is quoniam iam anteà, vt dictum eſt, de me certior factus erat, equos, & vltra decem & aliquot equites, qui minores haſtas deferre ſolent, & Stradiottę vocantur, ad me deducendum expediuit; qui veſperi vnà cum famulo venerunt: vnde noctem in Saitia me adhuc ducere oportuit. cumq́; conſcenſis ſcaphis me ſalutaſſent, & mandata Rectoris expoſuiſſent, vbi nauarchus didicit quis eſſem, vehementer indoluit, quòd id Alexandriæ reſcire non potuerit. Aliter enim mecum tranſacturus erat. Quis enim noſſe poterat, quæ de nobis facere conſtituiſſet? Animaduerſum enim fuit, (an autem hoc in mente habuerit, Deus nouit) niſi maior noſtrûm in Saitia (remanſerant etenim mecum etiam Stradiottæ aliquot) numerus fuiſſet, quòd noctu in mare denuò nos abducere cogitabat, vt nos pretio redimeremus; vel alias lucri occaſiones, prout & alij facere ſolent, inueſtigaturus fuerat. Sed malum præuidentes, tota nocte diligentem adhibuimus cuſtodiam, perpetuò vigilantes. *Stradiotta equites.*

24. Manè egreſſus naui, rebus nauiculâ, quæ venerat, Sitiam præmiſſis, & nauarcho iuxta conuentionem pretio perſoluto; familiaq́ue ipſius donata, ita vt iam contentus remanſerit, equis conſcenſis, verſus Sitiam perrexi. In itinere ad monaſterium beatiſſimæ Virginis, in quo Græci monachi habitant, qui locus ſingulari populorum deuotione frequentatur, deſcendi, Deoq́ue gratias egi, quòd nos hactenus incolumes ſeruauerit. Circa meridiem Sitiam perueni, Rectore cum multorum nobilium frequentia obuiàm mihi prodeunte: qui cùm me ad domum nobilis cuiuſdam Veneti ex familia Corneliorum deduxiſſet, & hoſpitij commoditatem ordinaſſet, in palatium redijt. Sitia enim muro cincta non eſt, ducentas circiter domos tantùm habens. Palatium verò Gubernatoris anguſtum, munitionem nullam habet. Nam tempore belli omnes ad loca tutiora ſe conferunt: nec niſi propter

Iudicia, cùm tractus sit peramplus, Rector hîc manere consueuit.

Manè venit ad me Rector, & me ad Ecclesiam parui 25.
Conuentus sancti Augustini deduxit, vbi Missam audiuimus. Prandio peracto, visitaui eumdem in palatio, vbi Iudicia quædam exercebat. Patebat inde latior in mare prospectus, vidimusque Saitiam nostram; quæ, vt constituerat, ad aliam insulæ partem versus Barbariam cursum tenere propter ventum contrarium non potuit. Mare namque cùm sit hîc magis amplum, securam præbet nauigationem. Saitia verò prope Archipelagum tendebat, & de nouo in tempestatem incidit, quæ Corcyram vsque delata est.

Hanc ad te tertiam Epistolam hinc scribendam existimaui, quòd verear, ne hîc Cretæ propter tempestates diutiùs mihi sit hærendum, quàm vellem, & rationibus meis expediret. Adproperabo tamen Candiam: & quidquid posteà fuerit, certiorem te reddere non intermittam. Datum Sitiæ, XXV. Octobris, anno M. D. LXXXIII.

EPISTOLA QVARTA.

ARGVMENTVM.

HIC funebres Sitiensium cærimonias exponit. Candiam appellit. Honorificè à Ciuitatibus & Insulis Venetorum excipitur. Arces, ciuitates, portus complures describit. Casum mirabilem nautarum Siciliæ, literas liberi transitus à Turcico Imperatore missas, eiusdem insidias, quas diuina prouidentia euasit, inserit. Apud Zacinthum, fratrem Cardinalem factum cognoscit. Barium Apuliæ ciuitatem, sepulchro diui Nicolai celebrem, & alia regionis loca perlustrat. In itinere à latronibus spoliatur, qua de causa maxima rerum difficultate inter ignotos circumuentus, ægrè Venetias adnauigat, vbi famulum Tripoli cum sarcinis præmissum reperit, alter decimo post suum aduentum die Corcyrâ venit. Denique votorum compos, feliciter ad solum paternum reuertitur.

RECTOR

26. RECTOR Sitienſis, pluribus nobilibus conuocatis, epulo ſollemni me excepit in palatio: quo finito, deambulabat hinc inde mecum. cumque paruam quamdam Græcorum Eccleſiam præteriremus, incidimus in funebres illius regionis cærimonias, quæ veteribus Ethnicorum non erant abſimiles. Maritum defunctum vxor ſepeliebat; quæ facie vnguibus conſciſſa, capillos euellens, veſtem in pectore dilacerans, caput muro allidens, non abſque ſanguinis effuſione orbitatem ſuam miſerabiliter deplorabat. Adhibiti ſunt etiam pretio conducti lamentatores & lamentatrices, qui funus deducentes, eiulatus, & manibus contortis vociferationes inconditas edebant. Mos abominabilis, & Chriſtiana profeſſione indignus. Veſperi valedixi Rectori, qui mihi Stradiottas aliquot, qui me deducerent, attribuit; & nobilibus vicinis ſignificauit, vt quocumque diuerterem, me honorificè & luculenter tractarent; quod ab ipſis, etiam maxima cum humanitatis teſtificatione, copiosè factum eſt. *Funebres cærimoniæ Sitiorum.*

27. Manè Miſſa audita, & diuiniſſima Euchariſtia percepta, antequam plenè illuxiſſet, diſceſſi pranſurus in Turlottha, palatio cuiuſdam nobilis: inde per conuallem amœnam & fertilem, pro nocte peruenimus Cauuſam, vbi nobilis Venetus ex Cupreſſi arboribus lucum elegantem, pulcherrimo ordine plantauit, & ad competentem perfectionem deduxit.

28. Perueni Iſtronam ad locum cuiuſdam nobilis peramœnum. Pertranſiui Pomeriacum, villam benè habitatam. Inde pro nocte, cùm tardior hora eſſet, diuerti ad monaſterium ſancti Antonij de Sumete de Cares, Ordinis ſancti Franciſci. Exceptus ſum à Fratribus perhumaniter, qui, quoniam ex eleëmoſynis viuunt, fructus varios nobis appoſuerũt. Ad dextram prope viam publicam, vidimus Di-

rapetram, olim Hyrapeam. Ibidem quoque ad dextram, ſupra littus maris, quod iam non poteramus conſpicere, habuimus inſigne Venetorum propugnaculum, Spina longa cognominatum, in rupe exædificatum, quod mari vndique alluitur.

Prandio ſumpto diſceſſi ex monaſterio, pernoctaturus 29.
in Maglia, villula cuiuſdam nobilis,& palatio paruo. Huc Dux Candiæ quemdam propinquum ſuum,cum Secretario & honeſto comitatu præmiſit, qui me ſalutarent, vtque rectà in palatium diuerterem,inuitarent.

Summo manè quatuor ferè ante diem horis diſcedentes, itinere valdè difficili & ſaxoſo, peruenimus circa meridiem ad Candiæ ciuitatem. Diuerti rectà ad monaſterium ſancti Franciſci, Deo humilem gratiarum actionem offerre, ibidemque manere deliberatum habens: quandoquidem anteà quoque hoſpitium hîc habebam. Sed cùm pranſurus cum eo,ad Ducem acceſſiſſem,omnibus modis vrgebat,vt in palatium diuerterem. Quamuis autem certis de cauſſis libentiùs in monaſterio manſiſſem, ad magnam tamen Ducis inſtantiam, qui ſubuerebatur, ne inhumanitati ipſius id adſcriberetur, ſi alibi hoſpitium habuiſſem,precibus eius locum dedi,& per quinque hebdomadas, antequam Caneam me contuliſſem, hoſpitij eius beneficio vſus ſum. 30.

Candiæ ciuitas.

De ſitu ciuitatis Candiæ,& munitione eiuſdem, bellicorumque tormentorum inſigni apparatu, quandoquidem alij perſcripſere, ego ſuperſedeo. Cetera breuiter perſtrinxi, cùm primùm eò adueniſſem, in Palæſtinam nauigaturus.

NOVEMBER.

Die ſeptima Nouembris, duodecim Venetæ triremes 7.
appulerunt Corcyrâ: quarum ſeptem erant ad cuſtodiam maris deputatæ, quæ milites Melitenſes à Venetis captos

dedu-

deducebant; quinque verò erant nouæ, quas illi Arcillas vocant,& in Arsenali asseruantur, vt necessitate superueniente,vbi opus fuerit, expediri possint. Nullibi etenim, præterquam Venetijs, triremes ædificantur: & inde vbi vsus postulat emittuntur.

Toto hoc tempore diligenter & sæpiùs ciuitatem perlustraui.Inspexi & arcem portui imminentem:quæ parua quidem, sed valdè munita est, omniaque nauigia portum ingredientia excipit. Maiora bellica tormenta habet plurima.

Nobiles quoque omnes, in Magistratu constituti, suis me conuiuijs semper adhibebant, humanissimè tamquam hospitem inuitantes & tractantes. Debebant mihi statim duæ triremes dari, quæ me in Italiam deportarent, qua de re literas Reipub. Venetæ ad loci huius ministros habui: & ex parte negotium fuit determinatum. Sed Capitaneus triremium, Philippus Pasqualigus, executionem differebat: cumque mandatis vrgeretur, loco duarum,vnam mihi triremem assignauit Ioannis Diedo: qui, cùm fratrem haberet Castellanum in Spina longa,mercimonia olei oliuarum pertractantem, exspectando suum oleum,profectionem differebat; ita vt tardiùs inde discedere coactus fuerim, idque cum alijs triremibus, vt inferiùs dicetur.

30. Fui in altissimo monte supra ciuitatem Candiam, vbi est paruum Græcorum monasterium, ad quod tamen, cùm iam hora tardior esset,peruenire non potui.Hîc Poëtæ fabulantur Iouem sepultum; & nonnulli affirmant, epitaphij quosdam Græcos characteres ibidem reperiri, qui vetustate ita exoleuerunt, vt discerni non possint. Georgius Cedrenus scribit, inscriptionem illam ad eum modum se habuisse;

HIC SITVS EST PICVS: QVI ET IVPPITER MORTVVS.

DECEMBER.

Die quarta Decembris Missa manè audita, discessi ex 4.
Candia, à Consiliarijs & Nobilibus multis honoris caussa comitatus. Meridie Telizam, pro nocte Camariotum peruenimus: quæ loca ad nobiles Candiæ pertinent.

Retimum Venetorum.

Manè Daphnedades, vesperi Retimum attigimus: vbi 5.
Consiliarij, Nobiles, & Capitaneus cum equitibus circiter quinquaginta, obuiàm mihi processêre. Nam cùm propugnaculum peramplum sit, plures hîc milites alunt Veneti. Diuerti rectà in arcem, in qua Rectoris munere perfungebatur Angelus Barocius: qui me humanissimè excepit, omnibus tormentis bellicis exoneratis. Ciuitas ipsa superioribus bellis, à Turcis exusta. Arx, in edita rupe in mare procurrente, exstructa, vt à continente auulsa videatur. Assimilatur situi Tyri in Syria Phœnices, nisi quòd locus hic minor est.

Manè cum Rectore iui ad salutandum Episcopum, qui 6.
Iulius Carara dicebatur. Posteà Missa in Ecclesia audita, redijmus in arcem vnà cum Episcopo. A prandio itinere permolesto, iam tardè peruenimus ad locum Piscopi dictum: vbi est villa & palatium dicti Antistitis, quo procurante, ibidem per noctem sustentati & tractati fuimus.

Exeundo manè, & relicta supra montem ad dexteram 7.
prope mare, altera Dirapetra, olim Hiera Pithna, vbi Nobiles alunt etiam milites aliquos, propter piratarum Turcarum incursiones, peruenimus tribus horis ante vespe-

Monasteriũ S. Ioannis de Patyna.

ram ad monasterium Græcorum S. Ioannis de Patyna dictum. Est enim insula in Archipelago Pathmus dicta, in qua S. Ioannes Apocalypsim conscripsit. Multa sunt eiusdem ordinis in Græcia monasteria, quæ omnia S. Ioannis de Patyna vocantur. Non procul à dicto monasterio in monte sublimi, per quem transiuimus, visuntur muri satis adhuc integri, ex lapide quadrato constructi, vbi appa-

ret

ret magnam olim fuisse ciuitatem. Prope monasterium prædictum, quod vno ferè Polonico milliari à dictis murorum ruinis abest, habentur cisternæ magno sumptu in terra effossæ, & muro solido ædificatæ, è quibus aqua ad prædictam ciuitatem deferebatur. Mirum cur ciuitas illa in monte posita fuerit, vbi nullas habere potuit aquas, quæ tanto interuallo petebantur, è pluuia tantùm collectæ: nec enim ibi surgentes habentur. Tota namque insula duo tantùm habet flumina, exigua cymba nauigabilia. Si alicubi fons emergit, is perquàm exiguus, modicas aquas ministrat.

8. Quatuor horis antelucanis equitando consumptis, Caneam, anteà Cydonia dictam, perueni, priusquàm ciuitas aperiretur: vbi ad vnam & mediam horam mihi fuit exspectandum. Ideò autem maturiùs veni, ne equitatus mihi cum pompa occurreret. Porta ciuitatis aperta, statim ad monasterium S. Nicolai, Ordinis D. Dominici, diuerti. Nam militiæ Præfectus Raphaël Razbonius, vt ad suum palatium descenderem, rogabat. Sed quoniam data opera ex Candia discesseram, ne diutiùs in palatio Ducis hærerem, & libertate potiùs gauderem, quàm cærimonijs illis distrahentibus, quas pro sua humanitate magnas mihi nobilitas illa tota exhibebat; ideò in monasterio potiùs subsistere decreui. Scripseram enim Candiâ Fratribus, vt mihi apud se locum habitationis concederent: quod libenter fecerunt. Habebant enim cubicula, excipiendis hospitibus studiosè præparata, quando honoratiores aliquæ personæ eò accederent. In Græcia namque publica diuersoria non reperiuntur: apud priuatos vel fauore vel pecunia hospitium conquirendum est. Venit illicò ad salutandum me ciuitatis Rector, Ioannes Dominicus Ciconia, cum Consiliarijs Marco Antonio Contareno & ceteris ex familia Lauredana. Diebus posteà sequentibus, pluries ciuitatem perlustraui. Nam ibi per nouem hebdo-

Cydonia, siue Canea.

Hospitia publica in Græcia non habentur.

madas manſi. Ciuitas eſt valdè munita, cum portu; quem tamen onerariæ naues, propter ſcopulos, ingredi non poſſunt: ſed vno abhinc milliari noſtro, apud paruam inſulam, quæ Turlures habet munitionem, tutam habere ſolent ſtationem.

Quandoquidem multi ſcribunt de hac inſula Creta, Plinius præſertim, quòd olim centum Vrbes habuerit: ego nihil temerè affirmare volo, vt qui eam in tranſitu tantùm viderim, neque ſtudiosè totam peragrarim. Sed ex frequentibus ruinis apparet, eam plurimas vrbes habuiſſe, vt valdè veriſimile videatur, quod Plinius ſcripto tradidit.

Nauis Siculorum erratica.

Occurrit hoc tempore caſus hîc mirabilis. Conſpecta fuit à longè maior nauis (quales propter anguſtiam portus & latentes ſcopulos huc adpellere non ſolent) proſpero vento rectà verſus portum ferri. Animaduerſum eſt, eam loci inexpertem; atque ob cautelam tormenta iam explodi debuerant, cùm ecce, cum omnium ſpectantium trepidatione & admiratione, ſalua miraculo quodam, in portum irruit. Erant in ea homines vndecim, qui ignorabant quorſum deueniſſent. Dicebant ſe nautas eſſe Siculos, qui Syracuſis lignatum vltra Promontorium quoddam profecti, cùm nauticam pixidem non haberent, vento validiſſimo abrepti, tribus hebdomadis per mare oberrabant, neſcientes planè vbi eſſent, qui à diebus iam octo panem non deguſtarunt: cumque ſe iam fame perituros viderent, (quod etiam ex pallida illorum & ferè emortua facie apparebat) conſpecta Inſula, verſus illam vela direxiſſe, quæ etiamſi Turcica fuiſſet, maluiſſe in ſeruitutem abduci, quàm fame contabeſcere. Nauem hanc emit ab illis mercator quidam ſeptingentis ſcutis; quam vendere coacti ſunt, cùm non haberent vnde ſe ſuſtentarent, nullique mortalium in iſtis partibus noti eſſent. Mercator magnam difficultatem expertus eſt, antequam nauem è

portu

portu, propter cautes & scopulos educere potuisset: illi autem, absque damno aliquo, miraculosè in eum delati sunt. Qui portum hunc, quàm periculosus sit, consideraverit, vix illi possibilia ista viderentur. Tres ex ijs nautis, eamdem, quam & ego, triremem posteà mecum conscenderant.

26. Appulit Caramusana nauis ex insula Milo, & cum ea duo Poloni nobiles, Martinus Lubieniecki & Petrus Broniewski: qui declinantes periculum (nam sub illud idem tempus Iacobus Podlodowski à Turcis fuit interfectus) huc Constantinopoli delati erant, nihil minùs cogitantes, quàm vt me hîc inuenirent. Hi, vt Constantinopoli faciliore negotio discedere possent, acceperunt patentes literas, quas Amurates Tertius Turcarum Imperator mihi transmittebat. Cùm enim Ierosolymam proficiscerer, scripseram ex Candia Stephano Regi, petens ab eo, vt mihi eiusmodi patentes literas à Turcarum Cæsare obtineret, quarum præsidio, terrestri itinere ex Syria rectà Constantinopolim peruenire possem. Et licet contra genium quodammodò meum profectio hęc mea futura erat; quoniam tamen nauigatio, etsi breuis, valetudini meæ fuit contraria, neque credebam me Ægyptum peragraturum, propter immensos calores, & exercitus, qui, vt anteà innuimus, in Persiam mittebantur: decreueram, visendæ etiam Constantinopolitanæ vrbis caussa, illac iter facere. Itaque quòd me Stephanus Rex diligenter commendaret, eiusmodi patentes literæ Turcicæ expeditæ, & mihi per dictos Nobiles allatæ fuerunt.

Iacobus Podlodowski à Turcis occisus.

SVLTANVS AMVRATES IMPERATOR.

SPECTABILIBVS, *& Præfecturæ Cadiatus dignis ac strenuis Ierosolymâ Constantinopolim versus, in itinere*

vbicumque residentibus Cadijs, optantes omnium bonorum affluentiam, simúlque mittentes hoc excellens mandatum nostrum, notum esse volumus; Quòd hisce temporibus ex ditione Regis Poloniæ quidam nomine Petrus Bronyewsky Polonus, ante celsitudinem Maiestatis nostræ veniens, retulit, quòd Lithuaniæ Ducatus Marschalcus supremus, nomine Nicolaus Christophorus Radziwil, Dominus spectabilis, Ierosolymâ sanctâ rediens, cum duodecim personis Constantinopolim venire constituit ac proposuit: & vt vbique in itinere, in diuersorijs locísque, quocumque conuersari & subsistere voluerit, ipsius persona cum famulis, equis, & omnibus suis sarcinis, à nemine aliquam difficultatem & impedimentum patiatur, ille ipse à nobis hasce sacras literas mandatorias expostulauit. Quamobrem mandaui, vt quamprimùm vbicumque locorum præfecturæ Cadiatus, cum hisce literis sacris aduenerit, in primis personæ suæ Dominationi, famulis, equis, sarcinis ac necessarijs omnibus in itinere, hospitijs, eundo, commorando, & in omnibus locis conuersando, nihil omnino alicui eorum ab quopiam molestiæ ac impedimenti facere permittatis: quandóque voluerit suo sumptu res sibi necessarias & alias ad victum pertinentes coëmere (modò iuribus nostris ne sint cõtrariæ) vt à nemine itidem aliquod impedimentum & fastidium habeant, diligenter prouideatis. Hæc omnia scientes, quando hæc epistola nostra vobis ostendetur, plenam fidem adhibeatis. Datum Constantinopoli vltimis diebus mensis Romasana: nostro Septembre vltimis diebus, anno M. D. LXXXIII.

INSCRIPTIO SIVE TITVLVS.

Ex Ierosolyma sancta vbique in itinere, ad Cadios, Constantinopolim versus eundo, hæ literæ pertinent.

Quoniam autem acciderat, quòd sub idem tempus Nisouienses Kosaci Tehiniam oppidum, Turcarum commercio clarum, propemodum funditus euerterant; quam ob causſam, de bello Poloniæ Regi inferendo inter Turcas

mussitabatur: quamuis eiusmodi patentes literæ datæ fuerant, Secretarius tamen Nobilibus illis, prout mihi narrarũt, hęc Latinè dixit; Eatis, quia non curamus vos, sed Principes vestros. Statim igitur itinere terrestri, quatuor sunt Czaussij expediti, vnus Aleppum & Tripolim, alter Damascũ & Ierusalem, tertius Cairum, quartus Alexandriam (quò iam vna triremis cum duobus celocibus aduenerat Feria quinta, ego verò Dominica discesseram) cum eiusmodi mandatis, quod mihi posteà ex ijsdem locis significatum fuit; nempe, esse quosdã quibus literę passus à Cæsare sunt concessæ: quibus nõ obstantibus, debere nihilominùs personas illas comprehendi, diligenterque asseruari, & quamprimùm de ijs Constantinopolim perscribi. Sub hoc ipsum tempus, paulò antè quàm ego Cairo discessissem Alexandriam, accidit casus, qui ad ostendendam circa me diuinæ prouidentiæ singularem misericordiam non mediocriter pertinet.

Auctori insidiæ à Turcâ parata.

Quinque Nobiles viri, obtentis literis patentibus, operâ Breyneri defuncti Cæsaris Legati, à Turcarum Imperatore, Constantinopoli cum Galeone Turcico Rhodum peruenerunt: vndè soluentes (cum altero Galeone, quem ceperant Melitenses) sua naue vecti adnauigarunt Alexandriam primùm, deinde Cairum, vbi sæpiùs cum illis conuersatus sum: quorum nomina sunt hæc; Pancratius Freyndt, Georgius Mencen, VVolffgangus Aurbach, Bernardus VVarkoc, qui Regi Stephano inseruiuit, & quintus erat Polonus, Ioannes Kobilnicki. Hi antequam ego Alexandriam discessissem, profecti sunt ad montem Sinai, & vnà cum illis Abrahamus, Baro à Dona, qui mecum erat in comitatu, & reuersus è monte Sinai, me posteà Alexandriæ reperit. Ceterùm quinque illi Cairo Ierosolymam profecti sunt: cumque terram Philisthinorum pertransirent, inciderunt in Arabes; & quoniam Carauana triginta tantùm personas habebat, ab illis sunt spoliati.

Peruenerunt tamen Ieroſolymam : cumque inde Damaſcum peterent, in Samaria ciuitate Sichar, de qua ſuperiùs, habuerunt obuium Czauſſium illum, qui Cairum mittebatur. Hic vbi quinque externos vidit, exiſtimans me cum famulis eſſe, eoſdem iuxta mandata ſibi iuncta detinuit: cumque illi patentes Cæſaris literas Czauſſio exhiberent, maiorem etiam illi ſuſpicionem iniecerunt, me illum ipſum, qui comprehendi iubebar, fuiſſe. Quamobrem oſtendit viciſſim illis literas Cadio deſtinatas: in quibus continebatur, vt etiamſi literas paſſus à Cæſare haberent, nihilominùs in cuſtodiam conijcerentur; & ſtatim de comprehenſis Conſtantinopolim referretur. Itaque omnes illi quinque adeò ſtrictè catenis ferreis ad collum ſunt ſimul colligati, vt vno verſus terram inclinante, ceteri quoque incuruarentur. Literæ verò paſſus, quas habebant, per eumdem illum Czauſſium, Conſtantinopolim ſunt tranſmiſſæ. Priùs tamen Damaſci fuerunt exhibitæ; ex quibus cùm conſtaret me non eſſe, (quod itidem mercatoribus quibuſdam ſibi notis ſignificauerant) miſſus eſt Damaſco Czauſſius, qui illos è carcere dimitti iuſſit, in quo per duas hebdomadas miſerè detinebantur. Agnoſco itaque vel hinc gratiam Dei ſingularem, quòd conſilium illud Stephani Regis Grodnæ datum, qui me, vt in Palæſtinam per Conſtantinopolim irem, hortabatur, ſequutus non fuerim; idque propter offenſam Regi Stephano temerè per Koſacos Niſouienſes conflatam; cuius rei pœnam Iacobus Podlodouius, abſque ſua culpa interemptus, ſuſtinuit. Collaudauit poſteà factum hoc meum Rex Stephanus, cùm reuerſus è peregrinatione, ibidem Grodnæ illum ſalutaſſem, quòd diuerſum ab illo, quod ſuadebat, iter inſtituere maluerim; alioquin maximum vitæ diſcrimen incurſurus.

Itinere terreſtri ad vnum & medium, maritimo verò 28.
ad dimidium tantùm milliare progreſſus, viſitaui pro-

pugna-

pugnaculum Venetorum in hoc ipso regno munitissimum, in Suda insula constructum, quod iam antè à longè ex monasterio S. Ioannis de Patyna conspexeram, cùm isthîc, ante meum Cydoniam ingressum, pernoctarem. Arx hæc quinque habet validissimas frontes seu propugnacula, tormentis bellicis & multis militibus egregiè instructa: portui adiacet ampliſſimo, qui duo nauium millia commodè capere potest, quæ præterlabentes, bombardæ longioris ictu peti possunt. Fuit mecum vnà Consiliarius Marcus Antonius Contarenus. Castellanus loci erat Ioannes Antonius Buon, qui nos ibidem prandio excepit, & quæ visu ibidem digna videbantur, humanissimè demonstrauit. Sub vesperam redijmus Cydoniam.

ANNVS M. D. LXXXIV.

IANVARIVS.

2. Manè è turri speculatoria Cydoniensi, quæ est ad littus maris, significatum est, duas triremes visas, quæ versus Candiæ ciuitatem ferebantur. Et quoniam pridem proclamatũ fuit, Latinum Vrsinum in Candiam venturum, qui à Repub. Veneta mitteretur in Insulam, vt antiqua propugnacula restauraret, nouis erigendis loca peropportuna designaret, cùm vir hic in rebus bellicis apprimè à multo tempore versatus haberetur, creditum statim est, eum triremibus his aduectũ, prout etiam res ipsa comprobauit. Is enim ciuitatem Candiam ingressus, statim Caneam triremes aliquas expediuit (quarum septem in Candia ad custodiam maris deputatas anteà diximus) vt non procul ab ipsa ciuitate consisterent, in loco Grabusses dicto, cuius D. Lucas meminit, vocans Phœnicem portum Cretæ, respicientem ad Africum & ad Corum. Est enim satis commodus, & qui facilem Turcis accessum præbere posset. Quamobrem cùm adhuc in Insula versarer, nouum in eo, benè munitum propugnaculum fuit excitatum,

Latinus Vrsinus in Candiam à Venetis missus.

Actor. 27.

tum. Mensis hic totus per aduersam valetudinem mihi transactus est. Nam per septem ferè hebdomadas malè habui: per quinque verò febrem quotidianam, cum grauissima tussi, sum expertus. Dum hîc hærerem, Armamentarium seu Arsenale pro viginti vel circiter triremibus, ædificando perfectum fuit. Quoniam lateres cocti in partibus istis non habentur, testudines substructionum lapidibus quadratis erant concameratæ, qui cùm calce tantùm compacti essent, quę nondum induruerat, neque superiùs opere albario, vt aqua commodiùs decurreret, obducti fuissent, (neque enim ibi fornices tecto aliquo cooperiuntur) superueniente pluuia vehementiore, lapidum compage resoluta, & quòd fundamẽta perfunctoriè iacta fuerant, vna nocte duę concamerationes ędificij corruerunt, & duas, quæ præ ceteris instructiores erant, triremes conquassarunt: quæ res Officialibus loci plurimum perturbationis attulit: propter Turcarum tamen vicinitatem, quorum aliquot Caramusanæ naues in portu eorum constitisse videbantur, mira celeritate, & fundamenta roborata, & fornices denuò erecti fuerunt.

Armamentarium Cydonion.

Appulerunt Sudam duæ triremes illæ, quæ Latinum Vrsinum aduexerant. Et quoniam Venetias reuertebantur, cùm Ioannes Diedo, cuius mihi triremis oblata fuit, indies moras necteret, misi Petrum Bilinam famulum ad Laurentium Priulum, qui vni dictarum triremium præerat, (Veneti Supracomitem vocant) & mihi, propter intrinsecam familiaritatem, quam cum Francisco eius fratre habebam, notus erat, petens ab eo, vt in eius triremi Corcyram deferri possem: quod ille libenter concessit. Nam pro humanitatis officio ducunt Veneti, quoties in triremes suas aliquẽ ex nationibus exteris, qui nobilitate polleat, admittunt: & eo nomine à Repub. gratiam reportant. Accelerauit igitur, & vt primum ventum propitium nactus est, Caneam venit die trigesima Ianuarij cum 25. 30.

socio

ſocio ſuo ex familia Venerea, qui alteram itidem triremem habuit. Priùs tamen ad me idem quoque Laurentius terreſtri itinere venerat, officiaque ſua humaniſſimè mihi detulit, petiuitque vt eius triremem conſcenderem.

FEBRVARIVS.

More antiquitus recepto obſeruatur apud Venetos, vt nulla triremis hinc pelago ſe cõmittat, niſi alteram ſibi ad minus adiunctam habeat, idque periculi alicuius conſideratione, quod in legendo tam longo Turcici littoris tractu occurrere poſſet. Quamobrem cùm tertia illa Diedonica, quæ mea eſſe debebat, duabus illis triremibus adiecta fuiſſet, neque compareret, quòd Diedo diutiùs in Candia hæreret, Priulus cum naue ſocia diutiùs ſibi exſpectan-
4. dum non putauit. Itaque die quarta Februarij, cùm Rectori ciuitatis ceteriſque notis valedixiſſem, paulò ante veſperam, Priuli triremem conſcendi. Tandem tertia noctis hora, nuntium Sudâ allatum eſt, triremem Diedonis appuliſſe: quæ cùm à Canea tribus tantùm milliaribus abeſſet, duæ noſtræ iam iam ſoluturæ, exſpectare illam debebant.

5. Manè triremis illa portum eſt ingreſſa, ſtatimque Diedo cum Caſtellano fratre ſuo, ad eam triremem, quam conſcenderam, paruo nauigio peruenientes orabant, vt illorum nauem ingrederer, quæ iam pridem à Regentibus Candiæ mihi eſſet attributa. Reſpondi, ſi mihi hoc genus officij & humanitatis detuliſſent eo tempore, quo illis hoc demandatum à ſuperioribus fuit, nihil me facturum fuiſſe libentiùs: ſed quandoquidem, propter priuata illorum negotia, integram hiemem in Inſula me duxiſſe oportuit, & nunc iam optimi viri amici mei nauem conſcendiſſem, pro ipſorum hac bona erga me voluntate, gratias me illis agere, me in conſcenſa triremi, in Dei nomine nauigaturum. Rogabant illi ne hoc facerem. Dixi illos in

culpa esse : mihi aliter facere non licere. Sic abierunt.

Hac eadem die, cùm triremis hæc propter inferendas res victui, vt moris est, necessarias, soluere non posset, vesperi ventus validissimus Boreas, nobis valdè contrarius flare cœpit, vt remigare nulla ratione possemus: qui die 6.
quoque insequenti magis etiam auctus est: cuius natura cùm nautis explorata sit, quòd in quartam vsque diem durare soleat, die septima eiusdem mensis denuò ad monasterium prædictum diuerti; in quo venti opportunitatem exspectans, vsque ad decimam diem mansi: qua circiter secundam noctis horam, cœna sumpta, amicisque salu- 10.
tatis, rursum triremem conscendi. Hora quinta sumus è portu egressi. Manè conspeximus insulam Venetorum 11.
Cytheræa. Cerigo; olim Cytheræa dictam: & hora decimaoctaua, partim remis, partim velis acti, sub arcem ipsam in altissimo monte positam peruenimus; quæ non adeò magna, præsidium Venetorum habet. Cytheræam à Canea milliaria nostra viginti numerantur. In medio itineris est parua insula deserta Cecerigo nominata. Poteramus vltrà progredi, sed quoniam in triremi Diedonis antemna reparatione indigebat, ratione ipsius noctem ibidem duximus. Castellanus loci, me vt in arcem diuerterem inuitauit: sed quòd parum bellè habebam, remansi in littore, ibidem deambulatione peramœna me recreans.

Ventus contrarius insurrexit: cumque portus, in quo 12.
subsistiteramus, paruus & minùs esset securus, nauigauimus retrò ad duo milliaria nostra, portumque securiorem, quamuis desolatum, in eadem Insula tenuimus, qui
Portus S Nicolai & Ecclesia. S. Nicolai dicitur, ab eiusdē Diui parua Græcorum Ecclesia: supra quam in excelso monte exstant peramplæ ruinæ
Palatium Helenæ. palatij Helenæ, quæ ibi habitasse perhibetur. Sed vnde aquam potuerit habere, incertum. In alia parte Insulæ ad littus maris, est paruum & satis integrum Veneris templū,
Helenæ raptæ locus. vnde eamdē Helenam à Paride raptam Poëtę fabulantur.

Cùm

Cùm sub arce in illo eodem portu essemus, venerunt ad dictum Nobilem Supracomitem, decem & aliquot homines, orantes vt eos in triremem acciperet; quandoquidem ipsorum nauis, quæ Nigroponto veniebat, ad insulam allisa, magno cum ipsorum damno interijsset. Admisit eos; ita tamen, vt ne secum merces inferrent, quarum nonnullas in naufragio recollegerant, ne triremis nimiùm oneraretur, quæ circa trecentos homines habebat.

13. Propter eumdem ventum hærere in eodem portu coacti fuimus. Intereà prandio peracto, superuenit nouum, tres triremes ex Barbaria circa Insulam vagari, cum quibus manus conserere parati eramus: sed eæ paulò pòst, vltra promontorium versus Peloponnesum vela direxerunt.

14. Discessimus è portu circiter horam decimamseptimam, & post occasum Solis peruenimus ad alium, *delle Quaglie* dictum, Cerigo duodecim milliaribus distãtem: qui propter infinitam coturnicum multitudinem, quæ ab incolis capiuntur, ab eisdem nomen accepit: prout die insequenti, quandoquidem propter ventum ibidem manere necesse fuit, multi rusticorum plurimas nobis, & alia ad victum pertinentia, afferebant. Qui cùm maiori ex parte inter montes deliteścant, & latrocinijs assueti, non semper tributum Turcarum Cæsari pendant, in tractatione cum illis diligens adhibetur cautio, & tormenta bellica aduersus eos in promptu habentur instructa, si quid attentare velint: atque ita in triremes, vt victui opportuna diuendant, admittuntur; & ad eos in littus etiam descenditur, quod & nos fecimus. Quilibet illorum lorica indutus arcum in manibus gestat. Sub vesperam, contentione inter ipsos oborta, sagittis inter se acriter decertarunt, nobis spectantibus. Portus hic Italicè *Bracço de Mayna* appellatur, quòd montibus vndique præcinctus, brachij curuati similitudinem exhibeat. Paruus ille quidem, vtpote

Portus delle Quaglie seu Coturnicum.

Braczo de Mayna portus.

sex vel septem tantùm triremium capax, sed valdè tutus. Erat hîc anteà Venetorum propugnaculum; sed nunc à Turcis derelictum. Nam cùm Venetorum triremes huc diuertere soleant, ne à Turcis infestentur, inter pacis fœdera, hæc quoque apposita est clausula, vt in arce nullum præsidium Turcicum collocetur.

Manè discedentes, constitimus non longè in portu, 16.
quem Veterem appellant, præterijmus tamen promontorium Matapam: vbi indicatum nobis fuit à custodibus, sex liburnicas rectà versus nos contendere: quas cùm è Barbaria piraticam exercere crederemus, instruximus nos tamquam cum illis congressuri. Posteà animaduersum est, maiores esse piscatorum Christianorum cymbas, qui à S. Mauro in Archipelagum nauigabant. Fuerunt & aliquot inter eos Turcæ, sed propter fœdus cum Cæsare initum, liberè dimissi sunt.

Hora decimaoctaua propter ventũ, è prædicto discessimus: posteà tamen, alio contrario exorto, retrocedendum quodammodò nobis fuit ad eum, qui dicitur, Vituli portum: ad quem tertia demum noctis hora peruenimus, in eoque nauem Venetam, non adeò magnam reperimus, quæ Candiam petebat. Præmonuerunt nos nautæ, ne eo in loco subsisteremus, in quo anchoras ieceramus; & propter ventum si vehementior insurgeret, & propter littoris vicinitatem; cùm præsertim vesperi visa fuerit hominum multitudo non procul congregari, licet incertum quánam de causa, sed tamen cautè hîc agendum esse. Portus isti duo desolati quidem sunt, sed circumcircà plurimas villas habent adiunctas. Si rectà nauigandum nobis fuisset, proculdubiò trigintaquinque milliaria iam confeciſſemus: sed ad hosce portus diuertendo, parùm tuta nauigatione, vltra quinquaginta milliaria emensi sumus. 17.

Vituli portus.

Mare Coronicum non absque difficultate præterue- 18.
cti, propter ventum nobis contrarium, substitimus longiùs

giùs ab arce Coron, ne tormẽtorum globis impeteremur. Hora noctis ſeptima vlteriùs progreſſi ſumus; prætereuntes S. Venedici inſulam, ad aliam, quæ Sapientia dicitur, decem milliaribus decurſis peruenimus. Portus hic elegans & tutus, plurium triremium capax: non tamen Venetorum proprius, quandoquidem etiam Turcæ, propter Methonæ vicinitatem, communem in eo ſtationem habent. *Sapientiæ portus.*

19. Manè cùm ventus ſpiraret contrarius, non niſi hora decimaoctaua noſtræ triremes è portu mouerunt: cumque læuam petere tutum non eſſet, quod Methonæ ciuitas præternauiganda erat, vnde ex propugnaculis Turcæ nobis damna inferre potuiſſent, curſum ad dexteram circa Inſulam tenuimus: vnde tamen Turcæ tres machinas bellicas in nos exploſerunt. Sed longiùs diſſiti eramus. Reſponderunt eis & noſtræ naues, bombardas itidem in amicitiæ ſignum exonerantes. Præterijmus poſteà & Nauarinum celebre Turcarum in monte propugnaculum, à quo ciuitas ipſa longiùs diſtat. Sed arx ipſa imminet portui, in quo Occhialus cum decemocto benè inſtructis triremibus, ſeptem illas Venetorum, de quibus ſuperiùs dictum eſt, præſtolabatur. *Methona Turcarum ciuitas.* *Nauarinũ.*

Sub veſperam, confectis duodecim milliaribus, appulimus ad inſulam deſertam Prodona, in qua aprorum ſilueſtrium ingens eſt multitudo. Media nocte, Sirocco ſeu Euro valido, ſecundo tamen aſpirante, inde diſcedentes, per mare Arcadicum hora quartadecima attigimus Zacynthum. Statim vt anchoræ ſunt iactæ, mercator quidam Marcus Securi, mihi benè notus adueniens, nouum attulit, fratrem meum Georgium Radziuilum, creatum eſſe à Gregorio XIII. Pont. Max. S. R. E. Cardinalem. Cumque naui egreſſus ad Eccleſiam pergerem, magnus fiebat ad me omnium concurſus: qui, vt moris eſt, me ſalutantes, familiæ meæ de nouæ dignitatis huius acceſſione *Prodona.* *Zacynthus ſecunda vice.* *Georgius Radziuilus auctoris frater Cardinalis creatus.*

congratulabantur. Vento illo eodem decemseptem milliaria confeceramus: qui cùm magis ac magis inualesceret, cùm in anchoris nauis minùs esset tuta (neque enim portus hîc, sed Sorsitor, id est statio tantùm nauium habetur) quoniam comeatus importandi caussa, multi in littus descenderant, in reditu euersa vna fregata, vix ab interitu homines vindicati sunt. Suffocatus tamen in mari fuit ibidem famulus meus natione Germanus, quem in Candia susceperam, iuuenis bonus & singulari pietate præditus, qui sæpiùs affirmabat, statim vt Italiam attingeret, quòd Societatem Iesu ingredi omnino constituerat. Igitur periculum declinantes, quatuor milliaria, minore velo propter ventum validiorem appenso, quod Magistram dicunt nautæ, eoque in periculo simili triremes vtuntur, progressi sumus vltra rupem Schiuari vocatam; vbi procelloso vento vehementiùs insurgente, imbre quoque maximo decidente, in loco paulò quietiore versabamur.

Auctoris famulus suffocatus.

Cùm ad Zacynthum essemus, reperimus nauem ibi ante duas hebdomadas ruptam: quæ cùm violentiori vento eò appulisset, iecit quinque anchoras in consueta illa nauium statione, quæ tamen nauem retinere non valuerunt, sed arena sensim cedente ad extremitatem rupis, quę est sub monasterio S. Eliæ, collisa interijt. Fuit hæc nauis Georgij Emo, qui Consul Venetus fuit in Ægypto, nobilis mihi apprimè notus. Æstimabatur damnum quingentis ducatorum millibus. Præcipuæ namque & magni ponderis merces, quę ex Syria proueniunt, in ea naui deferebantur. Perierunt in hoc naufragio homines triginta-septem, vndecim euaserunt. Vidi nauem hanc Tripoli, vnde, me præsente, Cyprum versus nauigauit, vt ibi venti propitij commoditatem exspectaret. Et quoniam Alexandria soluens, Cyprum me delatum iri confidebam, quod ventorum occasione plurimis accidere solet, eo præsertim tempore, quo me velis committebam, constitueram cum

Naufragiũ nauis Emo mercatoris Veneti.

prædi-

prædicto Emo, vt si hanc eius nauem, quæ noua, firma, & benè munita fuit, in Cypro reperirem, eam conscendere, & in Italiam proficisci mihi liceret. Nec mirum quòd ea confracta nihil recuperari potuit: nam & nocte conquassata est; & si quid ad littus vnda propulit, id omne ab agrestibus Græcis ablatum est: qui si quem viuum enatasse deprehendebant, illicò interficiebant: adeò vt propter eiusmodi spolia & direptiones, Rector ex arce descendere coactus fuerit. Altera itidem nauis Ruggina, eamdem calamitatem exspectabat, cùm anchoris etiam retineri non posset. Iamque ij qui in ea deferebantur, tormenta versus latrones rusticos direxerant, vt naui confracta, quibus sors enatandi facultatem obtulisset, ne in littore ab illis interficerentur. Ceterùm cùm iam iam rupi immineret, diuino beneficio ventus quieuit, & nauis periculo liberata est.

21. Quatuor ante lucem horis, nauigauimus per mare Corinthiacum: in quo Christiani fœderis classis, insigni illo ad Naupactum prælio, Turcicam classem, diuinitus concessa victoria, superauit, anno reparatæ Salutis millesimo quingentesimo septuagesimo primo, die septima Octobris. Appulimus ad portum Viscardo insulæ Cephaloniæ, vbi quatuor dies integros propter contrarium ventum manendum nobis erat. Est portus duodecim triremium capax, desolatus. Sed apparet ciuitatem fuisse peramplam (quæ olim Petilia, patria Chilonis, vocabatur) ex muro quadrato constructam. Visuntur ibi quædam ædificia depressa, tamquam cellariorum frontispicia, sursum tamen, non deorsum tendentia. Quidnam fuerit hoc, incertum: nam tantum cellulæ protenduntur, quantum homo extensus occupare spatij possit, non tamen assurgere valeat, propter cauernarum humilitatem. E regione ad dimidium milliare est alia insula Venetorum, quam Cephaloniam veterem appellant, & habet villas aliquot.

Naupactica victoria Christianorum sub Pio V.

Cephalonia.

Inter

Inter haſce duas Inſulas, ſita eſt in medio parua quædam alia ex viuo ſaxo Inſula, rotunda, deſerta, ad iactum arcus lata & longa, quam propè nauigando attingebamus. Affirmant nonnulli eam fuiſſe Gymnaſium ſeu ſcholam Græcorum: in qua Philoſophi à tumultu vrbano liberi, contemplationi vacabant. Qui Hiſtoriographos legunt, rectiùs hæc quomodo ſeſe habuerint, intelligunt. A Schiuari ad hunc Viſcardi portum numerantur circiter viginti milliaria.

Gymnaſium Philoſophorum.

Antelucanis quatuor horis, ſulcauimus mare Albanicum, quod Itali *Golfo de Preuſa*, aliàs S. Mauræ nominant: & relicta ad læuam inſula Venetorum Paxo, quatuor villas habente, circiter vigeſimam tertiam horam, viginti duobus propemodum milliaribus confectis, venimus Corcyram. Statim diuerti ad quoddam exile hoſpitium, in quo noctem duxi. Manè cùm vellem in hoſpitio S. Franciſci hoſpitari, Regentes loci, ad quos literas Ducis Venetorum habebam, miſerunt ad me rogantes, vt ad palatium nobilis cuiuſdam, quod pro me adornatum erat, commigrarem: quod etiam à me factum eſt. Acceſſerunt deinde me ſalutatum Andreas Nauagerius loci Prę fectus, quem illi Bailum vocant; Prouiſor itidem alius Benedictus Erizzo, cum alijs Conſiliarijs. Delatus eſt etiam geſtatoria ſella Zacharias Salomone podagricus, vſu pedum ferè deſtitutus, qui maritimæ Claſſis Prouiſoris munus obibat. Omnes magna mihi humanitatis officia exhibebant. 25.

Corcyra.

Fui cum vniuerſo Magiſtratu in Eccleſia Archiepiſcopali, quæ in arce veteri ſita eſt, quã poſteà perluſtrauimus. 28.

Viſitaui arcem nouiter ſuſcitatam, quæ quàm famoſa, & egregiè munita ſit, nullus eſt qui ignoret: vt meritò maris Adriatici clauis appellari poſſit. Viſitaui itidem Magiſtratum. Cumque hîc ſubſiſterẽ, occurrit caſus, quòd nauis Occhiali, quæ Tripoli Barbariæ trecentos Mauros & Mauras venales deferebat, tempeſtate acta, in breuia Al- 29.

Arx noua Corcyræ.

baniæ

baniæ impegit, vnde retrocedere non potuit. Quoniam autem Veneti absque causſa Turcam non exagitant, & Occhiali rationem habendam ducebant, consultatione habita, decreuit Magistratus, triremibus suis nauem extrahendam: missusque est Zacharias hic ad Bastiam Turcarum ciuitatem, quæ vno & dimidio à Corcyra distat milliari, qui extractam Cadio repræsentaret & traderet. Et quoniam nauis hæc commeatu erat destituta, diuendebantur singula vtriusque sexus Maurorum mancipia, viginti scutorum pretio, è quibus duodecim idem Zacharias coëmit, quæ posteà cum duabus triremibus, quas mihi concesserat, Hydruntum misit; vbi pro quolibet statim centum & plures ducati ab emptoribus offerebantur. HæcOcchialina nauis in causſa fuit, quòd non nisi octauo ab aduentu meo Corcyram die, duæ triremes mihi ad nauigandum fuerint attributæ; vna Ioannis Longi, quam ipse conscendi; altera huic adiuncta illius Venerei, qui vnà nobiscum fuit in Candia.

Maurorum mancipia venalia.

MARTIVS.

1. Prima Martij profectus sum, vno à Corcyra milliari, ad monasterium Græcorum, S. Mariæ dicatum: quod cumprimis celebre, antiquum, & eleganti structuræ artificio conspicuum est.

2. Fui in Ecclesia Græca S. Suiridi, vbi integrum adhuc corpus eiusdem Sancti asseruatur; quod cum magnis cærimonijs Græci venientibus spectandum exhibent. Interea quæ digna visu occurrebant perlustrando, famulum meum cum rebus & animalibus vltramarinis quæ adduxeram, cum tribus triremibus, quę in Italiam nauigabant,

3. Venetias expediui. Ipse verò die insequenti, tertia Martij, circa vigesimam horam triremem conscendi; & quoniam vento carebamus, remigio nauis propellebatur. In medio itineris, habuimus, & pręteruecti sumus ad dextram sinus

Sancti Suiridi Ecclesia & corpus.

maris, quos Veneti in Epiro obtinent; vnde, vt nobis ipsimet retulerunt, ex ouis piscium cephalorum extractis & cera obductis, vulgò Botarga vocant, viginti millia ducatorum annuatim colliguntur. Circa vigesimam tertiam horam constitimus apud eamdē Insulam in paruo portu, vix trium quatuórve triremium capace, quem S. Maria de Cassopo vocant, & quatuor milliaribus à Corcyra distat: vbi propter ventum contrarium, diem quartam Martij, quæ fuit Dominica, & quintam transegimus. Est in ipso littore parua Græcorum Ecclesia; sed desolata. Dum hîc hæreremus, parua nauis Balonâ, quod est Turcarum oppidum, Corcyram versus ferebatur; cumque, vt moris est, triremium iussu, vela demisissēt, indicauit nobis, ante dies aliquot, tres piratarum Turcicorum celoces, in mare, versus Apuliam prodijsse: quæ postea, cùm Barij essemus, conspectæ, non paucos homines ex littore abripuerunt.

Botarga piscium oua.

4.

5.

Manè, vento cessante, remis adhibitis, peruenimus ad insulam Fano, quæ ad Regem Hispaniæ pertinet. Est elegans; pulchram conuallem, & vt apparet, fertilem, si coleretur, habens; aqua etiam dulci optima abundans. Sed propter piratas, tota est desolata. Ad sinistram reliquimus scopulum petrosum è mari prominentem, dictum Manler. Confeceramus iam duo milliaria à priore portu, cumque ventus nullus aspiraret, & mare Adriaticum versus Italiam, vbi nullæ iam sunt insulæ, nobis transeundum esset, cùm subuereremur, ne nox in medio mari triremes deprehenderet, instante præsertim aëris mutatione, decretum fuit, vt in sequentem vsque diem hîc expectaremus. Sub vesperam ventus vehemens flare cœpit: qui cùm magis ac magis increbresceret, & inter Subsolanum & Eurum, paululùm ab Orientali declinans (Itali *Leuante Sirocco* vocant) periculum triremibus minitaretur, quòd portus nullus isthîc esset, retrogredi verò non liceret, defixis anchoris, extremitate insulę vtcumque tecti, noctem

Fano insula Hispanorū.

6.

quæ

quæ valdè fuit obſcura, ibidem ducere conſtitueramus, quouſque dies appropinquaret. Sed cùm maior etiam ventus inſurgeret, quamuis inuiti, hora nona ante diem, mare ingreſſi ſumus: cumque velo maiore, Artemonem vocant, vti non poſſemus, Tercerolam (minus id eſt veli genus) expandimus. Mari itaque vehementer intumeſcente, in magno periculo fuimus: tum quòd nox in medio nos offendiſſet, tum quòd fluctus triremem contegerent, qui triremibus maximè inimici; quæ minores etiam tempeſtates, quas nauigia minora perferrent, tolerare non facilè poſſunt. Nam cùm triremis in longum protenſa, lata ſit & depreſſa, facilè à ventis validioribus conquaſſatur & rumpitur. Vna res nos conſolabatur, quòd triremes nouæ & benè compactæ erant: quæ quoniam tanto impetu ferebantur, vt ad arboris extremitatem fluctus diuiderent; coacti ſumus, propter pondus, ſub ſcamnis inferiùs ſedere, vbi remiges operi incumbere ſolent. In tantum enim fluctus inſurgebant, quòd licet triremes ſibi eſſent vicinę, die tamen appropinquante, vna alteram, quòd vndis contegerentur, conſpicere non potuerit. Vnde factum eſt, vt non ſolùm nos, ſed nautæ quoque & remiges qui à viginti annis & ampliùs in mari verſati ſunt, ita iactarentur & concuterentur, vt vix decem in noſtra triremi reperti fuerint, quibus nauſeam iactatio non excitarit. Omnes tamquam enecati iacebant, fatebanturque ſi diutiùs tempeſtas duraſſet, quòd reſiſtere vltrà non valuiſſent: vnde nauis in extremum diſcrimen adducta fuiſſet. 7. Sed Deo diſponente, circa quartamdecimam horam, cùm primùm illuxiſſet, terra tandem apparuit: compertumque eſt, nos ad nauticæ pixidis præſcriptum, quò tendere debebamus, rectum curſum tenuiſſe. Paulò ante horam quintamdecimam ingreſſi ſumus Hydruntinum portum, non quidem valdè ſecurum. Nam & ventis expoſitus eſt, & in ipſo ingreſſu ſcopulos habet frequentes, qui

Tempeſtas atrox.

ITALIA.

Hydruntinus portus.

conſpici ſub aqua non poſſunt: in quorum vnum, parùm aberat, quin impingeremus. Ita ab eo tempore, quo velum explicuimus, vſque dum portum ingreſſi, nauem, quod per quinque horas durauit, colligaremus, (nam iactis anchoris vndique triremis funibus præcingitur, quod nautæ Ormezar vocant) cõfecimus noſtra decemſeptem milliaria. Sumpto ibidẽ in triremi ientaculo, miſi famulos Hydruntum, qui mihi equos procurarent. Quoniam autem per nauigium quod Corcyrâ præcurrerat, Regis Hiſpaniarum Gubernator Matthias de Lagunna, de aduentu meo certior factus erat, miſit rogans vt in arcem diuerterem. Reſpondi me adproperare, & viſitata Eccleſia Fratrum S. Franciſci de Obſeruantia, me rectà iter continuaturum: cumque ad monaſterium prædictum veniſſem, ipſe quoque veniens me rurſus ad arcem inuitauit: ſed cùm rationes feſtinationis meæ reddidiſſem, acquieuit excuſationi, & me cum ſuo comitatu extra ciuitatem deduxit, ductoreſque duos mihi attribuit, qui me per ſuam iuriſdictionem comitarentur. Eodem die deflectentes quarta milliaris parte ad Eccleſiam S. Marię de Carpignia-
S. Maria de Carpignia-no Eccleſia.
no, eleganter & magno ſumptu exædificatam, vbi Deus multa oſtendit virtutum miracula; gratijs Deo perſolutis, quòd nobis littus attingere conceſſerit, ſub ipſam veſperam peruenimus ad villam Caliſmeriam.

Lecium, & eius Vicerex Caraffa.
Manè peruenimus Lecium, vbi Vicerex habitat. Is erat Franciſcus Caraffa: qui vt didicit me ad hoſpitium diuertiſſe, venit ſtatim eò cum magno comitatu, & ſuis ſtipatoribus (quæ res mihi plurimùm incommodauit; nam eiuſmodi cærimonijs diuulgatum fuit, nos eſſe nobiles extraneos, non paruæ auctoritatis, vnde facilè ſuſpicio orta pecuniam nobis ſuppetere: & proſcripti latrones, vt inferiùs dicetur, nos in itinere ſpoliarunt) meque cum comitibus in palatium inde abduxit. Cumque petiuiſſem ab eo, vt ne eiuſmodi officia nobis publicè exhiberet, quæ 8.

nos

nos in discrimen aliquod adducere possent, vtque nos in hospitio manere sineret, permisit tandem vt abiremus. Prandium tamen ieiunij (erat enim Quadragesima) nobis deferri curauit: quo peracto eidem in palatio valedixi: qui nobis septem equites Hispanos attribuit, vt nos Barium deducerent. Noctem in villa Cielino duximus.

9. Ad ciuitatem Messianam pro prandio, pro nocte peruenimus Astunum: quæ ciuitas in monte, situ eleganti posita, pertinebat quondam ad Reginam Poloniæ Bonam: quæ cùm eò ex Polonia reuersa descendisset, sub eius insignibus in duabus portis congratulationes inscriptæ fuerunt, quæ vetustate vnà cum coloribus exolescunt. *Astunum ciuitas Reginæ Bonæ.*

In prima porta, supra insignia:

BONÆ SFORTIÆ ARAGONIÆ REGINÆ IOANNIS GALEACII DVCIS INSVBRVM FILIÆ OB REGNVM SARMATIÆ ET IMPERIVM IN SCYTHAS AD TANAIM ET BORYSTHENEM MVLTIS ANNIS RECTO ORDINE EX REPVB. ET RELIGIONE GESTVM ASTVNEN. PVBLICE.

In altera porta in vrbis ingressu, supra insignia:

BONÆ SFORTIÆ SARMATAR. SCYTHARVMQ. CIS TANAIM REGINÆ AB VLTIMO SEPTENTRIONE POST ANNOS TRIGINTAOCTO REDVCI OB IVRA ET IVSTITIAM IN VRBEM REVOCATAM ASTVNENSES PVBLICE.

Distichon sub insignibus:

AVREA SATVRNI REDIERVNT SECVLA FIRMA
SCEPTRA TENENTE MANV NOMINE REQ. BONA.

10. Die decima Martij peruenimus Monopolim: vndeci-
11. ma, ad Moli villam: posteà Barium pro nocte, quæ ciuitas eiusdem olim Reginæ fuit: in qua quæ digna visu occurrebant vidimus, præcipuè sepulchrum D. Nicolai Myræ Episcopi: è cuius venerandis reliquijs manna stillat, cuius aliquam partem ad Ecclesiam Niesuisiensem mecum detuli. *Barium Apuliæ ciuitas.* *S. Nicolai Episcopi sepulchrum, & Manna.*

tuli. Quamuis autem, quis essem, illis non proderem: quòd tamen Sigismundi Augusti Regis aulicum me fuisse profitebar, ostensum mihi fuit Reginæ Bonæ corpus, quod in Sacristia Ecclesiæ Cathedralis est repositum, in tumba nigro serico villoso cooperta. Nondum enim erat sepulturæ demandatum. Est adhuc integrum, nisi quòd superior labri pars aliquantùm defluxit. Postquam me aduenisse intellexit Archiepiscopus, misit famulos ad hospitium, qui me ad palatium suum inuitarent. Sed cùm me cœnantem reperissent, excusaui me, neque fassus sum illum me esse, quem Archiepiscopus arbitraretur. Id ea de caussa feci, quòd summo manè inde discedere constitueram: quandoquidem iam à Gubernatore nouos conductores acceperam, remissis illis qui Lecio mecum venerant.

Bonæ Poloniæ Reginæ corpus.

Venimus Malfettam; inde pro nocte Barlettam, olim Cannas. 12.

Hìc iam situs, & loca vrbium, quæque in illis notabilia sunt, describere minùs necessarium iudico; quandoquidem Italiam visere multis perfamiliare est, qui illius prouincias accuratè peragrarunt.

Manè tribus à Barletta milliaribus confectis, transiui- 13.
mus per pontem, fluuio superimpositum, quem Cannam vocant: quòd ab eodem illo loco proueniat, in quo memorabili clade Hannibal Romanos affecerat. Abfuimus ab illo loco, qui nobis ab læuam erat, duobus tantùm milliaribus. Pro nocte Cariginolam peruenimus.

Ad Cannas Romanorũ clades.

Venimus ad ciuitatem Foggiam; vnde à Rege Hispa- 14.
niarum, Reginæ Poloniæ Annæ census annuatim pendebatur.

Attigimus oppidum S. Seuerini: pro nocte in Sera, Gon- 15.
zagarum oppido, quieuimus.

Peruenimus ad Teruimos: deinde pernoctauimus in 16.
Guasto, vbi Aprutiorum, qui anteà Samnites dicebantur, confinia incipiunt.

Primò

17. Primò ad Fossam Cæcam, deinde pro nocte Ortonam deuenimus: qui locus tunc temporis ad Parmę Duciſſam, Margaritam ab Auſtria, pertinebat.

18. Venimus Piſcariam: vnde conductores, qui Bario nos comitabantur, à me dimiſſi redierunt: ea maximè de cauſſa, quòd cùm certò ſciremus, nos in globum aliquem proſcriptorum, qui Italicè *Banditi* vocantur, & prędа ac rapinis viuunt, incidere debuiſſe, ſi in comitatu noſtro, ſatellites eiuſmodi iuſtitiæ adminiſtros, quos *Barigellos della campagna* vocant, deprehendiſſent, nec illos nec nos viuos abire permiſiſſent, id quod ſæpiſſimè vſu eueniſſe comprobatum fuit. Maluimus igitur in manus prædonum, qui in hiſce locis ſedes quodammodò fixas habent, abſque odioſis ſtipatoribus deuenire, quàm nauali itinere in certiſſimum naufragium nos conijcere. Nam propter continuos ventorum turbines mare attentare, non modò inſipiens, ſed planè exitioſum conſilium videbatur. Vtque facilius intelligi poſſit, quantopere hiems hæc ventis obnoxia fuerit, hîc addendum exiſtimaui, multos affirmaſſe, à quinquaginta circiter annis, tempus hibernum nauigantibus numquam magis inimicum & pernicioſum fuiſſe. In freto ſiquidem Herculeo ſexaginta & ampliùs onerarias Chriſtianorum naues tempeſtas abſumpſit. Et intra ſexdecim hebdomadas, quibus in Candia moram duxi, in ipſo Archipelago, ſiue mari Ægæo, non minùs Turcicæ quàm Chriſtianorum Caramuſanæ naues vltra viginti ſex ventorum iniuria deperiere. Cùm itaque ſpe vlterioris nauigationis præciſa, terrâ nobis iter faciendum eſſet, veſperi conuocatis meis ſeriò edixi, vt à prædonibus circumuenti, in vnam narrationem ab illis interrogati conueniremus: quæ res nobis cumprimis ſalutaris fuit. Nam ſi non vniformes in examine reperti fuiſſemus, vel nobis illicò intereundum erat; vel quiſnam eſſem non adeò difficulter deprehendi poterat, vnde in cuſtodia detentus,

Piſcaria ciuitas.

Hiems ventoſa.

magna

magna proculdubiò pecuniæ ſumma libertatem redimere neceſſariò debuiſſem. Hoc enim viarum obſeſſores iſti facere ſolent, ſi quem adepti fuerint, qui aliquem perſoluendi modum habeat. Erat tum etiam mecum Italus quidam, qui ſe Alexandrum Cęſarini appellabat, & Roma proſcriptus, cum Latino Vrſino in Candiam appulerat: vbi cum alio quodam Italo cùm graues inimicitias ſuſcepiſſet, timens ne deterius aliquid ſubſequeretur, in Italiam eadem qua & ego triremi vectus reuertebatur. Petiuitque vt terreſtre quoque iter mecum continuaret: quod non grauatim conceſſi, ita vt vecturam & victum vnà cum meis communem haberet. Eo itaque cum alijs meis accerſito, iuſſi, vt caſu, quem verebamur, occurrente, omnes dicerent ſe eſſe ſocios, nullumque inter eos dominum aut ſuperiorem haberi: Venetis in Corcyra militarem operam nauaſſe; & miſſione habita Venetias primùm, inde ad ſuam quemque domum proficiſci: quandoquidem diuerſarum gentium homines eſſemus, vtpote Germani, Poloni, Lithuani. Ad eundem modum, vt omnes ſeorſim interrogati, reſponderent, concluſum. Quòd ſi de pecunia inquireretur, dicerent eam eſſe in ciſta, quam habebamus. Nam negare impoſſibile foret: quandoquidem veſtigata & reperta, mortem indubitatam nobis, ob negationem, acceleratura eſſet.

Manè Piſcariâ exeundo, præmiſi coquum, vt nobis ad 19.
tertium milliare prandium prępararet. Progreſſi ad vnum magnum milliare, habuimus ad læuam, arcem in monte
Mons Syluanus. poſitam, quæ *Monte Syluano* cognominatur, & ad Nuceriæ Ducem ſpectat. Ibidem eſt fluuiolus equo vadabi-
Salina fluuiolus. lis, qui Sala ſeu Salina vocatur: vltra quem, ad vnius ſagittæ iactum, eſt diuerſorium è muro conſtructum, ab eodem fluuiolo denominatum.

Auctor cum ſocijs à prædonibus ſpoliatur. Ad amnem igitur hunc vadoſum appropinquantes, ab altera eius parte conſpeximus tres prædones, quos nullo

nego-

negotio discernere licet. Nam quilibet eorum bombardam longam gerit, duas breuiores, aut saltem vnam, ad cingulum appensas; pugionem itidem, & cultrum longiorem habet. Per humerum, loco capsæ, pelle ouilla dependente præcingitur, in qua panem, sal, & alia ad victum spectantia defert. Et quoniam coquo præmisso, sex numero eramus, quinque longas bombardas habentes, ijs præparatis, quòd plures essemus, fluuiolum transibamus: quem vixdum egressi, conspeximus alios tres, priorum illorum vestigia paruo interuallo prementes: cumque numero pares essemus, animo satis præsenti eramus. Priores illi nobis obuiàm facti consalutarunt nos: quibus reddita salute, cùm vltra fluuiolum retrospexissemus, ecce alij circiter decem comparuerunt, qui inter fruticeta prope viam delitescebant, nec à nobis prætereuntibus videri poterant. Posteà tribus alijs obuiàm facti, quòd nos non sunt adorti, arbitrabamur prædones hosce vel occasionem nos inuadendi non habuisse, vtpote quòd propinquum hospitium esset, quòd mare ad dextram vicinum, quòd ante nos campus patens immineret; vel aliquod illis impedimentum allatum, quandoquidem arx Montis Siluani duobus tantùm Italicis milliaribus inde abesset. Cùm igitur hospitium præteriremus, aperto illius ostio, proruperunt inde vltra quinquaginta, cum longis bombardis ad explodendum paratis: quas vnicuique nostrûm, aliquot ad latus applicuerunt, & vt ad hospitium rediremus coëgerũt. Et quoniam præteritis illis tribus posterioribus prædonibus, securiores facti, bombardas nostras thecis imposueramus, manus illis statim admouerunt, & clausâ hospitij portâ, rotas illarum, ne globos excluderent, relaxarunt: iusseruntque vt ab equis desiliremus, & arma quæ habebamus, ademerunt. Reperimus ibidem vltra viginti & aliquot personas: & cum ijs coquũ etiam meum. Nam cùm prædones isti aduentum nostrum exspectarent, quem-

cumque Piſcariâ redeuntem, vel verſus Piſcariam euntem in itinere offenderunt, eum illicò detinebant, ne progredi vel regredi poſſet: vtque poſteà comperimus, exploratores ſuos, qui nos veſtigarent, iam habebant, Guaſtij, Ortonæ, ad extremum Piſcariæ: ſed & vltrà non deerant, qui nos ſemper obſeruarent. Quæſiuerunt deinde à nobis, vnde & quò veniremus, qui homines, & ſi quem Dominum inter nos haberemus. Poſtremò de pecunia percontabantur, ſeorſim quemlibet abducentes. Cumque in dando illis reſponſo, nobis optimè conueniret, palàm proclamantes, Ne celaueritis, inquiunt, pecuniam: alioquin fiet vobis, quod alijs facere ſolemus. Cumque denuò ſeorſim nos examinarẽt, quatuor vel quinque ex illis, cultros longos lateri cuilibet noſtrûm admouebant, vrgentes vt vnuſquiſque fateretur, quantum pecuniæ haberet. Primò itaque ſacculum meum arripuerunt, in quo erant Cecchini ſex, & aliquantulum monetæ. Fecimus autem ex induſtria, vt quilibet noſtrûm aliquantum pecuniæ haberet, quò faciliùs intelligeretur, nos eſſe in itinere ſocios, & quemlibet ſeparatim ſumptus facere. Cumque illis ſacculus meus perplacuiſſet, eum à cingulo abſciderunt. Deinde per latera & vbique me attrectabant, ſed habebam tamen interulam bombycinam, quam è triremibus deſcendens nondum depoſueram. In ea nihil pecuniæ repererunt. Non omnia tamen apud me exactiùs excuſſerunt, quòd adproperarent: de qua re dicetur inferiùs. Poſteà Abrahamum Duninum inuaſerunt, cui ſacculum cum vndecim Cecchinis ademerunt. Et quoniam thoracem ex aluta alcina benè bombyce refertum indutus erat; eum diligentiùs quilibet prędonum (erant autem circiter octoginta ſimul congregati, viginti tantùm pro cuſtodia relictis) attrectabat, & ita obuerſabat, vt globulos fibularum auulſerint, ad extremum & induſium quoque concerpſerint. Adorti ſunt deinde Georgium Kos,

qui

qui quoniam pecuniam meam in ſumptus quotidianos erogabat, habebat in ſacculo circiter triginta Cecchinos, qui illis pergrati acciderunt: cumque eiuſdem veſtes excuſſiſſent, nihil repererunt ampliùs. Deuenerunt poſteà ad Andream Skorulski, cui cùm aliquot Cecchinos vnà cum loculis ademiſſent, nec aliquid ampliùs offendiſſent, eumdem reliquerunt. Porrò qui pecuniam à nobis adimebat, erat adminiſter ſuperioris quem pro capite ſuo agnoſcebant (is in ſuperioribus cubiculis remanſerat, neque ſe nobis ſpectandum exhibuit) homuncio ſaturâ paruus. Is cùm ad Alexandrum Italum demum acceſſiſſet, qui, vt cautior, pecuniam quam habebat omnem, quadraginta videlicet vel quinquaginta ſcutos, in thecam bombardici pulueris conijciens, eam appenſam collo gerebat, eamdem è collo illius, vt eiuſmodi ſtratagematum peritus, abripiens, ſuo impoſuit. Italus damnum permoleſtè ferens, voce ſubmiſſiore vſus, Omnem, inquit, pecuniam mihi ademiſti. cui exactor; Vbínam ea? In theca iſta pulueris, inquit. Subintulit exactor; Tace, ait, ſi vis incolumis vnà cum ſocijs euadere. Hoc ideò vetuit, vt, de pecunia illa reticens, in diuiſionem totius pecuniæ nobis ereptæ, cum reliquis prædonibus veniret; & in ſignum gratitudinis hoc perfecit, vt ne ſarcina huius Alexandri ab illis attrectaretur. Iuſſerunt deinde, vt illis ciſta recluderetur, in cuius ſummitate, ducentos Cecchinos inuenerunt, ſtatimque numerarunt; & cùm vnus defuiſſe videretur, volebant denuò numerare, ſed quoniam properabant, intermiſerunt. Acceperunt etiam in moneta ad ducentos ſcutos: & alia quæ ibidem erant repoſita. Habebam enim elegantes cultros Turcicos, auro incluſos, lapides etiam pretioſiores ex partibus illis, & nonnulla alia ex auro ſolido artificiosè & eleganter elaborata. Hæc omnia abſtulerunt. Agnoſco autem & hîc eximiam Dei erga me benignitatem, quòd ex diplomatibus varijs quæ in ciſta erant, ſpo-

liatores me non agnouerint. Fuit enim in ciſta, quam auidè ſcrutabantur, theca viatoria parua ex tenui ferri lamina, in qua diplomata ne madefierent, Pontificis, Regis, Reipub. Venetæ, item literas quorumdam Venetorum ad ſuos Agentes, quibus iubebant, vt mihi aureorum millia quot vellem, crederent, repoſueram. Hanc cùm acres inquiſitores in manibus haberent & verſarent, tamen illam non aperuerunt: ſed vt leuem eſſe & abſque pondere ſenſerunt, reliquerunt, fortaſſe rem parui momenti exiſtimantes. At verò ſi thecam aperuiſſent, & literas omnes explicuiſſent, ita me in ijs inueniſſent expreſſum, vt ego verba illis dare nullo modo potuiſſem, ſed res potiùs pro capite fuiſſet dependenda. Ceterùm exactor ille noſter ad ſuperiorem illum ſuum, latronum ducem, ſæpiùs aſcendebat (erat namque in eodem ſtabulo ſcala) & mutuò colloquebantur. Cumque rigidiùs nobiſcum iam agere cœpiſſent, pileos & veſtes detrahendo, Alexander Italus ille per Deum orabat, vt ne illum interficerent. Huic ego clàm inſinuaui, ne hoc ab illis efflagitaret: cauſſamque hanc reddidi: Si nos interficere conſtituerunt, nihil ſupplicationem profuturam; ſi non, celeriùs te mactabunt, vbi viderint, te nimio plùs mortem timere. Sed cùm ille nihilominùs iterùm iunctis manibus preces ingeminaret, tum ego clara voce; Fruſtrà inquam, eos his vocibus obtundis: ſunt enim viri boni & Chriſtiani; ſed cùm neceſſitatem patiantur, debent, vt eam profligent, alicunde accipere. neque tamen nos occident, cùm nihil tale promeriti ſimus. Vnus igitur eorum, qui mihi adſtabat, hæc audiens, me hoc nomine complexus eſt, & gratias egit, quòd rectè de illis ſentirem. Nec malè mihi officioſa hæc locutio ſucceſſit. Nam cùm quidam pallium mihi detrahere cœpiſſet, admonuit vt me ſineret, quem bonum virum dicebat. Intereà exactor ille pulueream quoque thecam meam attraxit; ſed poſtquam vidit, orificium eius eſſe

peran-

peranguſtum,per quod pecunia intus immitti non poſſet, eam dimiſit. Venit & alius,cui Corona mea, ex calculis oratorijs connexa,adlibuerat, quam cingulo alligatam gerebam,eam omnino ſibi dari iuſſit. Et quoniam ea carere, dolenter admodum ferebam, quòd magnis Indulgentijs à Gregorio XIII. dotata eſſet, quodque loca Sancta mecum vbique attrectaſſet,obnixè petiui,vt eam mihi relinqueret. Accepit ille nihilominùs: & eam diligentiùs intuitus,erat enim ex Canna Indica, vbi cranium demortui ex ebore ſculptum,alligatum inuenit,illam conſpuit, & in terram abiecit, mortis fortaſſe memoria conterritus: atque ita abiectam ſuſtuli. Cùm itaque nobis omnem pecuniam ademiſſent,petiui, vt nobis tamen aliquid pro victu relinquerent. Itaque mandato ſui ducis Cecchinos decem manui meæ impoſuerunt: inter quos erat vetus numiſma Valentis Imperatoris:quod erat inter alios antiquos nummos in quadam ſarcina repoſitum. Vnde apparet,omnia illos ſimul commiſcuiſſe quæ nobis rapuerant. Iuſſerunt deinde, vt nobis calcaria adimeremus: fecerunt hoc mei: ego vno depoſito,cùm aliud deponere incipio, ſcrutator ſcriniorum exclamat cum riſu: Vnum (inquit) tibi calcar habe,vt equum incites ad curſum, ſi quem cui fortè abſtuleris. Quid aliud diceret veterator, niſi quod ipſe facit? Igitur cùm ſibi applicuiſſent calcaria,conſcenſis equis noſtris diſceſſerunt. Reliquerunt tamen duos mulos macros,& duos equos claudos,qui res deferebant. Abeuntes per iocum dicebant, vt eos exſpectaremus, quandoquidem pro nocte ad nos iterùm redituri eſſent. Cùm diſceſſiſſent,aſcendimus ſuperiorem hoſpitij partem,vbi hoſpitem ipſum cum famulo ligatum reperimus. Nam cùm nocte præcedente hoſpitium eſſet clauſum,& illi in eo deliteſcere conſtituiſſent, nonnulli ex illis finxerunt ſe mendicos,& frigore confectos: vtque calefierent,ſe intromitti orabant. Hoſpes verum id credens,domum aperuit:

vbi ſtatim ab illis raptus, & cum ſeruitore ligatus eſt, creſcente magis ac magis eorum numero. Hora plus minùs tranſacta, poſteaquam à nobis diſceſſerunt prædones, è locis circumuicinis homines armati congregari cœperunt; prout moris eſt, vbi hoc genus direptorum eſſe compertum fuerit. Venit eódem & ipſe Gubernator Caraffa oppidi S. Angeli Ducis Nuceriæ. Erant iam ad mille homines congregati, qui nos ſpoliatos à prædonibus viderunt, ipſis intra montium abdita ſeſe recipientibus. Itaque Gubernator ſecum nos in oppidum abduxit, quod vno milliari ab hoſpitio prædicto diſtat: nobiſque cœnam & diuerſorium in ſuo palatio præbuit. Intelleximus hîc, exulum illorum ſuperiorem fuiſſe quemdam Iacobum de Monte Brandon, prædonem famoſiſſimum: qui poſteà cum quatuordecim ſocijs captus, & extremo ſupplicio affectus fuit. Nam Gregorius Papa XIII. qui me ſingulari quadam gratia complectebatur, diligenter ad Don Petrum Oſſunæ Ducem, Neapolitanum Viceregem, ſcripſit, vt malefactores iſtos perquiri, & in eos animaduerti iuberet. Quamobrem vltra prædictos, & multi alij comprehendebantur, ex indicijs ſpoliorum noſtrorum agniti. Nam in partes omnes ſcripta direxeram, è quibus qualiter acta res fuerit, intelligi poterat. Hic ipſe latronum dux, vnà cum ſubſtituto ſuo comprehendi timens, vltra mare iam fugâ euaſerat. Sed tandem in Dalmatia captus eſt.

Iacobus de Monte Brãdon latro inſignis.

Petrus de Oſſuna Vicerex Neapolis.

Poſt acerbum hunc caſum manè conſultabamus quid nobis faciendum eſſet. Nam & pecunia in ſumptum itineris deſtituebamur: & tutam profectionis rationem non facilè reperiebamus, quòd viæ à pluribus prædonum globis paſſim obſiderentur. Miſi itaque ad Regis Hiſpaniarum ciuitatem, Cento dictam, in qua Vicerex Prouinciæ reſidebat, ab eo conſilium & auxilium petens. Reſpondit, ſibi conſilium non ſuppetere; quandoquidem ante dies octo, centum proſcripti, triginta & aliquot itidem homi-

nes,

nes, Neapolim euntes spoliarunt, decemseptem insuper interfectis, qui se defendere conabantur. Concluſum igitur fuit, vt eos nobis conductores adhiberemus, qui vel ipsi prædones fuerunt aliquando, vel qui familiares aut sanguine coniuncti eis essent: vt nos per eorum cuneos deducentes, fidem facerent, nos eos ipsos esse, qui iam antè per proscriptos omnibus exuti essemus: quæ res passim vbique iam erat diuulgata. Itaque duos conduximus: vnum Franciscum nomine, qui octo annos inter prædones conuersatus cum illis amicitiam arctè colebat: alterum, Sacerdotem quemdã, qui fratres duos illiusdem farinæ habebat. Diem igitur apud Gubernatorem commorati, & acceptis ab eo decemocto scutis mutuis, Anconæ illi restituendis, insequenti die à prandio Adriam versus
12. iter instituimus. Et quoniam duos tantùm mulos habuimus, qui res nostras deferebant, & duos itidem exiles equos (neque enim plures conductitios inuenire potuimus) partim pedites, partim alternis vicibus equitando, Adriam pernoctaturi peruenimus, certatim ad nos videndos incolis concurrentibus, quòd illis, qua ratione à prædonibus tractati fuerimus, iam innotuerat.

Peruenimus ad oppidum, quod Iulia noua dicitur. Hîc *Iulia noua.* intelleximus, quòd ijdem illi prædones, qui nos spoliarãt, in oppidum hoc (sicut, vbi plures numero congregantur, facere plerumque solent, incolas occidendo, domos spoliando) irruere volebant. Sed quoniam in monte positum eminebat, vbi animaduersum fuit eos aduentare, portam ciues clauserunt: prædones verò ad dexteram versus mare deflexerunt. Hîc Franciscus ille, qui mecum erat, cùm sciret matrem habitare cuiusdam celebris prædonum ductoris, Baronis Neapolitani, accessit ad illam, casum nostrum illi exposuit (quamuis eum iam omnes notum habebant) petiuit, vt nobis aliquem è suis adiungeret, qui filio notus esset, vt si fortè in eum incideremus, propter

eius

eius interceſſionem, liberos nos abire permitteret. Fecit hoc illa non grauatim. Quoniam verò idem Franciſcus ſciebat, nos in alios quoque incurſuros, quotquot notos illorum habere poterat, qui in vicinia prædabantur, eos omnes conduxit; ita vt prandio peracto, cum quinque eiuſmodi prædonum amicis nos in viam dederimus. Equos etiam ibidem conduximus, ne quis pedeſter noſtrûm iret. Vix vno dimidio milliari à ciuitate confecto, conſpeximus in monte tres prædones. Itaque vnus è comitibus illis, dixit ne conturbaremur, quòd eius amici eſſent: ſtatimque ad læuam prope viam ad lapidis iactum oſtendit nobis Eccleſiam paruam deſolatam, in qua dixit circa quinquaginta prædones deliteſcere: qui alios inimicos ſuos, prædones itidem, vt cum illis armis decertarent, opperiebantur. Nam vbi quis cum altero inimicitias contraxerit, vterque proſcribitur: atque ita proſcripti proſcriptos quiſque ſibi aggregare ſtudet: ſeque mutuò cædibus perſequuntur, donec vna factio alteram funditus exterminet. Sub veſperam peruenimus Trontum: vbi ditio Regis Hiſpaniarum terminatur, & Pontificis ex illa parte fluuij incipit; qui cùm ſit profundus, habet naualem traiectũ. Hîc verò credebamus, quòd nos inuaſuri eſſent. Nam in monte excelſo ſupra traiectum, erant circiter ducenti, prout nobis ductores noſtri narrabant, affirmabãtque hîc eſſe Baronem illum, cuius mater in Iulia noua habitaret; qui vel quia alios prædones (nam cum plurimis habebat inimicitias) exſpectabat, vel quia ſciebat nos iam eſſe ſpoliatos (habent enim vbique ſuos exploratores) ideò nos inuadere negligebat. Hic, qui à matre eius nobiſcum mittebatur, dicebat, fieri poſſe, quòd nos nihilominùs adoriretur: ſed vbi cognouerit, nos à matre commendatos, illicò nos liberos abire patietur. Traiecimus intereà fluuium: & quoniam abhinc dimidio milliari hoſpitium aberat, in quo noctem ducere debebamus, Franciſcus noſter,

Proſcriptorum miſera conditio.

ſter,qui in eadem arte benè verſatus fuerat, opinionem hanc habuit,quòd illi tantiſper exſpectarent, dum ad hoſpitium diuerteremus, vt nocte ſuperueniente poſſent nos ibi liberiùs excutere. Adiuuit & hoc fortaſſe,quòd à meridie pluuia ingens deciderat,quæ lutum maximum in terra pingui excitauit: itaque cùm equos non haberent, pedibus incedentes difficilè nos aſſequi poterãt, qui equis calcaria addebamus. Quamobrẽ licet hoſpitiũ illud eſſet benè clauſum (ſed nec hoſpiti quidem fidẽdum erat; nam hoſpites etiam cum proſcriptis communionem obuios deprædandi habent) vbi nox aduenit, & à prædonibus è monte conſpici non poteramus, data licentia abeundi apud traiectum ſocio illi, qui nos à matre Baronis miſſus comitabatur, arripuimus iter per tria noſtra milliaria ad ciuitatem Grottam, certò nobis perſuadentes, quòd pedites nulla nos conſequi ratione poterant, & quòd ciuitas illa diligenter clauſa propter prędones cuſtodiretur. Cùm itaque eò circiter horam noctis quartam perueniſſemus, prope portam ciuitatis, in hoſpitio reliquum noctis tranſegimus.

23. Manè confecimus quinque milliaria ad portum Formanum: vbi,quòd locus iam eſſet ſecurior, & equi fatigati,pro nocte ſubſtitimus.

24. Venimus Lauretum manè: & quoniam Sabbatum erat Palmarum, quilibet ad deuotionem ſe præparabat. Venit eò hac ipſa quoque die Iulius Gonzaga ex aula Cæſaris deuotionis cauſſa, apud quem erat quidam ſeruitor Polonus: qui cùm intellexiſſet, nos Ieroſolymâ redire, percontabatur diligenter de Siekierzecka Polona, quam ſibi propinquo ſanguinis gradu coniunctam affirmabat. Cumque dictum eſſet, quid cum illa ageretur, libenter id audiebat,& gratias agebat,quòd intellexerat,eam,nauem conſcendiſſe,quæ Venetias contendebat. *Lauretanũ B.V. ſanũ.*

25. Dominica Palmarum,percepto diuiniſſimo Sacramen-

to in ædicula beatissimæ Virginis, in qua illi Angelus Dominicam incarnationem annuntiauit, & prandio sumpto,
Ancona. peruenimus Anconam: & quoniam pecunia indigebamus, nam & illi Gubernatori decemoocto scutos remittere, & ijs qui nos deducebant soluere, & de itineris sumptu prouidere debebamus, quærebamus notum aliquem 26.
mercatorem, qui nobis in hac angustia subueniret: quo non reperto, cùm & locatores nostri reditum vrgerent; & hospita videns nos laceros, & pecunia destitutos, se ad Magistratum ituram, vt in custodiam conijceremur, minitaretur; consilium cepi (quandoquidem ciuitas Anconitana Pontificis esset, à quo nempe Gregorio XIII. literas patentes, quas superiùs inserui, habebam) Gubernatorem ipsum cum diplomate Pontificio accedere, qui erat nobilis
Lambertinus Ancona Gubernator. Bononiensis, è familia Lambertina. Assumptis itaque mecum Abrahamo Dunino & Georgio Kos familiaribus, accessi ad eum, cùm Audientiam, quam vocant, publicè daret: exposui casum qui nobis acciderat, qui non est ijs insolitus, qui terras alienas peragrant. Et quoniam nullum hîc notum habebam, productis literis Pontificijs, petiui, vt mihi in tanta necessitate præstò esset, & si aliam rationem me iuuandi non haberet, saltem fidem suam apud aliquem mercatorem interponeret, vt nobis de ducentis scutis saltem, dum Venetias peruenirem us, prouideret, quandoquidem ob præteritas & futuras necessitates, ea pecuniæ summa hoc tempore vehementer indigebam. Gubernator lectis literis, quibus me Pontifex diligenter commendabat, & vestitu nostro lacero inspecto, me hunc ipsum esse, qui commendabatur, non credebat, & nos impostores aliquos arbitrabatur. Quod cùm animaduertissem, petiui vt interim vnum ex familiaribus meis pro obside acciperet, in quem animaduertere posset, si se ludificatum deprehenderet. Ille in furias se proripuit, & parùm aberat, quin nos è palatio exturbari iuberet. Hæc ego post-

eà

eà Romam perſcripſi: cumque ei hoc nomine dies dicta fuiſſet, excuſabat ſeſe, quòd non credebat me illum ipſum eſſe, ſed putabat Breue Pontificis nos aliqua ratione aſſequutos (vt per fraudem quandoque fit) cùm ad nos minimè pertineret. Reſponſum illi fuit; quòd quandoquidem fidem nobis non adhibebat, literas Pontificis videns; poterat nos honeſto aliquo modo detinere, & literas Pontificis Romam mittere: cui rem gratam feciſſet, ſi hunc recollegiſſet, quem ſua Sanctitas commendabat: ſin verò diuerſus aliquis ab eo deprehendebatur, poterat de eo capitis ſupplicium ſumi, qui falſas literas circumferendo, eum ſe fingeret, qui non erat. Quamobrem reprehenſus, officio Gubernatoris poſtmodum hac de cauſſa exutus eſt.

Diſcedentes igitur abſque vlla conſolatione à Gubernatore, cùm, quid agendum nobis eſſet, neſciremus, diligenter inquirendo didicimus de quodam mercatoris Veneti Quirini negotiorum curatore. hunc igitur ego conueni. Et quoniam prædones, licèt ſinus meos excuterent, propter feſtinationem tamen, non deprehenderunt Agni Dei reliquias, quas circumferebam: vbi quoque erat particula ſanctæ Crucis, auro & lapidibus adamantinis exornata; cuius valor ad minus ducentis ſcutis poterat æſtimari. Habebam & Crucem Ieroſolymitanam, quam collo appenſam geſtabam, quę & ipſa quadraginta ducatos Vngaricos adæquabat; catenulam quoque auream, qua culter alligabatur. Andreas quoque Skorulski habebat annulũ, quem cum duobus aureis Portugallenſibus in ocream immiſerat, & prædonum rapinæ ſubduxerat. Enarraui huic procuratori ſingula, quæ nobis acciderant, & offerens illi quę nobis erant reliqua pro pignore, petiui vt nobis centũ ſcutos daret, licet multo pluris æſtimarentur. Acquieuit non grauatim. Sed cùm debitis perſolutis, locatoribus expeditis, in hoſpitio quoque pro victu & equis Laureto cõductis, pretio dato, reſiduum nobis pro itinere nullum re-

quum esset: licet iam Georgius Kos Venetias pro pecunia mittendus in procinctu esset, quoniam tamen ad minus per octiduum reditus illius exspectandus erat, & hospita carcere nos subinde territabat, denuò ad illum ipsum mercatorem cum illo tractaturus accessi, vt nobis centum adhuc alios scutos mutuos daret. Ille quamuis videret, pauca, quæ habuimus, iam pignore sibi obligata, nosque viros bonos iudicaret, non valdè tamen, quod posteà ipsemet fatebatur, nobis fidebat. Exhibui itaque illi Pontificis, Regis Stephani, & Ducis Venetorum literas: è quibus cùm iam didicisset, quis essem, de cuius cognomine & familia etiam anteà inaudierat, paulatim dictis fidem adhibere cœpit. Ostendi illi prætereà literas, præcipuorum quorumdam negotiatorum Venetorum manu & sigillis cõsignatas, quibus per Syriam, Ægyptum, Cyprum, ministris suis iniungebant, vt mihi pecuniam suppeditarent, quæ ad aliquot Cecchinorum millia ascendebat. Atque ita demum magis etiam nobis credere cœpit. Nam vt posteà ipse dicebat, literæ Principum patentes, cum priuatorum schedis, quibus pecunia mihi numeranda continebatur, in nomine & cognomine meo optimè conueniebant. Dedit itaque mihi & alios centum scutos. Sic locatoribus nostris cum eorum satisfactione expeditis, debitis, & quæ in hospitio dare tenebamur, persolutis, currum cum quatuor equis nobis conduximus.

Senogallia. Manè discedens, pro prandio veni Senogalliam; inde Fanum transeundo, quòd via esset propter pluuiam lutulenta, & equi fatigati, vt plus itineris pedibus confici fuerit necesse, tertia noctis hora Pisaurum peruenimus, & clausa ciuitate, in hospitio suburbij pernoctauimus. 27.

Pisaurum.

Ariminum. Manè Catholicam; vesperi Ariminum venimus. 28.

Quoniam dies erat Cœnæ Domini, sanctissimo Sacramento suscepto, apud Fratres S. Francisci de Obseruantia, 29.

inter

inter quos vnum quoque reperimus qui multo tempore Ieroſolymis ad S. Sepulchrum commorabatur, iter noſtrum Cæſænagam proſequuti ſumus; pro nocte verò Ra- *Rauenna.*
uennam venimus. Quoniam verò pro feſto Paſchatis Venetijs eſſe conſtitueram, per equos diſpoſitos, poſtas vocant, Chiozzam verſus curſum inſtitui: vnaque poſta
30. confecta, duos Germanos nobiles, qui Chiozzâ veniebant, obuios habui, qui dixerunt, in Ferrarienſibus & Venetorum confinijs, in hoſpitio triginta & aliquot prædones hęrere, quemnam exſpectarent, neſciri. Itali quoque profectionem hanc diſſuadebant, affirmando, quòd ſæpiùs iſthîc homines ſpolientur. Quamobrē ad læuam iter aliud arripui verſus Argentam, Ducis Ferrariæ ciuitatem, quam *Argenta.*
tertia equorum per poſtas mutatione, hora vigeſimaſecunda, ingreſſus ſum: cumque duæ tantùm poſtæ Ferra- *Ferraria.*
riam ſupereſſent, manè eò perueni: & quia Sabbatum ſanctum erat, manſi ibidem, & per ſacrum Paſchæ diem, qui in primum Aprilis inciderat.

APRILIS.

2. Manè, deuotione, quantum peccatoris humilitas dabat, peracta, curru conſcenſo, perueni Francolinum: deinde nauigio per Padum ad oppidum Loreo poſt horam vigeſimamquartam, vbi dormire conſtitueram. Sed quoniam in hoſpitio famulus, quem præmiſeram, nonnullos vagabundos reperit, qui eum eijcere volebant, & quia oppidum non erat clauſum, noluimus hîc quieſcere, cùm & nautæ dehortarentur. Itaque conducta nauicula, hora noctis quinta Chiozzam perueni.

3. Feria tertia Paſchæ, cùm fuiſſem in Eccleſia B. Mariæ, vbi Deus multa miracula operatur, prandio ſumpto, verſus Venetias nauigaui. Et præteruectus portum Mala- *Malamocho Venetiarum portus.*
mocho, in quo nauem conſcenderam, Ieroſolymam profecturus, ad monaſterium ſanctæ Mariæ *della gratia* ap-

plicui: in quo hoc die quo mihi in Terram ſanctam diſcedendum erat, ſacroſanctam Euchariſtiam manè ſumpſeram; & prandio peracto, Venetijs iam nauem conſcenſurus, proficiſcens, denuò indignas orationes meas Deo obtuleram. Huc itaque deſcendens, indignus Deo gratias egi, quòd per immenſam miſericordiam ſuam, nos in hac peregrinatione noſtra cuſtodire, & incolumes huc reducere dignatus fuerit. Inueni hîc loci huius ſuperiorem Patrem Pompeium, qui meus erat Confeſſarius, pius & innocentis vitæ ſenex, qui mihi profecturo coronam ſuam Oratoriam dederat, vt eâ loca ſacra attingerem: quam cùm illi reſtituiſſem, maximam inde lætitiam habuit. Petiui vt die inſequenti ibidem in monaſterio ſacram Euchariſtiam ex eius manibus percipere mihi liceret; quod etiam fecit. Deinde cùm vrbi appropinquaſſemus, vbi is acceſſit, qui teſtimonia ſcripta excipit, ne quis ex loco infecto veniat, cùm nobis poteſtatem è naui exeundi feciſſet, conducta cymba, quam Gundulam vocant, profectus ſum ad Eccleſiam ſancti Sepulchri, vbi Deo gratijs pro felici reditu perſolutis, ad hoſpitium poſteà me contuli. Reperi hîc Michaëlem Konarski, quem Tripoli cum rebus præmiſeram. Petrus Bylina, quem Corcyrâ cum triremibus expediueram, nonniſi decimo poſt aduentum meum die, Zarâ peruenit. Konarski de Polona Sykerzecka narrauit, quòd cùm nauis propter tempeſtatem ad Calliopolim in Apulia in littore conſtitiſſet, licet à me habuerit mandata, vt eius diligentem curam haberet, de neceſſarijſque omnibus illi prouideret, tamen illa cum alijs in littus egreſſa, clàm ita ſe abſcondit, vt reperiri nulla ratione potuerit, atque ita nauis, cùm eam diutiùs exſpectare non poſſet, è littore ſoluit. Sed antequam Venetias appuliſſem, certam notitiam habui, eam in Italia fuiſſe, & peregrinationi inſiſtere, quodque in patriam numquã redire conſtituerit. Quamobrem poſtquam illam in Chriſtianorum

Sancti Sepulchri Eccleſia Venetijs.

rum oras delatam cognoui, ab ea perueſtiganda vlteriùs mihi temperandum exiſtimaui.

Quamdiu hoc tempore Venetijs manſi, quòd valetudine debili ex itineris moleſtijs fuerim impeditus, nuſquam ferè prodij, medicis & recuperandę ſanitati deditus. Antequam tamen inde diſceſſiſſem, fui in palatio: cumq; Dux decumberet, Senatoribus valedixi: quibus etiam binas literas reddidi, quas mihi ad Zacynthi & Cephaloniæ ſuperiores tradiderant. Nam cùm in reditu Zacynthum perueniſſem, & Rector infirmaretur, ego verò cum triremibus inde ſoluere adproperarem, reddere literas non potui. In Cephalonia verò non fuimus ibi, vbi Rector moratur: quandoquidem portus Viſcardo, vbi quatriduum egimus, ex altera parte inſulæ poſitus eſt. Miſſæ mihi ſunt deinde per Secretarium in hoſpitium literæ, quibus Dux Sereniſſimo Regi reſpondebat ad commendationem pro me factam, cùm me iam itineri committerem.

MAIVS.

3. Die tertia diſceſſi Venetijs in patriam per Tridentum, Oenipontem, Halam; vnde per Danubium, Viennam.

29. Perueni ad confinia Poloniæ.

IVNIVS.

12. Perueni Grodnam: vbi ſalutato Rege, illiq́ue gratijs actis pro cura & ſolicitudine, quam planè paternam in rebus meis adhibuit, decem diebus tranſactis, perueni per Dei gratiam,

IVLIVS.

Die ſeptima menſis Iunij Nieſuiſium, anno Domini M. D. LXXXIV. cùm inde ad obeundam hanc peregrinationem, die ſextadecima Septembris diſceſſiſſem, anno Domini M. D. LXXXII.

Vnde ſit nomen Domini benedictum in ſęcula. Amen.

Hanc

Hanc quartam ad te iam ex ipsa domo scribo epistolã: quò me diuina bonitas die septima Iulij perduxit incolumem. Post literas vltimas ex Sitia ad te datas, quòd reditum in patriam accelerabam, nihil ad te scribere potui. Significaueram tamen, cùm adhuc ibi essem, ex palatio Rectoris, nauem illam meam Saitiam, quæ me Cretam aduexerat, visam procul fuisse. Corcyram cùm veniissem, ipsam quoque magnis tempestatibus iactatam, eò appulisse. Peregrinationem hanc meam ita scripto comprehendi, quantum itineris difficillimi occupationes permittebant; neque (quod denuò tibi insinuandum existimo) Historicorum more eam pertractaui, cum quibus in certamen non descendo: neque res eorum nonnullas refuto, quæ cum scriptis illorum, prout coràm inspexi, minimè concordant. Perfunctoriè etiam hæc, & velut per transennam perlustraui: & quod, vt vetus prouerbium habet, in oculos ipsos incurrebat, id tantùm obiter annotaui. Quæ verò ab alijs auditione accepi, ea quoque, sed parcè tamen addidi. Neque enim relationes aliorum disseminare mihi propositum. Ceterùm qui oculis hæc suis ipse vidit, quæ à me sunt commemorata, proculdubiò fatebitur, me plurima diligenter & accuratè, verè autem omnia complexum esse. Nam qui ex aliorum relatione historias suas consarcinarunt, manifestè deprehendi, eos à vero plurimis in rebus aberrasse.

Illud quoque addo, diuina quadam ordinatione & prouidentia factum, quòd, sicut anteà tibi significaueram, licet in contrarium persuasiones non deerant, propositum tamen meum constanter retinueram, per Constantinopolim iter non faciendi. Quamuis enim à Rege Stephano peramplas commendationes habebam, nouo tamen illo casu, vt intellexisti, emergente, in casses proculdubiò incidissem. Deo immortali sit honor & gloria, qui me indignum, per laborioſas huius peregrinationis vias

duxit;

duxit, & ad propria incolumem reduxit. Datum Nieſuiſij, x. Iulij, anno Domini M. D. LXXXIV.

His adiunctũ ad te mitto Ordinem Proceſſionis, à peregrinis in Eccleſia S. Sepulchri obſeruari ſolitum, vnà cum planta dictæ Baſilicæ delineata; non tamen ad debitas Architecturę menſuras, quod temporis breuitas & deuotionis occupatio non patiebatur, reducta; vt faciliùs intelligere poſſis, quæ quolibet loco ſalutis noſtræ myſteria ſint peracta: in quibus piæ commemorationes diuinorum beneficiorum ob oculos ponuntur. Mitto & deſcriptionem Cærimoniarum, quæ in creatione Militum S. Sepulchri obſeruantur. Hæc tu omnia boni conſule, quæ vt à me colligi potuerunt, hîc in vnum coadunata mittuntur: illud ſemper (toties iam à me repetitum) memineris, me, non Hiſtorici, ſed amici potiùs more deſcriptam peregrinationis meæ ſeriem, ad te dirigere. Vale.





ORDO PROCESSIONIS S. SEPVLCHRI.

ITEM

MODVS ORDINANDI EIVSDEM S. SEPVLCHRI MILITEM.


Exterior facies ac tholus S. Sepulchri.
Anticapella.
S. Sepulchrum.
Anticapella.
Capella S. Helenæ.
Capella Inuentionis S. Crucis.
Græcorum Sanctuarium.
Capella apparitionis.
Superior ambitus totus Catholicorum
vsque ad Capellam Apparitionis.
Planta Basilicæ Ierosolymitanæ, et interior ac exterior S. Sepulchri delineatio.

Loca Ecclesiæ sacri SEPVLCHRI,

in imagine per numeros assignata.

1. *Sepulchrum Domini.*
2. *Atrium S. Sepulchri à S. Helena exstructum.*
3. *Cophtorum vel Chaldæorum capella.*
4. *Syrianorum capella, vbi sepulchra familiæ Ioseph.*
5. *Locus vbi Christus stetit, cùm in forma hortulani Mariæ Magdalenæ apparuit.*
6. *Hîc Maria Magdalena stabat.*
7. *Altare Mariæ Magdalenæ.*
8. *Altare maius.*
9. *Altare minus, vbi columna flagellationis.*
10. *Hæc porta ex capella ad partem Monasterij, quæ concessa est nostris Religiosis, vbi thesaurum, cameras aliquot, culinam & aream paruam habent; ingressus nullus alius illis est nisi per Ecclesiam.*
11. *Ad radices montis Caluariæ est carcer, domuncula hortulani anteà erat, vbi Christus Dominus detentus fuit, dum necessaria ad crucifigendum parabantur.*
12. *Altare Longini, nullius nationis.*
13. *Altare diuisionis vestimentorum.*
14. *Scala in templo per quam descenditur ad capellam S. Helenæ, & tandem ad capellam Inuentionis S. Crucis; tota lapidea, continet circiter 40. gradus.*
15. *Solium S. Helenæ ex marmore rubeo.*
16. *Altare columnæ improperij Abyssinorum.*
17. *Paries vltra cruces, in quo fenestra vna tantùm est in templum: capella ibi Abyssinorum, in qua lapis est ex marmore aspersо, ad latitudinem & longitudinem vlnæ vnius, in quo Isaac debebat immolari.*
18. *Vbi cruces erant. locus est Georgianorum, vbi optimè videri etiam potest Saluatorem nostrum facie versus occasum pependisse.*
19. *Duo altaria Catholicorum, in eo loco, vbi Christus cruci affigebatur, sita.*
20. *Hîc petræ scissura inter crucem Christi & latronis qui ad læuam pendebat, in Inuentionis S. Crucis, & in ea vbi sepulchra Regum Galliæ sunt, capella cernitur.*
21. *Scala lignea in montem Caluariæ, circiter quindecim gradus habens.*
22. *Hæc capella, vbi sepulchra Regum Galliæ, sub illo planè loco, vbi Saluator fuit crucifixus, sita est. Ibi etiam conspicitur illa petra rupta inter crucem Christi & læui latronis.*
23. *Sepulchra Regum Galliæ.*

24. *Porta magna templi.*
25. *Lapis vnctionis.*
26. *Altare Græcorum extra murum quo sunt circumdati.*
27. *Murus humilis Græcorum circum dans Sanctuarium.*
28. *Porta Græcorum speciosa, vel, vt illi vocant, aurea.*
29. *Per has lineas designatur mons Caluariæ, cuius medietas minor inclusa est in templum, altera verò, maior videlicet, est extra templum.*
30. *Oratorium Abyssinorum inferiùs situm, quod asseribus vel tabulis ligneis ab Ecclesia disiungitur, supra quod Armeni habent suum Sanctuarium.*
31. *Supra hoc est Georgianorum, vel, vt alij vocant, Gorgianorum Oratorium, qui vt & Armeni habent ad ista sua Sanctuaria scalas ligneas de templo.*
32. *Hic circulus denotat fenestram quæ est in tholo Basilicæ.*



ORDO

ORDO PROCESSIONIS QVÆ FIT PER ECCLESIAM S. SEPVLCHRI DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.

Incipiendo ab altari Columnæ flagellationis.

HYMNVS.

EIa fratres chariſſimi,
Chriſti mortis myſteria
Cana mus,& veſtigia
Sequamur,corde flebili.
Qui pœnã primi criminis
Delet vigore ſanguinis:
Hũc ad columnã acriter
Cædit Pilatus peſſimè.
Cur ſic, ô crudeliſſime,
Flagellis eum percutis,
A quo vitam acceperas,
Vitam conaris rapere?
Cur tu columna ſoluere
Tunc noluiſti Dominũ,
Cùm te crudeles milites
Rigaſsẽt eius ſanguine?
Cur non fregiſti illicò
Tũc te, columna impia,
Dolore Chriſti ninnio
Flagellis tãtis languidi?
Iam orans fudit ſanguinem
Qui potuit ſufficere:
Nã gutta huius ſanguinis
Crimina vincit omniũ.
Nos ergo qui diligimus
Hũc flagellatum Dñm,
Rogamus, vt criminibº,
Suis ignoſcat meritis.
Gloria tibi Domine
Pro tãto fuſo ſanguine,
Pro tanta amoris copia
Quo trahis ad te omnia,
Amen.

Anti-

Antiphona. Apprehendit IESVM Pilatus, & ad hanc columnam ligatum fortiter flagellauit. ℣. Verè languores noſtros ipſe tulit. ℟. Et dolores noſtros ipſe portauit.

ORATIO.

ADeſto nobis CHRISTE Saluator, per tuam pœnalem flagellationem, & per tuum ſtillantem & aſperſum ſanguinem pretioſum, vt omnia peccata noſtra deleas, nobisque tuam gratiam tribuas, & ab omni periculo & aduerſitate protegas, & ad vitæ æternæ gaudia perducas. Qui viuis & regnas in ſæcula ſæculorum, Amen.

EVNDO AD CARCEREM.

QVi lucẽ dedit Patribus,
Quos ab inferni tenebris
Eduxit, & cæleſtibus
Ornauit donis gratiæ;
Ipſe Saluator ſæculi
Qui vincla ſoluit criminũ,
Duris ligatus funibus
Obſcuro datur carceri.
O nimis dura vincula,
Quæ vinctum Dei Filiũ
Tenetis velut peſſimum,
Vt mortẽ detis corpori;
Sæuitiam dimittite,
Agnumq; mitem ſoluite,
Qui culpæ & mortis compedes
Soluit amore, morteque.
Iam ſufficit afflictio,
Mœror ſudorque ſanguinis,
Proditoris venditio,
Ac turpis pretij vilitas.
At ſi pietas deficit
In homine, quẽ redimis,
Tu bonitate propria,
IESV ſuccurre innoxio.
Ob peccatores talia
Gratis tuliſti, Domine,
Vt corde, ore, & opere
Tuam lucrentur gratiã.
Ignoſce ergo miſeris,
Qui peccatorũ pondere
Grauantur, vt per ſęcula
Sit tibi laus & gloria,
Amen.

Antiphona. Ego te eduxi de captiuitate Ægypti, demerſo Pharaone in mari rubro; & tu me tradidiſti carceri obſcuro. ℣. Dirupiſti Domine vincula mea. ℟. Tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.

ORA-

ORATIO.

DOmine IESV CHRISTE, Angelorum decor, gaudium & libertas animarum: qui pro redemptione mundi capi, ligari, carcerari, alapis cædi, flagellari & conſpui voluiſti: fac nos, quæſumus, indignos famulos tuos, pœnas & contumelias pro tui nominis gloria lętanter ſuſcipere, vt ad tuæ pietatis conſortium mereamur feliciter peruenire. Qui viuis & regnas, &c.

EVNDO AD LOCVM DIVISIONIS VESTIMENTORVM CHRISTI.

MOdò narramus, qualiter
Noſter Saluator pertulit
Iniurias quàm maximas,
Et paſſus eſt ab impijs
A Patre qui eſt genitus,
A quo ſemperque gignitur,
Et idem in eſſentia
Cum Patre & ſancto Spiritu.
Qui à cælorum ſedibus
Deſcendit huc obediens,
In habituque hominis
Mundum replet virtutibus:
Qui cælos implet lumine,
Ornat atque ſideribus,
Hominibus, & Angelis,
Hunc veſte priuant milites.
Qui Sanctos veſtit gloria,
Vitam dedit & mortuis,
Ac reis donat veniam,
Repletur ignominijs.
Qui campi veſtit lilia,
Fructusq; dat arboribus,
Suis priuatus tunicis,
Pauper nudus relinquitur.
Qui veſtit volatilia
Pennis atque coloribus,
Ornatq; prata floribus,
Ipſe priuatur veſtibus.
Ad locum ſanctum pergimus,
Vbi redemptor omnium
Cum pœna & ignominia
Veſtem permiſit diuidi.
O gens iniqua & peſſima,
Quali madeſcis crimine,
Dum tunica incõſutilis
A te ſorte diuiditur?
Heu Chriſtus nudus veſtibus,
Solo cruore induitur,

Et ſuper eas milites
Sortes miſerunt impij.
Hic locus eſt ſanctiſſimus,
Vbi Dauid oraculum
Completum eſt in ſortibus
De Chriſti raptis veſtibꝰ.
Precamur ergo cernui
Te Creatorem ſæculi,
Vt hîc priuatus veſtibus
Nos induas virtutibus.
Amen.

Antiphona. Milites poſtquam crucifixerunt IESVM, acceperunt veſtimenta ſua, dantes vnicuique militi partem. ℣. Hîc diuiſerunt ſibi veſtimenta mea. ℣. Et ſuper veſtem meam hîc miſerunt ſortem.

ORATIO.

BEnigne IESV Chriſte, qui pro noſtra redemptione ab indignis peccatorum manibus, non ſolùm in cruce nudus ſuſpendi & mori voluiſti, ſed & tua ſacratiſſima veſtimenta partiri & donari permiſiſti; concede, vt ſpoliati vitijs, & virtutibus adornati, tibi Deo viuo & vero in cæleſti gloria præſentari mereamur. Qui viuis & regnas, &c.

AD LOCVM INVENTIONIS S. CRVCIS EVNDO.

AD Crucis locum pergere
Debemus: & hanc quærere,
Velut geſſerũt Martyres
Qua meruerunt gloriã.
O Crux, miranda gloriæ
Scala, quæ ad cælum eleuas,
Aſcẽdit per te Dominus
Ad Patrẽ fuſo ſanguine.
O Crux arbor digniſſima,
Qua mediante animæ
Aſcendunt ad cæleſtia,
Et ad Sanctorũ præmia.
O Crux cunctis excelſior
Thronis, ſceptris, honoribus,
Ad te fac nos ab infimis
Humilitate ſcandere.
O Crux tam admirabilis,
Ornata Chriſti ſanguine,
Quæ cum Sanctotũ agmine,
Mundũ illuſtras lumine.
O Crux arbor dulciſſima,
Quæ mortis das myſterium

Chri-

Christi, & nobis pretiũ
Donasti atque gaudium.
O Crux aue spes vnica,
Inuenta hîc ab Helena;
Nunc per te nobis gratia
Detur, ac tandem gloria,
Amen.

Antiphona. Orabat Iudas dicens, Deus, Deus meus, ostende mihi lignum S. Crucis: cumque ascendisset de lacu, perrexit ad hunc locum, vbi iacebat sancta Crux. ℣. Hoc signum Crucis erit in cælo. ℟. Cùm Dominus ad iudicandum venerit.

ORATIO.

DEus, qui hîc in præclara salutiferæ Crucis inuentione, passionis tuæ miracula suscitasti; concede vt vilis ligni pretio, æternæ vitæ suffragia consequamur. Qui viuis & regnas, &c.

EVNDO AD CAPELLAM S. HELENÆ.

NVnc Helenæ suffragia
Quæramus primùm laudibus,
Vt cum beatis meritis
Acquirat nobis veniam.
Deuota Christi Helena
Crucẽ quæsiuit feruida,
Quam reperit cũ titulo,
Corona, clauis, lancea.
Quam Crucem vt acquireret,
Tulit timorẽ omnibus,
Sub pœna mortis illicò,
Amore ardens cælico.
Inuenta Cruce Domini,
Canamus illi canticum,
Per quam Saluator omnium
Donauit nobis præmiũ.
O Helena sanctissima,
Quæ Crucẽ tantę gloriæ
Amasti totis viribus,
Nos tuis iuua precibus.
Exaudi sancta Trinitas,
Preces nostrorũ omniũ,
Et per Sanctorũ merita,
Dones & nobis gloriam.
Amen.

Antiphona. Helena Constantini mater Ierosolymam petijt. ℣. Ora pro nobis beata Helena. ℟. Vt digni efficiamur promissionibus Christi.

ORATIO.

DEus, qui inter cetera potentiæ tuæ miracula, etiam in sexu fragili, virtutem rectæ intentionis corroboras; præsta quæsumus, vt sanctæ Helenæ Reginæ exemplo, cuius studio desideratum Regis nostri lignum sanctæ Crucis detegere dignatus es, ea quæ Christi sunt iugiter indagare, & te fauente consequi mereamur. Per eumdem.

EVNDO AD COLVMNAM IMPROPERIORVM.

CHristi magna improperia
Rumpamus & ludibria,
Quando indutus purpura,
Sputa tulit & alapas.
Iam flagellato corpore
IESV, cuius effunditur
Purus sanguis ab impijs,
Aue Rex cõclamantibus;
Perfundũt vultũ sanguine,
Dum ij coronam spineã,
Afflicto suo capiti,
Dura premũt arundine.
Heu qui semper gloriæ
Honorisque meruerat
Coronam; cur sic vepribus
Circumdat & aculeis?
Rigamus nosmet lacrymis,
Pro improperato Dño,
Vultum cuius sic impij
Tinxerũt, sputis, sordib⁹.
O tu IESV humillime,
Concede nobis meritũ
Tui sacrati sanguinis,
Quem effudisti, capitis.
Amen.

Antiphona. Ego dedi tibi sceptrum Regale, & tu capiti meo imposuisti spineam coronam. ℣. Posuisti Domine super caput eius. ℟. Coronam de lapide pretioso.

ORATIO.

DOmine IESV Christe, qui humano generi condolens, coronam spineam in tuo sacratissimo capite humiliter suscepisti, & sanguinem tuum pro salute omnium fudisti: respice ad indignas preces nostras, vt à te clementer exauditi, humilitate & patientia te sequi mereamur. Qui viuis & regnas, &c.

QVAN-

QVANDO ASCENDITVR AD MONTEM CALVARIÆ.

AD montem nunc Cal-
uariæ
Properemus cum lacry-
mis,
Vt Christus sua gratia
Ignoscat nobis omnibus.
Ad montem sanctũ ibimus,
Deuoti totis viribus,
Iesumq́; contẽplabimur
In Cruce nudũ pendere.
Ad montem hunc mœstiſ-
simi
Eamus, vbi sanguinis
Christus iam sacrificium
In Cruce pendens obtu-
lit.
Ad locũ nunc peruenimus,
In quo Saluator sæculi
Se obtulit pro omnibus,
Ipseque emisit spiritum.
Ecce locus sanctissimus,
Sacratus Christi sangui-
ne,
Qui hîc salutem animæ
Inuenit Crucis opere.
Manus, pedesque, viscera,
Dum hîc foderũt impij,
Cum magna oblata est
gratia
Iam pro redẽptis hostia.
O sacer sanguis victimæ,
Salusque nostræ animæ,
In hoc fusus Caluario
Ex Christi IESV corpo-
re.
Gloria tibi Domine,
Pro nostro passo scelere,
Infunde nobis veniam,
Quã acquisisti sanguine,
Amen.

Antiph. Ecce locus vbi Saluator mundi pependit: ex cuius latere sanguis & aqua in nostram redemptionem, ac nostrorum criminum ablutionem exiuit, Venite adoremus. ℣. Adoramus te Christe & benedicimus tibi. ℟. Quia per sanctam Crucem tuam hîc redemisti mundum.

ORATIO.

DEus Pater æternæ pietatis & infinitæ charitatis, qui furorem iręq; tuę, quẽ nos pro peccatis nostris merebamur, hoc in loco, super Filium tuum vnigenitum totius humani generis Redemptorem, erupisti; cùm ipsum in Cruce suspendi, aceto & felle potari, clauis & lancea vul-

nerari permisisti; concede nobis indignis seruis tuæ sanctissimæ maiestatis, eiusdem Filij tui doloribus compatientibus, vt fructu tantæ passionis & mortis, in æternæ felicitatis gloria perfrui mereamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum, Amen.

VBI CRVCIFIXVS FVIT CHRISTVS.

O Dulcis amor cordiũ,
Nostræ salutis pretium,
Qui pedes, manus impijs
Hîc extendisti, cruciq́ue.
Decreti tunc chirographũ
Christus extingui cupiens,
Hîc crucifigi manibus
Permisit atque pedibus.
O quanti fuit pretij
Gutta illius sanguinis,
Quæ infiniti meriti
Fructum dedit fidelibus.
Nec tantis in doloribus,
Oblitus erat Virginis,
Tensis in Cruce brachijs,
Ipsam reliquit Virgini.
Et hunc illi sanctissimæ
Matri donauit iuuenem,
Quem diligebat feruidè,
Ex charitate nimia.
Gloria tibi Domine
Pro effusione sanguinis,
Qui toto stillans corpore
Lauauit nostra crimina.
Amen.

Antiphona. Ego quasi agnus innocens ductus sum ad immolandum: & postquam carnem meam totam verberibus repleuissent, ita vt dinumerare valerent omnia ossa mea, & pupugissent caput meum spinis & vepribus, foderunt hîc manus meas, & pedes meos, ferreis clauis configentes cruci. ℣. Ipse vulneratus est hîc propter iniquitates nostras. ℟. Cuius liuore sanati sumus.

ORATIO.

DOmine IESV Christe Fili Dei viui, qui hunc sacratissimum locum, pro salute humani generis, tuo pretioso sanguine consecrasti, ad quem hora tertia baiulans crucem duci voluisti, ac demum hora sexta cruci affixus pro peccatoribus exorasti, matremq́ue dolorosam Virginem

nem Virgini commendasti, concede quæsumus, vt nos omnes, qui hîc tuo pretioso Sanguine redempti sumus, & tuæ passionis memoriam celebramus, eiusdem passionis beneficium consequi valeamus. Qui viuis & regnas, &c.

DESCENDENDO A MONTE CALVARIO AD LOCVM VNCTIONIS IESV CHRISTI.

AD Christum modò vngere
Deuotionis oleo,
Pergamus omnes feruidè,
Vt nos inungat gratia.

Qui pietate nimia,
Nomen, effusum oleum,
Habens atq; dulcissimũ,
Suis rigauit lacrymis.

O tu excelsa pietas,
O IESV ardens charitas,
Qui mortem morte destruis,
Sic vitã donas mortuis.

De Cruce iam depositus,
In matris suæ brachijs
Repositus (vt creditur)
In loco isto vngitur.

Contempla matrem lacrymis
Plenam, atq; mœstissimã
Dolore mortis filij,
Cuius amore moritur.

Hîc & Ioannes adfuit,
Qui Matrem vice filij
Accipit Virgo Virginẽ
Pro pietate mortui.

Venite ergo comites,
Huc cum Ioseph & socio
Vngere IESVM oleo
Mixtura myrrhæ cordium.

Beata vestra brachia,
Quæ meruere cingere
Corpus IESV sanctissimum,
Et id vnguentis vngere.

Gloria tibi Domine,
Decus tibi perpetuè,
Honor tibi sanctissime,
Inuncto suaui nomine.
Amen.

Antiphona. Vnguentum effusum nomen tuum: ideò adolescentulæ dilexerunt te. ℣. Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem. ℟. Propterea vnxit te Deus, Deus tuus.

ORA-

ORATIO.

DVlcissime IESV Christe, qui in tuo sanctissimo corpore tuorum condescendens deuotioni fidelium, vt te verum Regem & Sacerdotem ostenderes, inungi ab ijsdem voluisti: concede, vt corda nostra vnctione Spiritus sancti valeant ab omni infectione peccati continuè præseruari. Qui cum Patre, &c.

AD GLORIOSVM CHRISTI SEPVLCHRVM.

IAm ad locum sanctissimum,
In quo corpus Dominicum
Conditũ fuit, pergimus:
Ipsum quæramus laudibus;
Ad locum tam amabilem
Cũctis Christi fidelibus,
Pergentes nos cũ iubilis,
Feruore moti Spiritus.
Ecce Ioseph Decurio,
Arimathiæ nomine,
Qui Christi corpus vnxerat,
Cuius erat discipulus,
Et Nicodemus pariter,
Cum sanctis quoq; alijs,
Tulerunt hoc in proprio
Sepulchro pleni lacrymis.
In hoc exciso lapide,
In quo numquam quis fuerat,
Perunctũ ponunt mortuum
Corpus Christi sanctissimum.
Iam anima sanctissima
Ad inferos descenderat,
Vt lumen daret mortuis,
Eosq; ad cælos duceret.
Contriuit portas æreas,
Ligauitque Luciferum
In pœnis ijs perpetuis,
Sua virtute propria.
Sic ergo tulit animas,
Atque Sanctorum corpora,
Quæ, resurgẽtes pariter,
Conduxit ad cælestia.
Vnitur posthæc anima
Sacrato Christi corpori,
Cùm in vtroque fuerit
Excelsa illa diuinitas.
Resurgit tunc in gloria,
Passurus numquam ampliùs,

Sed

Sed vita beatiſſima
Vſurus,& perpetua.
Huc currunt duo pariter
Ad glorioſum tumulũ:
Sed præcurrit citiùs
Ioannes Petro iunior.
Ioannes tamen ingredi
Non vult, præ reuerẽtia
Paſtoris iam Eccleſiæ;
Intus tamen proſpiciens,
Tunc vidit linteamina,
Quibus cũ aromatibus
Corpus IESV ligauerat,
Sacratumque ſudarium:
IESVM tamen nõ viderant,
Qui iam liber à mortuis
Tertia die fuerat,
Vt ipſe iam prædixerat.

Quando verò circumdatur ſanctiſſimum Sepulchrum vna vice tantùm, dicatur hîc, Gloria tibi Domine, *vt habetur in fine.*

REſumpſit CHRISTVS omnia,
Quæ patiens amiſerat,
Et ſanguinem & alia,
Ad vnionem corporis.
Reuoluit tunc ab oſtio,
Sepulchri huius lapidẽ,
Vt legitur, hîc Angelus,
Ad reſurgentis gloriam.
Fit terræmotus maximus,
Quo aſſiſtentes milites
Tremunt, nũc perterriti
In terram velut mortui.
O diuina potentia,
O ſumma ſapientia,
En poſt tormenta talia
Hîc ſurgit tanta gloria.
Surgunt autem diluculo
Mulieres, cùm tenebræ
Eſſent adhuc, ſolicitæ
Cuius erant diſcipulæ.
Pergunt in prima ſabbati,
Aromatum huc copiam
Portantes, his vt vngerent
Corpus IESV ſanctiſſimum.
Tunc IESVM nõ inueniũt,
Sed vident ſecum Angelos
Sedentes hîc in albis,
Qui dicũt ipſum viuere.
Ex his ergo prodigijs,
Pergunt huc omnes populi,
Illumque adorant, prędicant,
Qui morte mortem perdidit.
Ex mundi plagis omnibus,
Ex omni ſexu & genere,
Omnes deuotè properãt
Amore Chriſti anxij.
Ex Orientis partibus,

Et Aquilonis montibus,
Meridiei plagisque,
Et ab Occasu pariter.
Festinant Parthi, Mediique,
Sic Elamitæ cursitant
Atque Mesopotamij,
Simul & Cappadocij.
Ex Pontique prouincia,
A regione Libyæ,
A Phrygiaque populi,
Omnes amore accelerãt.
Gentes huc ex Pamphylia,
Et ex Ægypti partibus,
Atque totius Asiæ,
Ad locum hunc perueniunt.
Pergunt Romani aduenæ,
Omnes feruore calidi,
Ob Christi reuerentiam
Ac Matris suæ Virginis.
Precemur Patrẽ supplices,
Ex corde cum his omnibus,
Vt ob Christi victoriam,
Donet nobis & veniam.
Gloria tibi Domine,
Qui surrexisti à mortuis,
Cum Patre & sancto Spiritu,
In sempiterna sæcula,
Amen.

Quando autem circumdatur tribus vicibus, addantur versiculi applicati ad locum S. Mariæ Magdalenæ, post quos dicatur Antiphona pro S. Sepulchro.

Antiphona. Quem totus mundus capere nequiuerat, hîc vno saxo clausus fuit; atque morte iam perempta, inferni claustra penetrauit. ℣. Surrexit Dominus de hoc Sepulchro, Alleluia. ℟. Qui pro nobis pependit in ligno, Alleluia.

ORATIO.

DOmine IESV Christe, qui die tertia, ex hoc sanctissimo Sepulchro, deposita mortalitate, vt primitiæ dormientium surrexisti, & immortalis pro nobis apparere voluisti: concede nobis famulis tuis, qui ad tui laudem hîc congregati sumus, vt eiusdem resurrectionis gloriæ cum Sanctis & electis tuis comparticipes esse valeamus. Qui viuis & regnas, &c.

VBI

VBI CHRISTVS APPARVIT MARIAE MAGDALENÆ IN FORMA HORTVLANI: QVANDO FIT IBI PROCESSIO.

A Magdalena feruida
Quæramus nũc quid viderat,
Dicentes; O discipula
Christi, quid tibi apparuit?
Sepulchrum cum sudario,
Et testibus angelicis,
In albisque sedentibus,
Meis conspexi oculis.
Meum quęrebam Dominũ,
Tota conspersa lacrymis,
Hinc inde currẽs rediẽs,
Et mori secum cupiens.
Eũntibus discipulis,
Ego iam ibam illicò;
Sed igne amoris anxia,
Ardebam desiderio.
O vitæ nostræ gloria,
O nostræ amor animæ,
Clamabam vt insipiens,
Amore eius languida.
Ipse post hæc apparuit
Sua diuina gratia,
Licet tunc non cognouerim,
In hortulani habitu.
Sed qui donauit mortuis
Vitam, & hos ab inferis
Reduxerat ad gaudia,
Me consolari voluit.
Noli deuota plangere
Maria, sed à lacrymis
Iam cessa, corde iubilo
Exulta plena gaudijs.
Ad ipsum citò adij,
O tu mi dulcis Rabboni,
Dixi, & pedes protinus
Tunc oscular volui.
Sed ille, quia omnia
Nondum sciebã optimè,
Nec ad Patrẽ ascẽderat,
Noli, inquit, me tangere.
Gloria tibi Domine,
Et nobis hîc ignoscere
Digneris, qui discipulæ
Dilectæ tuæ credimus.
Amen.

Antiphona. Surgens IESVS manè prima Sabbati, apparuit hîc Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat septem dęmonia. ℣. Maria noli me tangere. ℟. Nondum enim ascendi ad Patrem meum.

ORATIO.

BEnigniſſime Domine IESV Chriſte, alpha & omega: qui manè prima Sabbati Magdalenæ lacrymabiliter te quęrenti, in hoc loco apparere voluiſti, & ei te affabilem iucundis confabulationibus & vultu deſiderabili præbuiſti: concede nobis indignis famulis tuis, vt ſacratiſſimam faciem tuam, gratiarum plenam, in cęleſti gloria meritis tuæ reſurrectionis videre valeamus. Qui viuis, &c.

Hinc ad Capellam VIRGINIS MARIÆ, *vbi fertur* CHRISTVM IESVM *poſt Reſurrectionem apparuiſſe ipſi beatiſſimæ* MATRI *ſuæ.*

REgina mundi cæliq́ue,
Lætare ſuper ſidera,
Quem meruiſti parere,
Vidiſti eum viuere.
Surgens liber ab inferis
Chriſtus, primo diluculo
Venit ad te cum iubilo,
Ferens cæleſte gaudium.
Quem crucifixũ corpore,
Die vidiſti tertia,
Surrexit iam in gloria
Et corporis & animæ.
Ex his ergo myſterijs
Sit Trinitati gloria,
Ac tibi Matri Virgini,
Nobisq́; æterna gaudia.
Amen.

Tempore Paſchali dicantur iſta quæ ſequuntur, ſcilicet Verſus & Oratio.

℣. Gaude & lætare Virgo Maria, Alleluia. ℟. Quia ſurrexit Dominus verè, Alleluia.

ORATIO.

DEVS, qui per Reſurrectionem Filij tui Domini noſtri IESV Chriſti, familiam tuam lętificare dignatus es: præſta quæſumus, vt per eius genitricem Mariam perpetuæ capiamus gaudia vitæ. Per eumdem Dominum noſtrum IESVM Chriſtum, &c.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum Spiritu tuo. ℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias. ℣. Diuinum auxilium, &c.

Alio

Alio verò tempore dicantur subscripta.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix. ℟. Vt digni efficiamur promissionibus Christi.

ORATIO.

CONcede nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus, perpetua mentis & corporis sanitate gaudere: & gloriosa beatæ Mariæ semper virginis intercessione à præsenti liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia. Per Dominum nostrum IESVM Christum filium tuum: qui tecum viuit & regnat, &c.

PRO SACRO PRAESEPIO.

NVnc ad Præsepe Domini sacratum
Pergamus omnes, offerentes Deo
Ex corde preces, propter IESV nomen
Dulce per omne.
Omnes amore moti contemplemur
Puerum sanctum, Deitate plenum,
Vt sic ad Patrem sua nos perducat
Morte crudeli.
Ad nos peruenit Sanctus pietate,
Carne indutus, qui à Patre Deo
Genitus fuit ante mundi lucem,
Gignitur tamen.
Hoc nato cantat Angelorum cœtus,
Gloria Deo ac æterno Patri,
Sit illi semper, atque pax in terra,
Omne per æuum.
Pulchrior cælo, vultu, mente, corde,
Iacet cum brutis humilis ac plorans,
Crimina nostra cupiens rigare
Lacrymis suis.
Dum hîc de Matre nascitur, in cælo
Oritur stella, mundumque illustrat,

Qua mediante, currunt citò Magi,
Christi amore.
Munera portant, Aurum, Thus, & Myrrham,
Deferunt nato puero, iacenti
Ad pectus sacrum Virginis beatæ,
Isto in loco.
O amor tantæ pietatis tuæ,
Quem ostendisti nascens hîc de sacra
Matre, quæ Virgo extitit intacta
Gratia tua.
Gloria tibi Genitori Patri,
Qui hunc misisti Redemptorem sanctum,
Vt nos ab hoste liberaret omnes,
Sanguine suo. Amen.

℣. Hîc notum fecit Dominus, Alleluia. ℟. Salutare suum, Alleluia.

ORATIO.

DEVS perpetuæ & immensæ bonitatis, qui coæternum & consubstantialem Filium tuum, sancti Spiritus operatione, nostra mortali carne vestiri voluisti, & de sacra & intacta Virgine in hoc loco nasci, & à Magis atque pastoribus adorari feciſti: concede nobis, vt eumdem Filium tuum, quem tota mente & totis viribus nos diligere debemus, eadem sacra & beatissima Matre eius intercedente, apud tuam clementissimam bonitatem mediatorem habere mereamur. Qui tecum, &c.

IN NOMINE DOMINI
A M E N.

INCIPIT MODVS PERFICIENDI
SIVE ORDINANDI
MILITEM SANCTISSIMI SEPVLCHRI
DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.

ANte omnia igitur ordinandus Miles præparet se ad deuotionem, vt valeat percipere gratiam officij sacræ Militiæ: ac præmissa Confessione, auditáque Missa, & perceptæ Dominicæ Communione, intromittatur in atrium S. Sepulchri. Et tunc incipiatur iuxta modum qui sequitur.

In primis congregatis omnibus intra sanctissimũ Sepulchrum, cantatur Hymnus, Veni Creator Spiritus. ℣. Emitte Spiritum tuum,& creabuntur. ℟. Et renouabis. ℣. Domine exaudi. ℟. Et clamor. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMVS.

DEVS, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Deinde interrogari debet à P. Guardiano: Quid quæris? *Respondet flexis genibus*: Quæro effici miles sanctissimi Sepulchri Domini nostri IESV Christi.

Interrogatio. Cuius conditionis es?

Resp. Nobilis genere,ex parentibus generosis.

Interrogatio. Habésne vnde honestè manu tenere possis statum & Militarem dignitatem absque mercantijs, & arte mechanica?

Resp.

Resp. Habeo cum gratia Dei mei, bonorum sufficientem copiam.

Interrogatio. Esne paratus corde & ore iurare, & pro posse militaria sacramenta seruare, quæ sunt ista, quæ sequuntur.

1. Miles sanctissimi Sepulchri omni die, habita opportunitate, Missam audire debet.

2. Miles sanctissimi Sepulchri debet, cùm necesse fuerit, bona temporalia & vitam exponere; scilicet, quando est bellum vniuersale contra infideles, & venire in propria persona, vel mittere idoneum.

3. Miles sanctissimi Sepulchri, est obligatus sanctam Dei Ecclesiam, & eius fideles ministros, ab eorum persecutoribus defendere, & pro posse liberare.

4. Debet iniusta bella, turpia stipendia & lucra, hastiludia, duellum, & huiusmodi, nisi caussa militaris exercitij, omnino vitare.

5. Debet pacem & cõcordiam inter Christi fideles procurare; Remp. zelare & augmentare; viduas & orphanos defendere; iuramenta execrabilia, periuria, blasphemias, rapinas, vsuras, sacrilegia, homicidia, ebrietatem, loca suspecta, & personas infames, atque vitia carnis vitare, & tamquam pestem cauere; & se apud Deum & apud homines irreprehensibilem exhibere, ac etiam verbis & facto, se dignum tanto honore demonstrare, Ecclesias frequentando, & cultum diuinum augmentando.

Quæratur ergo, si est paratus corde & ore hæc omnia protestari, iurare & facere. *Resp.* Sic.

FORMA PROFESSIONIS.

EGo N. profiteor & promitto Deo IESV CHIRSTO, & beatæ Virgini MARIAE, hæc omnia pro posse, vt bonus & fidelis CHRISTI miles, obseruare.

His peractis benedicatur Ensis à Guardiano, secundùm formam inferiùs positam, si non est benedictus: sed si est benedictus,

ctus, vel post benedictionem, vocato uno Ordinando, & genu flexo ante sanctißimum Sepulchrum, Guardianus ponat manus super caput eius, & dicat:

Et tu N. esto fidelis, strenuus, robustus, & bonus miles Domini nostri IESV CHRISTI, & sanctissimi eiusdem Sepulchri, qui te, finito mundi termino, cum electis suis in gloria sua collocare dignetur, Amen.

Hoc finito, Guardianus dat in manu sua calcaria deaurata, quæ ponat in pedibus suis in terra existens; posteà dat ensem nudum, ipsi militi dicens:

Accipe N. sanctum gladium, in nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spiritus ✠ sancti: & vtaris eo ad defensionem tuam, ac sanctæ DEI Ecclesiæ, & ad confusionem inimicorum Crucis CHRISTI, ac fidei Christianæ: & quantum humana fragilitas permiserit, cum eo neminem iniustè lædas. Quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre & Spiritu sancto regnat DEVS, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde ensis in vaginam reponitur, & Guardianus prædicto ense cingit eum, dicendo:

Accingere N. gladio tuo super femur tuum potentissimè, in nomine Domini nostri IESV CHRISTI, & attende, quòd Sancti non in gladio, sed per fidem vicerunt regna.

Ense accincto miles surgit, & genibus flexis, inclinato capite supra sanctum Sepulchrum, à Guardiano ordinatur, percutiendo ter cum ense prædicto super scapulas, & dicendo ter:

Ego constituo & ordino te N. militem sanctissimi Sepulchri Domini nostri IESV CHRISTI, in nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spiritus ✠ sancti, Amen.

Deinde osculetur eumdem in faciem, ponens secundùm antiquam consuetudinem torquem auream cum cruce pendente in collo eius; & Ordinatus deosculetur sanctum Sepulchrum, posteà descendat & restituat omnia: & vocato alio, Ordina-

tus in atrio remanet, quousque omnes Ordinandi erunt ordinati. post quorum vel cuius ordinationem, cantando à Fratribus, Te Deum laudamus, *itur ad Capellam nostram, vel ibidem statim, secundùm dispositionem Guardiani. Deinde dicitur Antiphona hac in singulari, si est vnus: si autem plures, in plurali.*

In singulari dicitur: Speciose forma præ filijs hominum, Accingere N. gladio tuo super femur tuum potentissimè.

In plurali: Speciosi forma præ filijs hominum, Accingimini gladijs vestris super femora vestra potentissimè.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum, &c.

OREMVS.

DA Ecclesiæ tuæ, misericors Deus, vt sancto Spiritu congregata, hostili nulla tenus incursione turbetur. Omnipotens sempiterne Deus, super hunc, [*vel* hos] famulum tuum [*vel* famulos tuos] qui eminenti mucrone circumcingitur [*vel* circumcinguntur] gratiam tuæ benedictionis infunde: & eum [*vel* eos] dexteræ tuæ virtute munitum [*vel* munitos] fac contra cuncta aduersantia cælestibus armari præsidijs, quibus nullis in hoc sæculo tempestatibus bellorum turbetur [*vel* turbentur.] Per Dominum nostrum, &c.

Vltimò amplectantur à Guardiano, & ab alijs, si quis vult eos amplecti. Et sic est finis.

SEQVI-

SEQVITVR BENEDICTIO ENSIS MILITIS VEL EQVITIS SACRI SEPVLCHRI.

Is qui benedicit, teneat enſem nudum ante ſe, & dicat: ℣. Adiutorium noſtrum. ℟. Qui fecit, &c.

OREMVS.

EXaudi, quæſumus Domine, preces noſtras, & hunc Enſem, quo hic famulus tuus circumcingi deſiderat, maieſtatis tuæ dextera dignare benedicere: quatenus poſſit eſſe defenſor Eccleſiarum, viduarum, orphanorum, omniumque Deo ſeruientium, contra ſæuitiam paganorum; alijsque ſibi inſidiantibus ſit terror & formido, præſtans ei æquæ perſecutionis & iuſtę defenſionis effectum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

OREMVS.

BEnedic ✠ Domine ſancte Pater, omnipotens æterne Deus, per inuocationem ſancti tui nominis, & per aduentum Chriſti filij tui Domini noſtri, & per donum Spiritus ſancti, hunc Enſem: vt hic famulus tuus, qui hodierna die, tua concedente pietate, præcingitur, viſibiles & inuiſibiles inimicos ſub pedibus conculcet, victoriaque per omnia potitus, ſemper maneat illæſus. Per Chriſtum, &c.

Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Miſericordia mea & refugium meum, ſuſceptor meus & liberator meus, protector meus & in ipſo ſperaui, qui ſubdit populum meum ſub me. Gloria Patri. Sicut erat, &c.

℣. Saluum fac ſeruum tuum Domine. ℟. Deus meus ſperantem in te.

℣. Eſto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Domine exaudi. ℟. Et clamor meus, &c.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMVS.

DOmine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus : qui cuncta ſolus ordinas & rectè diſponis, qui ad coërcendam malitiam reproborum, & tuendam iuſtitiam, vſum gladij in terris hominibus tua ſalubri diſpoſitione permiſiſti; & militarem ordinem ad populi protectionem inſtitui voluiſti; quique per B. Ioannem militibus ad ſe venientibus, vt neminem concuterent, ſed proprijs eſſent contenti ſtipendijs, dici feciſti : clementiam tuam, Domine, ſuppliciter exoramus, vt ſicut Dauid puero tuo Goliam ſuperandi largitus es facultatem, & Iudam Machabæum de feritate gentium, nomen tuum non inuocantiũ, triumphare feciſti; ita & huic famulo tuo N. qui nouiter iugo militiæ colla ſuppoſuit, pietate cæleſti vires & audaciam, ad Fidei & Iuſtitiæ defenſionem, tribuas ac pręſtes, Fidei, Spei, & Charitatis augmentum; & da timorem ei pariter & humilitatem, perſeuerantiam, obedientiam, & patientiam bonam, & cuncta in eo rectè diſponas : vt neminem cum gladio iſto vel alio iniuſtè lædat, & omnia cum eo iuſta & honeſta & recta defendat; & ſicut ipſe de minori gradu ad nouum militiæ prouehitur honorem, ita veterem hominem deponens cum actibus ſuis, nouum induat hominem, vt te timeat, & rectè colat, perfidorum conſortia vitet, & ſuam in proximum charitatem extendat, præpoſito ſuo in omnibus rectè obediat, & ſuum in cunctis iuſtè officium exequatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

RE-

RERVM MEMORABILIVM INDEX.



BACVC *Prophetæ domus.* 82
Abel sepultura. 30
Aborys Arabs famosus prædator. 37
Absalonis sepulchrum. 62
Abuzyr Aegypti ciuitas. 147
Abyssinorum deuotio. 51
Adam apud Damascum creatus. 31
Adrichomij opinio de domo Saltus Libani. 27
Aegyptus. 141
Aegypti calores. 144
Aegypti vbertas. 169
in Aegypto calores pestem profligant. 155
in Aegypto fructus hortorum bis in anno proueniunt. 158
Aegyptij natatores egregij. 168,169
Aegyptij vrinatores nauigantes deprædantur. 145
Aegyptiorum sceleta in symposiis. 135
Aegyptiorum sponsorum choreæ. 186
Aegyptiorum in exornandis & condiendis defunctorum corporibus diligentia. 189
Aëris mutatio notabilis intra breue locorum spatium. 18
Aethiopes faciem lapidibus exornant. 34
Agata portus. 224
Alexandria. 196, 197
Alexandria dulci aqua caret. 195
Alexandriæ subterranea ciuitas. 203
Alexandriæ aër insalubris, & causa. 203, 204
Alexandriâ Turcis periculum imminere, & Terram sanctam à Christianis recuperatum iri. 204,205
Alexandriæ negotiatorum frequẽtia. 206
Alexandrini portus area. 198
Alexandrini portus priuilegium. 207
Alphonsus Aragonum Rex libros vocabat mortuos magistros. 2
Amphibia Græcis equi marini. 143
Ananiæ domus. 33
Anates virides. 142
Anachoritas S. Sabæ mille interficit Sangiacus. 94
Ancona. 274
Animalia diuersa Alexãdriæ venalia. 212
Annæ Pontificis domus. 58
Antonius Panormitanus Presbyter Siculus fit Turca. 127,& seqq.
Antonij Veneti nauigatio. 225
Antrum Latibuli B. Virginis. 86
Apparitionis Capella. 49
Aqua Iordanis asseruata incorruptibilis. 96,97
Aqua Nilotica salubris. 146
Aquæductus Cairi. 185,186
Aquæ venalis Cairi ratio. 153
Arabes Christiani in Syria. 28
Arabes viarum deprædatores, cur à Turcis non possint exterminari. 37
Arabes Turcis fortiores. 38
Arabes iuraturi panem cum sale comedunt. 92
Arabia deserta. 97
Arabiæ desertæ incolarum victus. 215
Arabum in Cairum incursiones. 152
Arabum inter se dissidentium octo vexilla. 27,28
Area portus Alexandrini. 198
Arenarum Arabiæ incommoda. 190
Argenta ciuitas. 277
Ariminum ciuitas. 276
Armamentarium Cydoniense Venet. 248
Aromele Cairi Moschæa vel Czerkassiorum. 180. *à quo & quomodo exstructa.* ibidem.
Arx Cairi. 182
Asphalticum mare seu lacus. 95
Assani Bassæ auaritia & supplicium. 199
Assani Bassæ ministri supplicio affecti. 199
Astunum Reginæ Bonæ ciuitas. 261
Auctor Historici partes non assumit. 2
Auctoris ad Deum conuersio. 5
Auctoris votum visendi S. Sepulchrum. 5
Auctoris ingressus ad S. Sepulchrum. 49, 65,106
Auctor miles S. Sepulchri cum familiaribus creatur. 65
Auctoris donaria S. Sepulchro attributa. 68.& seqq.

Auctor

Auctor fabricæ S. Sepulchri reſtaurandæ procurator à Religioſis F. deſignatur. 71
Auctori inſidiæ à Turcarum Cæſare paratæ. 245
Auctoris nauigatio in Aegyptum. 136
Auctoris famulus in mari ſuffocatus. 254
Auctor cum ſocijs à Banditis ſpoliatur. 264,265,& ſeqq.

B.

Balbech ciuitas & palatium Salomonis in monte Libano. 27
huius ſtructura à quibuſdam Aſmodæo dæmoni adſcribitur. 166
Balduini & Godefridi Regum Ieroſ. ſepulchra. 55
Balneum Solimanni Alexandriæ. 203
Balona Turcarum ciuitas. 16
Balſami arbores. 177
Banditi Auctorem ſpoliant. 264,265, & ſeqq.
Banditorum miſera conditio. 272
Baptiſmi Chriſti locus. 96
Barium Apuliæ ciuitas. 261
Baſſa Aegypti Imbraimus. 152
Baſſæ Imbraimi in apertione Nili maieſtas. 166,167
Baſſi Cairi iudicia. 192
Benedictio maris in Ianuario apud Venetos. 9
Beniamin Hebræus in ſuo Itinerario cur Pyramidum non meminerit. 164
Berytum. 24
Bethſabeæ piſcina. 81
Bethagil locus caſtrorum Sennacherib. 88
Bethania vicus. 72
Bethlehem & S. Præſepij Baſilica. 83
Bethſaida S. Petri patria. 42
Bona temporalia vmbræ aſſimilata. 4
Bonæ Poloniæ Reginæ corpus. 262
Botarga piſcium oua. 258
Braczo de Mayna portus. 251
Bulbach ciuitas Cairo adiacens, & eius magnitudo. 147

C.

Cæſarea Cappadociæ. 24,126
Caiphæ domus. 58
Cairus, olim Babylon, maxima Aegypti ciuitas. 149. *oculis inimica* 153. *à Selimo I. occupatur.* 183
Cairi arx. 183
Cairi cuſtodia militaris propter Arabes. 152
Cairi victus abundantia. 154
Cairus ad tria milliaria noſtra protenditur. 175
Cairi ædium & Moſchearũ numerus. 150
Cairi Iudæorum multitudo. 153
Cairi publicarum culinarũ numerus. 154
Cairi Eccleſiæ Chriſtianorum. 192
Callolimioni portus. 217
Calores Aegypti. 144
Calores in Aegypto peſtem profligant. 155
Caluariæ mons. 106
Campanarum vſus à Turcis interdictus. 94
Candia, ſiue Creta. 238
ibidem Iouis ſepultura. 239
Candiæ ciuitas. 238
Canea, ſiue Cydonia. 241
ad Cannas Romanorum clades. 262
Canopicum Nili oſtium. 156
Capella Apparitionis. 49
Capella Carceris. 50
Carauanæ Mecham euntes. 39
Carcer Chriſti. 58,59
Carmelus mons. 24
Carpathos inſula Palladis patria. 223
Caſſo inſula. 223
Caſiæ arbor. 178
Caſtrum Piſanum. 80
S. Catharinæ virginis carcer & martyrij locus. 202
Cedri montis Libani. 27
Cedron torrens. 62
ibidem veſtigia cadentis Chriſti. 62
Cephalonia. 16,255
Chamæleontis natura. 119
Cercaßij Chriſtianorum reliquiæ. 152
Chriſtiani Arabes in Syria. 28
Chriſtiani ad pyramidem menſuræ Nili non admittuntur. 157
Chriſtiani è ſeruitute Turcica ab Auctore redempti. 209
Chriſtiani redemptitij, rarò bonæ frugis. 211,212
Chriſtianorum Schiſmaticorum Ieroſolymis deuotio. 107
Chriſtianos Turcas factos educendi difficultas. 209
Chrizoroa mons. 30
Ciceronis ſepulchrum. 16
Ciconiæ Nili. 142

Circumciſi in quibuſdam Terræ ſanctæ locis vltra triduum viuere non poſſunt. 88
Circumciſionis Domini locus. 85
Circumciſionem Turcæ in macello peragunt. 129
Ciſterna Dauid. 82,83
Ciſterna Ioſeph, in quam à fratribus fuit miſſus. 42
Clibani pullos gallinaceos producẽtes. 144
Cœleſyria, vel Syria caua. 27
Cœnaculum Domini. 59,102
Cœnaculum ſacrum Turcæ venerantur 102,103
Columna flagellationis. 49
Columna improperij. 51
Columna Pompeij Alexandriæ. 197
Conſtantia Fratrum Minorum in celando theſauro S. Sepulchri. 66
Conſtantinopolis victum ab Aegypto mutuatur. 206
Conuerſio Auctoris ad Deum. 5
Corcyra. 16,256
Corcyræ arx noua, clauis maris Adriatici. 256
Corozaim. 41
Creta, ſeu Candia. 18,224
Crocodili Niliaci. 194
Crucifixi Lucenſis imago. 122
Crucis Chriſti inuentæ locus. 50
S. Crucis monaſterium. 90
Cydonia, ſiue Canea. 241
Cydonienſe armamentarium Venet. 248
Cyprus inſula. 20,138
In Cypro vinorum conditorum ratio. 140
Cyprus quo prætextu Venetis erepta. 180
Cyprus lini Goſſipini ferax. 139
Cytheræa Venetorum inſula. 250

D.

DAlmatia. 14
Damaſcus ampliſſima Syriæ ciuitas. 31
Damaſcena Mauza. 35
Damiata, vel Peluſium. 143
Damiatæ propugnaculum. 142
Dauidis ciſterna. 83
Dauidis monumentum. 103
Defunctorum ſuffragia. 54,55
Defunctorum ſepeliendorum apud Turcas tributum. 182
Delta Nili. 147,156,169
Deſertum S. Ioannis Baptiſtæ. 89
Deus diuerſis mediis hominem ſaluat. 3
eius prouidentia circa prouinciarum fertilitatem. 160
Diploma Militiæ S. Sepulchri datum Auctori. 66
Diuoniæ inſulæ. 218
Domus ſaltus Libani. 29
Domus mali conſilij. 81
Donaria Auctoris S. Sepulchro attributa. 68, & ſeqq.
Dromedarij, & eorum celeritas. 214
Druſiani, Chriſtianorum Gallorum reliquiæ. 24
Druſianorum eleemoſynæ. 134,135
Druſianorum religio. 134
Dzaffer Baſſa Tripolitanus. 127
Dzermæ nauigij commoditas. 141

E.

ECce homo, locus. 77
Eccleſiæ Chriſtianorum Cairi. 192
Eleemoſynæ Turcarum Druſianorum. 134,135
Eliæ ſtatura petræ impreſſa. 82
Eliſei fons. 98,99
Emaus caſtellum. 120
Emir Machomet Syriæ Phœnicis Regulus. 131
Emiri cum Dzaffer Baſſa congreſſus. 132
Emo nobilis Veneti nauis naufragiũ. 254
Engaddi mons. 87
Epulonis diuitis Euangelici domus. 79
Equi marini. 142
Equi carnes comedentes. 215
S. Euſebij ſepulchrum. 85
Expeditio Lithuanorum in Liuoniam. 5

F.

FAno, inſula Hiſpanorum in mari Mediterraneo. 258
Feminarum agreſtium in Aegypto habitus. 187
Ferchin in Aegypto ciuitas. 144
Ferraria. 277
Ficus Pharaonis. 177
Flagellati Chriſti columna. 49
Fons S. Pauli baptizati. 33
Fons B. Virginis. 46,63
Fons S. Philippi. 88
Fornaces ſeu clibani Aegypti, in quibus pulli gallinacei artificioſè excluduntur. 144

Fossa Alexandriam Cairo ducens. 194
Franciscus Caraffa Vicerex Lecij. 260
Fructus hortorum bis in anno proueniunt in Aegypto. 158
Fuaciuitas malis granatis abundans. 194
Funebres cærimoniæ Sitiorum. 237

G.

GAbaa Saulis. 47
Galea Iacobi Regis Cypri. 179,180
Galgala. 97
Galilææ confinia & fertilitas. 41
Gallinacei pulli in clibanis Aegypti exclusi. 144
Caryophylli rupes Alexandriæ. 208
Gaurea palatium Cairi. 177,178
Gedanense bellum Rege Stephano. 5
Genezareth lacus. 41
Georgius Radziuilus Auctoris frater Cardinalis creatus. 253
S. Germani sidus. 223
tempestates in mari sedat. 227,228
Gessen terra Iacob Patriarchæ attributa. 169
Gethsemani villa. 61
Giamachison Moschæa Cairi. 181
Giamalasar Moschæa Cairi primaria. 178
Gion mons & palatiũ Salomonis. 90,106
Glires Pharaonis Tripoli. 130
Gortinæ ciuitatis ruinæ. 19
Græcia hospitia publica non habet. 241
Gregorius PP. XIII. votum Auctoris Ieros. probat. 6
facultatem eundi Ierosolymam concedit. 12
Gregorij Kalendarij annus. 9
Gymnasium Philosophorum. 256

H.

HAceldemach ager intra 24 horas cadauer absumit. 64
Hæretici nõ sunt Christiani iudicio Orientalium, quia non habent Sacerdotem nec sacrificium. 109,110
Hæretici Iudæis deteriores, & quare. 110
Hebron oppidum. 87
S. Helena trecentarum Ecclesiarum in Palæstina fundatrix. 51
eiusdem turres. ibid.
Helenæ raptæ locus. 250
Heluetus Ianissarus. 208
Herodis palatium. 105
Hiems ventosa. 263
Hieronymi conclaue Bethlehemicum. 85
Homines vtriusque sexus Cairi venales. 170
Horæ diei & noctis num Ierosolymis æquales. 118
Hortorum fructus bis in anno proueniunt in Aegypto. 158
Hortus agoniæ Christi. 61
Hospitia publica non habet Gracia. 241
Hydruntinus portus. 259,260

I.

IAcob Patriarchæ pons. 41
eiusdem lucta. ibid.
Iacobi maioris decollationis locus. 58
Iacobi ieiunantis antrum. 62
Iacobi Regis Cypri galea. 179,180
Iacobus Podlodowski à Turcis occisus. 243
Iacobus de monte Brandon, latro famosus. 270
Idola Mumiarum. 188
Ieremiæ Ecclesia & monasterium. 121
Iericho ciuitas. 97
Ierichuntinæ rosæ partum facilitant. 98
Ierosolyma. 47
Ierosolymitana peregrinatio absque facultate Rom. Pont. ritè suscipi quare non possit. 10,11
Ierosolymitanarum antiquitatum conseruandarum Turcæ valdè studiosi. 63
Ierosolymitanæ vrbis prisca maiestas. 105
Ierosolymis loca sacra visitantium consolatio. 108
Ierosolymitanæ Basilicæ descriptio. 113
Ieiunium Turcarum solenne. 194
Igamalisen Moschæa Cairi 181
Imbraimus Bassa Aegypti. 152. *eius in apertione Nili maiestas.* 166,167
Improperij columna. 51
Infirmitates corporis cur Deus permittit. 4
Innocentium puerorum sepultura. 85
Ioachimi domus. 60
Ioannis Baptistæ desertum. 89
eiusdem locustæ & mel siluestre. 96
eiusdem Ecclesia. 97
Iobi fons & domus. 121
Ioppen. 123
peregrinis ibidem Indulgentia concessa. 125
Iordanis fluuius. 96

Iordanis bifariàm diuisus. 41
Iordanis aqua asseruata incorruptibilis. 96,97
ad Iordanem profectio periculosa. 91
in Iordane Christi baptizati locus. 96
Iosaphat vallis. 60
Ioseph cisterna in quam à fratribus fuit missus. 42
Ioseph palatium. 184
eiusdem puteus admirandi operis. ibid.
Iosephi ab Arimathia familiæ sepulchra. 55
Iouis seu Pici sepultura Cretæ. 239
Isaac immolati locus. 53
Isaiæ martyrium. 63
Istria. 14
Iuda Regum sepulchra. 104
Iudæ Iscariotis suspensi locus. 72
Iudæa. 46
Iudææ fertilitas. 46
Iudææ montana. 89
Iudæorum Cairi multitudo. 153
Iulia noua. 271
Iurandi ritus Arabum. 92

L.

Labyrinthus Thesei in Creta. 18
Lambertinus Anconæ Gubernator. 274
Lampades in S. Sepulchro. 111
Lapis Dominici sepulchri. 59
Lapis quo sepulchrum Lazari clausum fuit. 72
Lapis dialogi Christi cum Magdalena. 73
Latinus Vrsinus. 247
Latronis boni castrum. 122
Lauretanum B. Virginis fanum. 273
Lazari resuscitati monumentum. 72
Lecium, & eius Gubernator Caraffa. 260
Lemissum. 138
Libanus mons, in quo Patriarcha Romani Pontif. obedientiam agnoscit. 26
Libri mortui magistri. 2
Lithuanorum in Liuoniam expeditio. 5
Locustæ & mel siluestre S. Ioannis. 96
Longinus latus Christi lancea perforãs. 50
Loth vxoris statua. 95
Lucensis Christi crucifixi imago. 122

M.

Machabæorum sepultura. 122
Macherontum castrum decollati S. Ioannis Baptistæ. 43
Magara Moschæa sepulchris Aegyptiorum clara. 161
Magdalenæ & Marthæ domus. 73
Mahometis propinqui colore viridi distinguuntur à ceteris. 34
Mahometis sepulchrum non pensile. 39
Malamochi Venetiarum portus. 277
Mamaluci qui, & eorum habitus. 30
Mamymir Aegypti pagus. 186
Manna montis Sinai. 213
Marci Euangelistæ festum apud Venetos celeberrimum. 16
Marci Euangelistæ martyrij locus. 207
Mare Asphalticum. 95
Mare rubrum Christianis sulcare prohibitum. 225
Mareotis palus. 204
Mariæ Deiparæ monumentum. 60
eiusdẽ Spasmus. 78. *Antrũ latibuli.* 86
Ecclesia de Carpigniano. 260
Visio in tempestate oblata. 234
Maris benedictio apud Venetos. 9
Maronitæ qui. 114
Maronitarum scribendi ratio minùs expedita. 110
Maslock potus & cibus Turcarum. 171
Maurorum mancipia venalia. 257
Mauza Damascena. 35
Mel siluestre & locustæ S. Ioannis Baptistæ. 96
Mempheos vrbis prisca magnitudo. 164
Memphyticæ Pyramides. 161. *à Iudæis excitatæ.* 162
Mercatores Cairi diuites. 149
Mercatoris Aethiopis Cairi vita. 150
Meretricum Cairi numerus. 170
Messis in Aegypto mense Martio. 159
Methona Turcarum ciuitas. 253
Militia S Sepulchri. 65
Militiæ S. Sepulchri diploma datum Auctori. 66
Ministri noui Euangelij Ierosolymis nulli. 109
Missa Maronitarum Abyssinorum, Georgianorum. ibid.
Monasterium S. Crucis, seu S. Archangeli. 90
Monasterium S. Ioannis de Patyna. 240
Montana Iudææ. 89
Montes Ierosolymis præcipui. 105
Montes ciuitatis Alexandrinæ. 202
Moraften Moschæa Cairi. 181

Moriath mons. 106
Moschæa absque tholo. 175
Moschææ Cairi celebriores. 178
Moschæarum Cairi numerus. 150
Mulæ Cairi magni pretij. 179
Mulieribus Ierosolymitana peregrinatio prohibita. 58
Mulchias vel Mechias mensuræ Nili in Cairo locus. 157
Mumia, & eius extrahendæ ratio. 188
Mumia non fortuitò sed arte fit. 190
Mumia in naui deportata tempestatem ciet. 228
Mumiam cur Turcæ prohibent efferri. 230
Mumiam propter tempestatem in mare Auctor proiecit. 232
Mumiarum idola. 188

N.

Natarea villa B. Virginis in Aegypto mansio. 176
Nationum diuersarum sacella in templo Ierosolymitano. 109
Natiuitatis Christi locus. 83,84
Nauarinum. 253
Naufragium nauis Emo nobilis Veneti. 254
Nauigatio Auctoris in Aegyptum. 136
Nauigatio Antonij Veneti. 225
Naues Siculorum erratica. 242
Naupactica victoria Christianorum sub Pio V. 255
Nicodemi mansio, & Crucifixus. 122
S. Nicolai portus & Ecclesia. 250
S. Nicolai sepulchrum & manna. 261
Nicolaus de Ponte Dux Venetus. 9
Nili ostia. 141
Nili exundatio. 155. *non casu sed arte fit.* 156
Nili latitudo. 147
Nili in longum procursus. ibid.
Nili Delta. 147,156,169
ad Nili mensuræ Pyramidem Christiani non admittuntur. 157
Nili excrescentis ratio. 159
ex Nili incremento prognosticon abundantiæ. 158
Nili apertionis annuum Cairi spectaculum. 167
in Nili apertione Sangiacorũ pompa. 166
Nilotica aqua salubris. 146
Noli me tangere, locus. 54
Nundinæ Tripolitanæ. 134

O.

Obeliscus Porphyreticus Alexandriæ. 201,202
Obsidio Plescouiensis. 7
Occhialius Præfectus Classis Turcicæ. 226
Oculis inimica ciuitas Cairi. 153
Odontotyranni seu equi marini. 142,143
Officiorum diuinorum in Basilica Ierosolymitana assiduitas. 54
Officiorum diuinorum ad S. Sepulchrum ordo. 111
Olineti mons. 74
Orationis Dominicæ à Christo dictatæ locus. 76
Orizæ copia in Aegypto. 142

P.

Palatium Ioseph Patriarchæ. 183
Palatium Bassæ Cairi. 157
Palatium Salomonis in monte Gion. 90
Palatium Helenæ. 250
Palladis patria. 223
Palmæ arbor & fructus. 172
Paphus. 20
Parentium Istriæ oppidum à Paride conditum. 14
Patriarcha Turcarum. 179
Patriarcha Chaldæorum & Abyssinorum idem. 182
Patriarcha montis Libani obedientiam Romani Pontificis agnoscit. 26
S. Paulæ Romanæ monasterium. 86
eiusdem sepulchrum. 85
Pauli Apostoli baptizati fons. 33
eiusdẽ locus demissionis in sporta. ibid.
eiusdem conuersionis locus. 36
Peccatoris mortem Deus non vult. 3
Peregrinatio Ierosolymitana mulieribus prohibita. 58
Peregrini in ingressu S. Sepulchri tributum pendunt. 48
Peregrinorum ad S. Sepulchrum intromittendorum ratio. 107
Personatæ defunctorum facies apud Aegyptios. 188
Pestis in Aegypto & Palæstina. 7
Pestis in Aegypto septimo quoque anno grassatur. 155
Pestis cõtagionem Turcæ nõ fugiunt. 154

Petri Apostoli negationis locus, & eiusdem pœnitentia. 59
Petri Bellonij de Cæsaræa Philippi error. 28
Petrus de Ossuna Vicerex Neapolis. 270
Pharaonis coloßi. 164
Pharaonis glires. 130
Pharaonis ficus. 177
S. Philippi fons. 88
Philosophorum Gymnasium. 156
Picus, qui & Iupiter mortuus. 239
Pilati palatium. 77
Pisanum castrum. 80
Pisaurum Italiæ. 276
Piscaria ciuitas. 263
Piscatores demersi manu piscantur. 146
Pisces sanctificati non comestibiles. 130
Pisces Nilotici sapidi, sed insalubres. 146
Plescouiensis obsidio. 7
Pluuiæ in Aegypto nullæ. 158
Podlodowski Iacobus à Turcis cæsus. 243
Pompa Sangiacorũ in apertione Nili. 166
Pompeij columna Alexandriæ. 197
Porta ferrea Ierosolymis. 60
Porta S. Stephani, & locus lapidationis. ibid.
Porta sterquilinij. 64
Porta aurea. 75
Porta Ephraim, quæ S. Stephani. 76
Porta iudiciaria. 79
Porta speciosa. 117
Porta piscium. 80
Portus Alexandrinus. 207
minùs tutus, & quare. 208
eius area. 198
Portus delle Quaglie, *seu coturnicũ.* 251
Prædones Auctorem cum socijs inuadunt & spoliant. 264. & seqq. *eorum misera conditio.* 272
S. Præsepij in Bethlehem Basilica. 83,38
Probatica piscina. 76
Processio peregrinorum in Ecclesia Saluatoris. 49
Prodona. 253
Prognosticon abundantiæ ex Nili incremento. 158
Purgatorium esse credunt Turcæ. 29,30
Puteus Samaritanæ. 45
Puteus Magorum. 82
Puteus villæ Pastorum. 86
Puteus Ioseph in quem à fratribus fuit missus. 42
Puteus Ioseph stupendi operis. 184
Pyramides Memphiticæ inter septẽ mundi miracula à Iudæis in seruitute Aegypti excitatæ. 161
Pyramis Rhodopes. 163

Q.

Quadrantana, mons ieiunantis Christi. 99

R.

Rachelis monumentum. 82
Rahab meretricis Ierichuntinæ domus. 98
Rama. 122
Rauenna. 277
Regum Iuda sepulchra. 104
Regius mons. 105
Retimum Venetorum. 240
Rhodij racemi notabilis magnitudinis. 198
Rhodus insula. 223
Rhodopes meretricis caput oracula reddens. 163
Rosæ Ierichuntinæ partum facilitant. 98
Rubri maris nauigatio Christianis interdicta. 225

S.

Sabæ monasterium Anachoritarum. 94
Saccharum. 172
Sacerdotes inclusi in Ecclesia S. Sepulchri. 112
Sal in modum glaciei congelatum. 21
Salis statua uxoris Loth. 95
Salina fluuiolus. 264
Salomonis palatium in monte Libano. 29
aliud in monte Gion. 90
Salomonis templum. 75
hoc ingredi Christianis nefas. 117
Salomonis monumentum. 103
Samaria. 44
Samaritanæ Euangelicæ puteus. 45
Samuelis sepulchrum. 120
Sangiaci seu præfecti militaris habitus. 44
Sangiacorũ in apertione Nili pompa. 166
Sangiacus quidã mille Anachoritas S. Sabæ interficit. 94
Santones Turcici nudi. 34,173
Sapientiæ portus. 252
Saraffia Moschæa Cairi. 180
Sceleta Aegyptiorum in symposijs. 135
Selimus I. *Cairum occupat.* 183

Senogallia. 276
Sephet ciuitas, Hester patria. 43
Sepulchri Dominici affiguratio. 53
templi eiusdem descriptio. 113
eiusdem Ecclesia Venetijs. 278
Sepulchrum Abel. 30. *Ab Salonis.* 62 *Balduini & Godefridi Regum Ierosol.* 55. *Iouis.* 239. *Ciceronis.* 16. *Dauidis.* 103. *S. Eusebij.* 85. *Innocentium puerorum.* 85. *Familiæ Iosephi ab Arimathia.* 55. *Regum Iuda.* 104. *Lazari resuscitati.* 72. *Machabæorum.* 122. *Mahometis non pensile.* 39 *S. Nicolai.* 261. *P. Saulæ Romanæ.* 85. *Rachelis.* 82. *Salomonis.* 103. *Samuelis.* 120. *Zachariæ filij Barachiæ.* 62
Sichar. 45
Sidus S. Germani. 223
tempestates in mari sedat. 227, 228
Sidon & Tyrus. 24, 126
Siekierzecka, peregrina Polona. 57
Siloë natatoria à Turcis frequentata. 64
Simeonis Euangelici corpus incorruptum. 16
Simeonis Euangelici domus. 81
Simon Cyrenæus. 79
Simonis leprosi domus. 72
Simon Albimontanus, Presbyter Polonus. 139. *à spectris in naui exagitatur.* 231 *eidem B. Virgo in tẽpestate apparet.* 234
Sion mons. 105
Sitiorum funebres cærimoniæ. 237
Spalati arbor. 98
Spasmus B. Mariæ. 78
Spectra duo Simoni Presbytero in tempestate apparent. 231
Stephani Poloniæ Regis de Auctoris peregrinatione datum consilium. 2, 9 *non benè successurum.* 245 *eiusdem bellum Gedanense.* 5 *in Moscouiam expeditio.* 6
Stradiottæ equites. 235
Strophades insulæ. 17
Struthiones. 192. *eorum venatio.* 213
Sultanus Tombeius suspensus. 179
S. Surridi Ecclesia & corpus. 257
Syluani montis arx. 264
Syria caua, vel Cœlesyria. 27

T.

TAlcha prædonum oppidum. 145
Tartarorum Asiaticorum Regina Mecham peregrinatur. 32
Taurus Rex Europæ raptor. 19
Tempestas atrox. 217, 259
Temporalia bona vmbræ assimilata. 4
Terebinthus beatissimæ Virginis. 81, 82
Terebinthi vallis. 120
Terræmotus. 17
Thabor mons. 43
Theatrum Hyppodromicum Cairi. 175
Thesaurus Tripoli effossus. 25
Thesaurus Basilicæ S. Sepulchri. 65 *in eo Selymo Turcarum Cæsari non reuelando FF. Minorum constantia.* 66
Thesei labyrinthus in Creta. 18
S. Titi caput. 20
Tombeius Sultanus suspensus. 179
Torrens Cedron. 62
Tripolis Syriæ ciuitas. 25, 126
Tripolitanæ nundinæ. 134
Tur ciuitas ad mare rubrum. 225
Turcæ purgatorium credunt, auiculas pro animabus defunctorũ liberantes. 29, 30
Turcæ vino se ingurgitant. 44
Turcæ antiquitatum Ierosolymis conseruandarum studiosi. 63
Turcæ quas Christi memorias venerentur. 74, 102, 103
Turcæ Christum crucifixum quare non credant. 74, 75
Turcæ pestilentiam non fugiunt. 154
Turcæ pecuniæ cupidi. 173
Turcæ à Christianis fascinari se credunt. 185
Turcæ à Græcis Vasallis sibi cauent. 224
Turcæ in macello circumciduntur. 129
Turcarum militum licentia. 29
Turcarum in Persia clades. 32
Turcarum ebriorum fustigatio. 193
Turcarum ieiunium in Septembri. 194, 196
Turcismum amplectentis Christiani pompa. 128
Turres sanctæ Helenæ in promontorijs. 51
Turris aquæ ductus Cairi. 185
Turris gregis. 86
Tyrus & Sidon. 24, 126

V.

VAllis Iosaphat. 60
Vectigalis S. Sepulchri summa Cæsari Turcarum annuatim proueniens. 108

Veneris templum. 250
Veronicæ domus. 79
Veſtigia cadentis Chriſti in torrente Cedron. 62
Veſtigium Chriſti cælum aſcendentis. 74
Via doloroſa. 78
Victus Cairi abundantia. 154
Villarum in tractu Cairi multitudo. 169
Vini vſus apud Turcas à Baſſis dependet. 209
Viri Galilæi, locus. 75
Vitam breuem non accepimus, ſed ipſi facimus. 4
Vituli portus. 252
Vnctionis Chriſti mortui locus. 53
Votum Auctoris viſendi S. Sepulchrum. 5
Vrſinus Latinus in Candiam à Venetis miſſus. 247
Vuæ paſſæ Zacynthinæ. 17

Z.

Zachæi domus. 98
Zachariæ filij Barachiæ ſepulchrum. 62
Zacynthus. 16,253
Zacynthinæ vuæ paſſæ. 17
Zara Dalmatiæ ciuitas. 15
Zuele Moſchæa Cairi. 179

FINIS.

APPROBATIO.

HAEC Peregrinatio Ieroſolymitana Illuſtriſſimi Principis Nicolai Chriſtophori Radziuili, nihil habet quod Chriſtianam religionem offendat. Poterit igitur imprimi ad multorum ingenia oblectanda, & deuotorum animos pietate imbuendos. Quod teſtor xx. Iulij, anno M. DC. XIII.

Egbertus Spitholdius S. T. L. Canonicus & Plebanus Antuerpienſis, librorum Cenſor.

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTI & ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ, Archiducum Auſtriæ, Ducum Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Sereniſſimorum Belgicæ Principum Priuilegio cautum eſt, nequis *Jeroſolymitanam Peregrinationem Illuſtriſſimi Principis Nicolai Chriſtophori Radziuili, Ducis Olicæ & Nieſuisij, Palatini Vilnenſis, Militis Ieroſolymitani*, &c. præter Martinæ Plantinæ viduæ & Balthaſaris & Ioannis filiorum Ioannis Moreti p. m. voluntatem, intra ſexennium imprimat, aut alibi excuſam, in Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalémve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum & alia graui pœna mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, VI. Auguſti, M. DC. XIII.

40 - 346 - III

Signat.

Buſchere.


LABORE ET CONSTANTIA


E W